se gold

Ezra Abbot.

March 5, 1874.

IOH. AUG. HENR. TITTMANNI

THEOL. PROF. PRIM. IN UNIV. LIPS

DE SYNONYMIS IN NOVO TESTAMENTO

LIB. I

ADIECTA SUNT ALIA EIUSDEM OPUSCULA
EXEGETICI ARGUMENTI

LIPSIAE

SUMTIBUS AUGUSTI LEHNHOLDI

1829.

CAROLO FRIDERICO HESSLERO

PASTORI ECCL. GERSDORFIENSIS

PRAECEPTORI QUONDAM SUO

S.

AUGUSTUS TITTMANNUS.

Anni sunt quadraginta, ex quo me, quindecim annorum puerum, e schola Tua dimisisti, ut Tu munus sacrum susciperes, ego vero ad Academiam transirem. Ab eo inde tempore, quamquam prospicere rebus meis non potuisti, quod per novem fere annos summa cum prudentia, assiduitate et fide Te fecisse, et pater meus ad extremos usque annos gratus celebrare solebat, et ego, dum vivam, pia mente recordabor, eae tamen ita Tibi

semper cordi fuerunt, ut, quicquid mihi accidisset, id ad Te pertinere putares, et e studiorum meorum successu gratum pristinae disciplinae Tuae fructum Te percipere, saepe mihi verissime affirmares. Ego vero, licet bene intelligerem, spei, quam Tu de me adhuc puero conceperas, exiguam tantum partem impletam esse, tamen, quum ex votis mihi nonnulla succedere doctrinae studia viderentur, disciplinae Tuae, severae illius et puerili quidem petulantiae aliquid, ignavae desidiae aut vanae superbiae nihil indulgentis, sed ad ingenium excitandum animumque ad honestissima studia praeparandum formandumque aptissimae saepissime recordatus sum. Solent quidem plerique scholasticam puerorum institutionem domesticae praeferre; ipse rarissime fieri posse puto, ut domestica sufficiat disciplina, quae quum ob causas multas alias difficilis sit, tum propterea maxime incerta est, quod magistri privati, qui dicuntur, raro

tanta veterum linguarum universaeque antiquitatis scientia imbuti sunt, ut ultra mediocritatem docti haberi possint, et saepius excipiuntur ab aliis, qui longe aliam rationem sequuntur, puerumque novae disciplinae adsuescere cogunt, neque raro totum ordinem institutionis perturbant. Quare ego mihi de puerili aetate mea eo magis gratulor, quod non solum Te uno praeceptore, sed tali usus sum, quem ob veram eruditionem ipse pater meus ad academiam ornandam aptum esse existimaret, cuiusque fidei filium totum tradere tuto posset. Posteaquam vero curae scholarum publicarum quaedam pars ad me venisset, quum, quibus illae vitiis et patriae exspectationem fallerent, et ipsorum magistrorum vel diligentissimorum studium frustrarentur, accurate perpenderem, saepe reperi, in illis eas potissimum virtutes desiderari, quibus Tuam disciplinam maxime insignem fuisse, postea melius, quam illo tempore intellexi, quo Tibi ob Pomponii Melae

lectionem pueriliter succenserem, constantiam dico consensionemque institutionis, et prudentem in rebus tradendis (realia vocant,) parsimoniam et moderationem. Tu enim a facilioribus scriptoribus legendis exorsus, non prius alium mihi librum aperiebas, quam satis me profecisse animadverteres, ut non tantum formas orationis, sed res quoque intelligere possem; et postquam scriptorem quendam per aliquot tempus diligentissime pertractassemus, eum mihi tradebas, ut ipse eum perlegerem, difficilia, in quibus haeseram, notarem ac deinde Te consulerem, ipse, qui eundem legeras, me de singulis locis, in quibus me verum non vidisse suspicareris, examinares; interea in scholis consuetis scriptorem quendam alium ipse mihi grammatice explicabas, non plures eodem tempore, sed unum graecum, unum latinum. Geographiam veterem, qualem quidem capit puerilis aetas, ipsamque historiam, cum ipsa librorum lectione coniungebas;

utebaris quidem Pomponio Mela, magistrorum Tuorum exemplo, sed ad exercendum ingenium coercendamque impatientiam meam potius (quod ipse nuper confessus es) quam quod ex illo scriptore melius, quam ex librorum, in quibus res quoque loco praeclarissime gestae commemorantur, assidua lectione, geographiam disci posse crederes. Neque per saltum quidquam fiebat, etiam in facilioribus, quae putantur, me tenebas diutius, donec ea mihi vere facilia facta essent; et quum ab omni superbia alienus esset animus Tuus, vanam, quam in plurimis scriptoribus, poetis, prosaicis, tragicis et philosophis cum discipulis eiusdem ordinis tractandis, quaerere magistri quidam gloriam solent, sapienter respuebas. Scio quidem, illud genus literarum, quibus puerorum ingenium in scholis formandum est, ab illo tempore mirifice auctum esse, eruntque fortasse, qui plura hodie ab adolescentibus, ad academiam praeparandis, po-

stulari dicant, quam ante annos quadraginta. Me vero non poenitet, mi Hesslere, paupertatis illius nostrae, neque adolescentibus, qui hodie in scholis aluntur, magistrorum suorum laborem improbum invideo. Lubens etiam fateor, me, postquam e disciplina Tua dimissus essem, multa legisse et audivisse, quae pueri hodie in scholis audiunt leguntque, sed ubi in academiam pervenerint, aut plane negligunt, quoniam satis se istarum rerum iam in scholis accepisse credunt, aut eo infelicius tractare pergunt, quo minus e multis unum recte perceperunt. An ego Tibi irascar, quod nullam philosophiam, ne logicen quidem, nullam historiam philosophiae, nullam physicen, algebram, astronomiam, nullam metricen, literarum historiam, archaeologiam, et nescio quae alia, mihi tradideris, quod ne Sophoclem quidem, Pindarum et Platonem mecum legeris, sed habueris satis, quod me ita institueris, ut haec omnia, et quae-

dam alia fortasse, aliquando discere et cum fructu tractare possem? Scilicet his tantis copiis ipsos quidem magistros instructos esse oportet, ut adolescentes recte instituere, ut priscos errores fugere, ut optimorum librorum exempla emendatiora praebere, ut de lectionibus aut corruptis aut dubiis ipsi recte iudicare, ut veriora grammatices praecepta tradere possint, denique ut ipsi his copiis utantur, non autem, ut eas omnes puerili aetati impertiant, id est vero, ut puerorum ingenia, quae ad veram eruditionem et scientiam olim quaerendam formanda et praeparanda rerum diversissimarum multitudine obruant, et, quae est eius aetatis arrogantia, adolescentes vana eruditionis specie deceptos, superbia impleant. Unde fit, ut, quamvis eruditi sint magistri, antiquarum literarum peritissimi, assidui et indefessi, haud pauci tamen ex eorum scholis ad nos veniant, qui ad id literarum studium, ad quod animum applicant, non satis praeparati haberi pos-

sint, ipsorumque magistrorum spem et exspectationem destituant.

Sed haec ego non eo consilio dixi, ut scholarum famam et honorem minuerem; scio enim laetorque, factum esse, ut scholas optime constitutas nunc habere possimus: sed ut Tu verissimas me habere causas intelligeres, cur de Tua disciplina semper mihi sim gratulaturus. Volui autem publicum aliquod mei erga Te amoris documentum exstare: nam mea aetas me monet, ut sarcinas colligam, et Tua ipsius senectus moram non patitur longiorem. Accipe igitur hoc Volumen primum opusculorum, quae per triginta fere annos in hac Universitate edidi; in quibus si quid haud indignum disciplina Tua inveneris, ex animo laetabor. Pertinent autem omnia ad interpretationem librorum sacrorum, reliqua alio tempore edere constitui. Scripta sunt per plures annos, ideoque non mirabitur quisquam, qui paulo dissimiliora animad-

verterit; neque faciendum putavi, ut, quae ante viginti annos scripsissem, ea recentioribus magis accommodarem; nolui enim seriorum annorum fructibus iuveniles labores meos ambitiosius exornare. Libellum de Synonymis in N. T. praemisi, quia singulae dissertationes, in quibus dicere coepi de synonymis, ita dissipatae sunt, ut partes nonnullae frustra desideratae fuerint. Et licet in hoc labore multa desiderari posse intelligam, (ipse enim mihi non satisfeci) eum tamen imperfectum, necdum absolutum, cum viris doctis communicare, quam derelinquere malui, sperans fore ut ad hanc gravissimam disputationem, nimis diu neglectam, meliori fortuna suscipiendam incitentur homines eruditiores. Ceterum nihil magis habeo in votis, quam ut ex hoc quoque labore meo aliqui fructus redundent in eos, qui ad primarium theologi munus, ad libros sacros interpretandos, animum adiecerunt.

Te vero ut Deus O. M. per multos adhuc annos salvum conservet, Tibique laetam vegetamque senectutem porro largiatur, ex animo opto. Ita vale, mi Hesslere, et me amare perge. Scr. d. IX. April. a. Dom. cIↃIↃcccxxix.

DE

SYNONYMIS IN N. T.

LIB. I.

CAP. I.

DE SYNONYMIS IN N. T. RECTIUS DIIUDICANDIS.

Instat illius diei solemnitas, Cives Carissimi, quo ante hos fere CCC annos, turpem indulgentiarum mercaturam sublaturus, tantum Lutherus incendium excitavit, quo iam tunc parum abfuit, quin tota Petri basilica absumeretur. Sed hoc incendio imperii pontificii ruina extincto, Christianos, quos divina Lutheri virtus in priscam libertatem vindicavit, non vanis quidem triumphis, sed magnorum illius viri immortalis consiliorum recordatione, huius diei memoriam celebrare decet, ut beneficia, ex eo nata, ita collocent, ut hominibus contigisse prudentibus videantur, quos bonis suis non exsultare superbius, sed sapienter uti oportet. Quod quum ab his, qui Lutheri partes constantissime sequi viderentur, saepius neglectum fuerit, tum ab iis potissimum, qui, omisso sacros libros interpretandi studio, ad formulas humanas ecclesiaeque auctoritatem denuo conversi, summum Lutheri consilium temere peremerunt. Is enim nihil prius habuit, quam ut doctrina di-

vina ex ipso sacro fonte hauriretur, ideoque linguarum veterum studium, artemque grammaticam, semper maximopere commendavit; quamquam vel ob disciplinam, qua iuvenis usus fuerat, vel ob negotiorum, quibus postea occupatissimus fuit, copiam et magnitudinem, a summa artis grammaticae subtilitate, cum summis illius aevi viris, paulo alienior fuisse creditur. Sed hanc subtilitatem nostra aetate haud pauci spernere didicerunt, et, quasi iam tota exhausta esset, ad sophismata et disputationes sese converterunt, interpretisque grammatici negotium aut in vagis vocabulorum significationibus designandis, aut in sensu literali, quem vulgo dicunt, sed qualis sit non intelligunt, quaerendo, ponere consueverunt. De quorum vanitate nunc quidem nihil dicemus, quoniam satis constare arbitramur, post tot ac tanta literarum incrementa, illorum hominum inertiam vix diutius ferendam esse. Sed in diei, quem propediem celebraturi sumus, solemnitate, omnes, quibus doctrina ac disciplina sacra curae cordique est, illius egregii, quod Lutherus in ore habere consuevit, dicti recordari juvat, *optimum grammaticum eum etiam optimum theologum esse*, id est: qui non tantum linguarum veterum causas et rationes optime noverit, sed etiam universam loquendi artem, qua nihil sublimius ab humano ingenio inventum est, ad regulas communes, in ipsa ratione humana sitas, revocatam, perspexerit, ita ut omnia mentis humanae monumenta recte enarrare, immensosque eruditionis thesauros aperire possit, eum vero doctrinam divinam optime et cognoscere et tradere aliis posse: misere enim falluntur, qui grammatici interpretis negotium vulgari loquendi modo metiuntur, quasi nihil aliud ille agat, quam quod in schola pueris solet inculcari. Quamquam ne illa quidem grammaticae artis elementa tamquam parva fastidienda sunt, quia, ut verissime *Quinctilianus* scripsit, interiora velut sacri huius adeuntibus apparebit multa rerum subtilitas, quae non modo acuere ingenia puerilia, sed exer-

cere altissimam quoque eruditionem ac scientiam possit. Rectissime vero summus *Hemsterhusius* iudicavit, callere linguam, quod vulgo dicant, id est, voces loquendique formulas in cerebrum constipatas ingessisse, magno opere ieiunum atque inanitatis plenum videri. (vid. *ei. Orat. de Mathem. et Philos. studio cum literis humanior. coniungendo* p. 109. ed. Lugdun.)

Sed quum multa sint, quae in grammatica, i. e. vera, N. T. interpretatione maiorem, quam plerumque existimant, subtilitatem desiderant, tum ea vocabula potissimum, quae nunc vulgo *synonyma* dicuntur, de quibus nisi quis accuratissime cogitaverit, is verendum est, ut ullam linguam vere callere et intelligere videatur. Nam quod in linguarum scientia summum esse creditur, ut sciamus, unde, quibusue de causis, nomina imposita rebus fuerint, hoc eiusmodi est, ut sine synonymorum, quae vocantur, accuratissima cognitione nullo pacto locum habeat, neque illorum rationes et originem ignorare interpres possit, nisi aut in notionibus rerum, quae verbis expressa sunt, misere errare, aut in significationibus similibus utcunque reddendis acquiescere velit. Illam vero in discernendis explicandisque synonymis subtilitatem, et in multis N. T. interpretibus, et in Lexicographis fere omnibus desiderari, nemo magnopere mirabitur. Est enim omnium linguarum difficillima haec pars doctrinae et minime exculta, laboratque impedimentis tanto gravioribus, quo magis linguae sive crescentis, sive florentis, sive iam depravatae tempora a nostra aetate fuerint aliena, ut, quoniam obscura sunt singulorum vocabulorum initia et incrementa, synonymorum causae et origines vix queant detegi. Sed in graeca lingua synonyma recte discernere, quamquam ob ingenii graeci subtilitatem ubertatemque difficillimum est, tamen in N. T. scriptoribus explicandis vocabulorum cognatorum et similium notatio duas ob causas maximis difficultatibus impedita est: primum propterea,

quod illorum virorum usus loquendi vulgari vitae communis sermoni, quam eruditorum hominum orationi, certis legibus adstrictae, similior est, deinde ob rerum novarum, nominibus verbisque, quae adessent, exprimendarum, multitudinem, quum omnibus molestam, tum iis potissimum, qui a dicendi scribendique subtilitate alieni sunt, molestissimam. Vulgus enim hominum, quum universis rerum notionibus quibusdam seu imaginibus plerumque acquiescat, quod singulis nominibus proprium est, aut non intelligit, aut non curat, sed vocabulis similibus promiscue utitur nihilque magis agit, quam, quae cogitaverit, ut verbis, quae proxime adsint, exprimat; unde fit, ut neque distinguantur synonyma et saepius cumulentur verba similia, de quorum vera significatione distinguenda vix doctiores cogitant. Inprimis vero vulgaris hominum sermo natura sua paullo concitatior esse solet, iactatque sese immoderatius, neque rebus cogitatis priua nomina imponit, sed plurima sine discrimine, multa temere effert; quod si quis interpres neglexerit, in verbis singulis saepe quaeret, quae scriptori in mentem non venerunt; quod N. T. interpretibus quoque haud paucis accidisse, nemo harum rerum peritus negare poterit. Sed in N. T. scriptoribus explicandis, alterum quod diximus, non minus memorabile est, quum de synonymis cognoscendis et distinguendis quaeritur. Illi enim res novas, quibus exprimendis in vulgari sermone verba idonea deerant, ut poterant, vocabulis similibus expresserunt, quae illis quidem hominibus, ad quos scribebant, clara et perspicua erant, sed difficilius cognoscuntur ab his, qui ab illorum hominum cogitandi loquendique ratione alieni sunt. Nam quarum rerum notionibus caret populus, earum verba quoque, seu signa, in eiusdem lingua desint necesse est, ideoque, si novis rerum novarum notionibus illius scientia augetur, aut nova verba creantur, quod fere in iis tantum rebus locum habet, quae in sensus incurrunt, aut peregrina rerum nomina adsciscuntur, quod ple-

rumque fieri solet, aut vocabulis similibus, sive propriis, sive tropicis, quae iam adsunt, res novae utcunque exprimuntur; quod Apostolos quoque fecisse neque mirabitur quisquam, nec vitio iis vertet, quum rerum illarum magnitudo et sublimitas, linguae vinculis fortior, summam sermonis subtilitatem neque ferre, neque desiderare videatur. Sed in eorum scriptis explicandis maximopere cavendum est, illa res ne interpreti fraudi sit, quum vocabulis singulis, cognatis et similibus, quibus illi usi sunt, sensus subtilitate discrepantibus, significationem eandem tribuerit, si diversa ea fuerit, aut sensum diversum, de quo distinguendo illi non cogitaverint. Verum ea res maiorem cautionem postulat, quam grammaticae subtilitatis contemtores illi existimant. Unde factum est, ut in libris N. T. explicandis, vocabula, quae significatione longissime discreparent, pro synonymis haberentur, alia autem, ad communem notionem referenda, aut non agnoscerentur pro synonymis, aut non satis accurate explicarentur. Quod ne temere dixisse videamur, hac brevi disputatione efficere conabimur.

Ante omnia vero, quae sint synonyma, dicendum est. Multi enim de notione synonymorum vel ambigue vel male praeceperunt, neque Ammonius, Popma, aut alii, qui περὶ ὁμοίων καὶ διαφόρων λέξεων scripserunt, de synonymorum natura satis subtiliter exposuerunt. Primam illi philologiae parti lucem nostrates attulerunt, ad omnem eruditionis subtilitatem veluti natura prae ceteris formati, inter quos post *Stoschium*, *Fischerum* et *Adelungium*, *Eberhardum* inprimis eminuisse, satis constat. Sed merito tamen divinum Aristotelis ingenium admiramur, qui infinitarum rerum notiones tam subtiliter et eleganter definiuit, ut cogitandi dicendique subtilitatis exemplum perfectissimum praebuerit. Is συνώνυμα dixit, ὧν τό, τε ὄνομα κοινὸν, καὶ ὁ κατὰ τοὔνομα λόγος τῆς οὐσίας ὁ αὐτός. οἷον ζῶον, ὅ, τε ἄνθρωπος καὶ

ὁ βοῦς. Ergo συνώνυμα sunt secundum Aristotelem, quae quum natura sua idem genus commune habeant, communi quoque nomine appellantur. Ab his ὁμώνυμα distinxit, quibus, licet diuersa natura praeditis, commune tamen est nomen generis, οἷον ζῶον ἄνθρωπος καὶ τὸ γεγραμμένον· τούτων γὰρ ὄνομα μόνον κοινόν, ὁ δὲ κατὰ τοὔνομα λόγος τῆς οὐσίας ἕτερος (ante Categor. §. 1. 2.) *). Unde apparet, Philosophum synonyma dixisse, quae commune generis nomen haberent, quarumque esset eadem naturae ratio cur illud nomen haberent. Atque hactenus bene se habet Aristotelis definitio; etenim recte indicatum est, quid commune habeant; sed alterum omissum est, differre synonyma et quomodo differant. Quod quamquam est propemodum infinitum; differunt enim synonyma tot modis, quot rationibus in eodem vocabulo locus est; non debet tamen omitti, ne synonyma cum vocabulis ἰσοδυνάμοις commisceantur. Nam illud quidem vel sic intelligitur, συνώνυμα esse eiusdem generis sed specie diversa; in quo verissime natura synonymorum cernitur; sed quoniam species singulae non eiusdem modi sunt; sunt enim aliae invicem subiectae generi, aliae sibi; necesse est, ut, quae cognatio synonymorum quaeve diversitas sit, accuratius ex-

---

*) Longe aliter, ut Grammaticus, *Dionysius Thrax* (in Bekkeri Anecdot. Tom. II. p. 636.) ὁμώνυμόν ἐστιν ὄνομα, τὸ κατὰ πολλῶν ὁμωνύμως τιθέμενον, οἷον Αἴας ὁ Τελαμώνιος καὶ Αἴας ὁ Ὀϊλέως, μῦς θαλάσσιος καὶ μῦς γηγενής. Συνώνυμον δέ ἐστι τὸ ἐν διαφόροις ὀνόμασι τὸ αὐτὸ δηλοῦν, οἷον ἄορ, ξίφος, μάχαιρα, σπάθη, φάσγανον. Sed Scholiastae (ibid. p. 867. s.) discrepare videntur, nisi veram eorum rationem diligentius observemus. Scilicet Grammatici ὁμώνυμον dicunt, quod pluribus diversis personis aut rebus commune est, ut Αἴας, μῦς, κύων, φοῖνιξ, sed συνώνυμον, quod in pluribus nominibus idem significat, ὃ διὰ πλειόνων ὀνομάτων ἓν ὑποκείμενον σημαίνει, ὥσπερ οἱ Περιπατητικοὶ πολυώνυμα λέγουσι. Discedunt igitur ab Aristotele; hic enim non nomen generi proprium, sed nomina rerum, quae idem genus commune habent, συνώνυμα dixit.

plicetur. Paulo luculentius *Eustathius* (ad Iliad. 8. 20.) disputavit, cuius verba apponere iuvat, quoniam ne Henr. Stephanus quidem eorum sententiam recte assequutus videtur. Ille igitur, *ἐπὶ τῶν παροξυνομένων ἀνθρώπων*, inquit, *τέσσαρα ταῦτα λέγεται ὀνόματα παρὰ τῷ ποιητῇ· θυμός· χόλος· μῆνις· κότος· ὧν θυμὸς μὲν καὶ χόλος ταὐτά ἐστιν· ὥσπερ καὶ ἡ κοινότερον μεθ' Ὅμηρον λεγομένη ὀργή· καὶ εἰσὶ τὰ τρία ταῦτα, ὁ θυμὸς ὁ χόλος καὶ ἡ ὀργὴ συνώνυμα κατὰ τοὺς γραμματικούς· κατὰ δὲ τοὺς ἄλλους πολυώνυμα· καθὰ καὶ τό· βροτός· μέροψ· ἄνθρωπος. — καὶ οὕτω μὲν χόλος καὶ ὀργὴ καὶ θυμὸς πολυωνυμοῦσιν ἐν ταυτότητι σημασίας.* In his verbis accuratius expressum est, quid synonymorum naturam constituat, scilicet, quod notio quaedam communis sit pluribus nominibus, quibus singulis quaedam *τοῦ εἴδους* diversitas insit, veluti *τῆς ὀργῆς* quatuor sunt species, *θυμός· χόλος· μῆνις· κότος·* quae quatuor vocabula de iratis hominibus dicuntur, quamquam singulis inest quidquam, quo unum ab altero discrepat. Ergo, si grammaticos audimus, synonyma sunt, quae sub eodem genere sunt, sed quibus est propria species, ut, quamquam communi quadam notione comprehendantur, tamen singula habeant notam singularem, qua una ab altera recte distinguatur.

Sunt autem synonyma duplicis generis, quorum unum *logicum*, alterum *grammaticum* appellare liceat. Et logica quidem synonyma dicimus, in quibus diversa est notio *τῶν εἰδῶν*, quae sub eodem genere sunt, veluti, ut Eustathii exemplis utamur, genus est *ὀργή*, sed variae sunt species *θυμός· χόλος· μῆνις· κότος·* diversae quidem sua natura, sed communi et simpliciori notione cognatae, quod omnes *ἐπὶ τῶν παροξυνομένων ἀνθρώπων* dicuntur. Logica haec synonyma dicimus, quoniam eorum cognatio in ratione sita est, quae pluribus rebus intercedit, cum nomine seu re communi, sive, ut Aristoteles dixit, *ὅτι ὁ αὐτός ἐστιν ὁ κατὰ τοὔνομα τῆς οὐσίας λόγος.* Sed alia sunt *συνώνυμα* (quae *πολυώνυμα*

veteres grammatici dixisse videntur), rerum, quae variis nominibus ob diversas rationes appellantur, veluti, βροτός· μέροψ· ἄνθρωπος. Haec, quoniam non notione rei, sed mera nominis ratione differunt, grammatica synonyma dici possunt; nisi quis etymologica dicere malit. Saepissime enim eidem rei plura nomina imposita sunt, quae non nisi etymologia differunt, veluti eosdem homines ἀνθρώπους, βροτοὺς, μέροπας, diversa nominis ratione, dicere Poeta consuevit. Verum haec omnia vocabula ex numero synonymorum excludenda si quis duxerit, non magnopere repugnabimus; siquidem proprie synonyma sunt, quae idem nomen habent, quoniam eidem generi subjecta sunt. Atque hoc sensu synonyma dixerunt, qui recentiori aetate de iis disputarunt. Sed quoniam utrique nominum generi hoc commune est, quod sint rerum, quibus quaedam communis notio propria est, synonyma non inepte dicentur, si quis totum hoc cognatorum vocabulorum genus uno nomine velit comprehendere. Illud autem nullo pacto concedendum est, ut verba, quae idem plane eodemque modo significent, pro synonymis habeantur. In quo multi errarunt, qui συνώνυμα et ἰσοδυναμοῦντα eodem loco habuerunt. Aliud est enim idem significare, aliud idem valere, seu sensum eundem habere. Neque inepte *Aquila Rom.*, de συνωνυμίᾳ loquutus, dixit: utimur eo genere eloquutionis, quoties uno verbo non satis videmur dignitatem aut magnitudinem rei demonstrare: ideoque *in eiusdem significationem* plura conferuntur. Sed longe aliud est, quod Scholiasta Aristophan. ad Vesp. dixit: ἔθος τοῖς ποιηταῖς παραλλήλοις λέξεσι ἰσοδυναμούσαις χρῆσθαι. (vid. *Ioh. Chr. G. Ernesti Lexicon Technol. Graec. Rhetor.* p. 384.) Prudentius *Io. Aug. Ernesti*, immortale huius Universitatis decus, praecepit, (*in Instit. Interpret. N. T. P. I. Sect. I. c.* 2. §. 14.) in una eademque saltem linguae eiusdem dialecto, aut eadem gente eademque aetate, non esse synonyma verborum propriorum, sed si talia sint in

lingua aliqua, ea esse diversarum vel dialectorum vel aetatum. Verissimum id quidem, et studiose observandum, si synonyma pro λέξεσιν ἰσοδυναμούσαις habentur, quarum eo minor esse numerus in aliqua lingua solet, quo excultior ea est, veluti lingua Graeca; ut iure dubitatum fuerit, an in lingua quadam satis exculta reperirentur verba, quae idem plane valerent, i. e. quae rem eandem eodem plane modo significarent. Quamquam enim aut eandem rem denotant, ut βασιλεὺς, ἄναξ, τύραννος, aut ejusdem generis veluti species singulas significant, ut ξίφος, ἄορ, φάσγανον, notis tamen quibusdam propriis differunt, quarum vestigia licet vel temporis longinquitas, vel usus negligentior extinxerit, tamen apud scriptores accuratos reperiuntur, atque ex ipsa etymologia cognosci possunt. Quare maximopere cavendum est, ne in eiusmodi vocabulis, quae rem eandem significare videntur, discrimen sensus proprii negligamus, inprimis in iis, quae ad mores animique affectiones pertinent, quae si vel maxime cognata videantur, tamen aut gradu, aut modo, aut ipsa specie differunt; ex quo potissimum fonte synonyma oriuntur. Itaque quum in reliquis libris, tum vero etiam in libris N. T. ea tantum synonyma dici possunt, quae eandem habent notionem communem, cui plures species aut modi, tamquam eidem generi, subiecti sunt, ita ut ad eandem quidem rem, quasi ad caput suum, referantur, sed singulae tamen differant, ut a suo genere species distinguuntur.

Sunt autem tria potissimum vocabulorum genera, quae in libris N. T. falso pro synonymis habentur, de quibus breviter dicemus. Primum genus est eorum, quae *causam effectumue* significant, tantoque frequentius synonyma esse creduntur, quoniam scriptores N. T., ut fit in oratione populari, causam et effectum arctissime coniungere consueverunt. Solent, ut exemplis utamur, in libris dogmaticis promiscue uti vocabulis iis, quae de redemtione generis humani a scriptoribus sacris usur-

pantur: ἱλασμός· λύτρον· ἐξαγορασμός· δικαίωσις· καταλλαγή· ἄφεσις ἁμαρτιῶν· ita ut haec vocabula aut idem plane significare aut certe synonyma esse videantur. Et tria priora quidem facilius concedemus synonyma esse, quamquam, quibus modis inuicem differant, accuratius explicandum est. Sed ab his magnopere differunt, quae sequuntur, καταλλαγὴ, δικαίωσις et ἄφεσις ἁμαρτιῶν. Haec enim effectum denotant operis Christi, seu beneficia ipsa, quae iis, in quibus fuerit vera fides, divinitus per Christum contingunt; sed causa seu ratio, ob quam illa beneficia ad Christum, tamquam auctorem, referenda sunt, illis vocabulis exprimitur, quae, quid Christus praestiterit, ostendunt. Nam quum scriptores sacri dicunt, Christum ἱλασμὸν, λύτρον, ἐξαγορασμόν praestitisse, nihil aliud significant, quam quod Dominus fecit ad καταλλαγὴν, δικαίωσιν, ἄφεσιν ἁμαρτιῶν efficiendam. Δικαίωσις enim, effectus est τοῦ ἐξαγορασμοῦ, itemque καταλλαγή, quam qui cum ἱλασμῷ pro synonymo habuerunt, mirum in modum errarunt. Est enim καταλλαγή non dei, sed hominum; est effectus τοῦ ἱλασμοῦ et τῆς ἀφέσεως ἁμαρτιῶν. Postquam enim veniae peccatorum et futurae incolumitatis spem certissimam per Christum nacti sunt homines, nihil obstat, quin ipsi quoque in gratiam cum deo redeant, illaque spe erecti et confirmati, desinant sibi metuere a deo, sed desinant etiam ei adversari. Nam quod ἐχθροὶ τοῖς παραπτώμασι fuerunt, id non eam vim habet, quasi deus, licet ob summam sanctitatem suam neque perversitatem hominum probare, neque salutem, ad quam capessendam minime idonei essent, largiri iis potuerit, iratus iis fuerit, sed quod homines, a virtutis studio alieni, legumque divinarum sanctitati obstrepentes, consiliis, vita, metu suo, divini numinis voluntati adversabantur, et de felici rerum suarum exitu desperabant; quo nihil hominem, πεπραμένον ὑπὸ τὴν ἁμαρτίαν, miseriorem potest reddere. Sed ex illo beneficio, quod Christo acceptum referendum est, sequitur, ut homines possint deo

reconciliari. Praecedit enim ἄφεσις ἁμαρτιῶν, sequitur καταλλαγή· ὅτι θεὸς ἦν ἐν χριστῷ κόσμον καταλλάσσων ἑαυτῷ, μὴ λογιζόμενος αὐτοῖς τὰ παραπτώματα αὐτῶν· nunc hominum officium est, ut in gratiam cum sancto numine ipsi redeant, δεόμεθα οὖν ὑπὲρ χριστοῦ, καταλλάγητε τῷ θεῷ (2. *Cor.* V, 19. 20.) Eodem vero modo δικαίωσις et ἄφεσις ἁμαρτιῶν falso pro synonymis habentur. Nam δικαίωσις universam salutis donationem significat, ἄφεσις ἁμαρτιῶν autem est causa et conditio necessaria, per quam ἡ δικαίωσις contingere potest. Quod quum multa loca doceant, ἄφεσιν ἁμαρτιῶν et δικαίωσιν ut causam et effectum differre, tum ea potissimum, in quibus utraque tempore luculenter distinguuntur, veluti in *Ep. ad Rom.* cap. IV. v. 25. Sed quoniam haec vocabula pro synonymis habebantur, factum est, ut, quum subiici sibi inuicem deberent, iuxta ponerentur, unde non levis rerum gravissimarum perturbatio orta est. Nam ne nunc quidem, in explicanda summa evangelii, de salute humana per Christum divinitus parta et vere consequenda, abstinere illis formulis solent, quae ex vulgata quorundam verborum versione latina ortae ac deinde, postquam ecclesia Romana veram beneficiorum Christi rationem obscuraverat, a nostrae ecclesiae theologis necessitate quadam usurpatae, postea, contra manifestam scriptorum sacrorum sententiam, inter dogmata evangelica receptae et maiori studio quam prudentia defensae sunt, et etiamnum defenduntur. Si quis hodie theologus vere evangelicus impetrare a se possit, ut ad explicandam doctrinam de salute humana verbis propriis, quibus illa verba graeca vere respondeant, utatur, non incertis illis, ambiguis, e versione latina sumtis, *iustitiae, iustificationis, satisfactionis*, eum vero de doctrina evangelica recte constituenda et a plurimis adversariorum obtrectationibus defendenda, optime meriturum esse putamus. Interea sedulo curemus, ut verborum, quibus scriptores sacri in ea doctrina usi sunt, vera vis et sententia rectius intelligatur.

Sed ad alterum genus vocabulorum perveniamus, quae in N. T. falso pro synonymis habentur. Est hoc eorum, quae *statum aut actionem* significant, in quibus explicandis saepe erratur, quum qui a vera verborum grammatica ratione alieni sunt, hi interpretationis suae temeritatem opinata sacrorum scriptorum in dicendo indiligentia excusant, ita ut vocabula, quae actionem significant, sine religione commisceant cum his, quae denotant statum rei, seu conditionem. Quod si quis non magni momenti esse dicat, quoniam in utroque vocabulo ejusdem rei notio imperet, hunc vehementer falli, brevis oratio ostendet. Primum enim diversi generis vocabula sunt, ideoque nullo pacto pro synonymis haberi possunt; veluti si quis creationem et quod creatum est, caedem et mortem, synonyma dicere velit. Deinde, quoniam longe alia est ratio, quum de actione quadam loquimur, quam si statum significamus seu conditionem, quae per illam actionem effecta est, sequitur, multos errores nasci debere, si utriusque generis vocabula pro synonymis habeantur; in quo tam saepe a Lexicographis peccatum est, ut nullo modo dubitemus, quin multorum errorum hunc fontem uberrimum fuisse dicamus. Cujus rei exempla in iis potissimum vocabulis reperiuntur, quae a communi stirpe oriuntur, ut sunt δικαίωσις, δικαιοσύνη et δικαίωμα, et multa alia, quae quum ad rem eandem referantur, male inter synonyma habentur, ideoque ita plerumque explicantur, quasi idem plane sit, Apostoli utrum δικαίωμα an δικαίωσις scripserint. Quod quidem tanto minus ferri potest, quum hujus generis vocabula ad notiones universas pertineant, quibus exprimendis vulgaris sermo vix ac ne vix quidem sufficiebat, ut supra dictum est. In his enim neque frequentius quidquam neque ad sententiam Apostolorum perspiciendam inopportunius accidere potest, quam si vocabula, quibus actio quaedam describitur, cum notione status seu conditionis commisceantur, quod in iis locis, ubi de perversitate homi-

num suae aetatis scriptores sacri loquantur, haud raro factum est.

Tertium denique synonymorum genus, quae in N. T. falso quaeruntur, magis inpeditum est. Complectitur enim ea, quae rem eandem quidem significant, ita tamen, ut ad certas personas, aut tempora aut loca certa spectent, ideoque falso pro synonymis habentur et non satis recte explicantur, quoniam notio quaedam universa iis male subiicitur. Sunt nimirum in libris N. T. vocabula multa, quae de certis tantum personis, aut de tempore locoque certo dicuntur, quibusque notio longe alia inest, licet ad rem eandem referenda sint. Huiusmodi sunt *μετανοεῖν*, *ἐπιστρέφεσθαι*, *ἄνωθεν γεννηθῆναι*, *ἁγιασθῆναι*, *κτισθῆναι*, *ἀνακαινοῦσθαι*, quae, quamquam omnia de emendatione mentis et vitae dicuntur, tamen ita diversam notionem habent, ut pro synonymis haberi non possint. Quaedam enim, ut *μετανοεῖν*, *ἁγιασθῆναι*, communem quidem emendationis notionem subiectam habent; alia autem, ut *ἐπιστρέφεσθαι*, *ἄνωθεν γεννηθῆναι*, de Iudaeorum sentiendi agendique ratione mutanda dicuntur, reliqua et pleraque huius generis omnia, hominum, peccati consortio iam inquinatorum et corruptorum, mores vitamque emendari iubent. Quae quum pro synonymis haberentur, factum est, ut de natura humana renouanda, redintegrande, denuo quasi formanda, ad unum omnia intelligerentur, quum de hominum adultorum et iam corruptorum vita emendanda intelligi deberent. Quae res quantopere totum illum locum perturbauerit, scire omnes et concedere idoneos arbitros existimamus. Quamquam enim non ea nobis mens est, ut negemus, naturam humanam, ad summa a creatore conditam, ope et disciplina spiritus sancti egere, ut supremum finem consequatur, imo concedimus, eam ita comparatam esse, ut quotquot ab Adamo genus ducunt, de rerum suarum felici exitu desperare debeant, nisi ratio-

nem, in libris sacris praescriptam, imo divinitus monstratam, constanter sequantur; hoc tamen apertum esse arbitramur, nunquam tam diras, aut certe leniendas verborum ambiguitate de naturae humanae indole opiniones exstituras fuisse, nisi ea, quae de hominibus iam corruptis dicta essent, ad ipsam naturam retulissent. [illegible] vero nulla alia de causa factum est, quam quod verba, quae de certis tantum hominibus, temporibus locisque dicta erant, tamquam eandem notionem summam referrent, pro synonymis habuerunt. Certe hoc omnes concedent, locum de emendatione humana ita vulgo tradi, ut et de infantibus recens natis et de pessimo quoque homine promiscue sermo esse videatur. Et possemus multa alia huius generis exempla afferre, si huius loci angustiae eorum copiam caperent, aut pluribus opus esset in re perspicua. Haec vero eo consilio disputavimus, ne quis ea, quae in synonymis discernendis committuntur, peccata, levis tantum momenti esse existimaret. Sunt enim sanabilia quidem, quibus aegrotamus, mala, sed latent altius, quam vulgo putantur, neque prius sanabuntur, quam, Luthero auctore, ad veram artis grammaticae subtilitatem redierimus.

Quod ut faciant omnes, qui Evangelio docendo studium vitamque dicarunt, sedulo hortatur ipsa solemnitas, cuius indicendae causa haec pauca scripta sunt. Nihil enim magis in votis habemus, quam ut vera eruditio, severo literarum antiquarum studio nutrita, et in patria nostra, et in hac literarum Universitate perpetuo conservata indiesque felicius exculta, omnia superstitionis et barbariei consilia a doctrina divina fortiter arceat, cuius in lucem protrahendae per Lutherum eo ipso die initia facta sunt, quam proxime more consueto pie celebrabimus.

P. P. Dom. XIX. p. F. Trin. a. Dom. cIↃIↃcccx.

CAP. II.

In explicandis libris vetustis magnam difficultatem e singulorum verborum usu recte observando nasci, inter omnes constat. Nam quum in grammaticis quoque linguae cuiusque legibus non tanta necessitas reperiatur, quin ab iis recedi nonnunquam posse sine vitio videatur, tum maior etiam libertas dicendi in verborum cognatorum usu reperitur; leges enim illae e certis causis ortae sunt, ideoque negligi non possunt, nisi hae ipsae causae sublatae videantur (quamquam multas quoque formas dicendi contra linguae legem rationemque usus introducere solet); singulorum autem verborum usus liberior non certis legibus temperatur, sed plerumque ita consuetudine regitur, ut non tantum diversis temporibus, sed apud eiusdem aetatis scriptores diversissimus sit. Quare recte praeceperunt magistri artis hermeneuticae, post ipsius linguae grammaticam et logicam cognitionem, in libris vetustis explicandis potissimum loquendi usum spectandum esse, quum universum eius linguae, qua liber scriptus est, tum eum, qui cuique fere scriptori proprius esse solet. Quae quidem res, quum per se difficilis sit, tum in iis scriptoribus potissimum, qui a communi isto usu verborum frequentius recesserunt, sive quod non satis imperare linguae didicissent, sive quod rerum, quas tradebant, aut novitas aut magnitudo, eos perduxisset, ut verbis singulis liberius uterentur, ex quorum numero scriptores N. T. esse, omnes norunt. Sed in nullo fere verborum genere maior difficultas est, quam in his, quae synonyma dicuntur, id est in iis,

2

quae licet ad communem quandam notionem referri possint, habent tamen quaeque proprium quendam modum et veluti signum rei, quae cogitatur. Nam in eiusmodi verbis non tantum magnopere cavendum est, ne multa falso pro synonymis habeantur, quod nos ante hos decem annos singulari libello *) demonstravimus, sed etiam verborum, quae vera sunt synonyma, observatio difficillima est, partim propter ipsum usum dicendi, quo propria cuique verbo vis frequenter mutata est, partim quod scriptores sacri, ab omni humanae eloquentiae ambitione alienissimi, suum potius ingenium, divino spiritu incensum, quam in dicendo elegantiam arte quaesitam sequuti sunt. Unde fit, ut, in synonymorum singulorum differentia notanda, magna cautione opus sit, ne in locis singulis aliquid amplius quaeramus, quam ipse scriptor cogitaverit. Sed tamen valde errare nobis videntur, qui in Lexicis N. T. scribendis, synonymorum nullam fere rationem habere solent, sed verba cognatae notionis, vere tamen diversa, notissima illa formula (idem quod) inter ipsa comparare consueverunt. Quamquam enim concedendum est, non in locis omnibus synonymorum discrimen ita urgendum esse, ut in singulorum vi exponenda magnopere argutemur, tamen accurata interpretatio postulat, ut verborum omnium discrimina diligentissime observemus, ne si quo loco diversa cogitari scriptor voluerit, certa ratione destituamur, et ambiguis versionibus obscuriorem etiam sententiam scriptoris reddamus. Itaque post diuturnam de hoc argumento meditationem operae pretium facturi nobis videmur, si Lexici synonymici N. T. specimen quoddam ediderimus. Sed eligemus verba, quorum ratio ab horum festorum dierum religione minime aliena est. Spectant enim omnia ad eam animi humani indolem, quae per Spiritum sanctum divinitus efficienda

---

*) Progr. *de Synonymis in N. T. rectius diiudicandis* a. 1810.

est. Sunt autem haec: ἀγαθός· δίκαιος· ἅγιος· ἁγνός· ὅσιος· ἱερός· καθαρός· ἀκέραιος· ἁπλοῦς· ἄκακος· ἄμεμπτος· ἄμωμος· ἀνεπίληπτος, cum suis substantivis. Vident omnes, in his verbis communem quandam notionem inesse, ad quam referri potest, quidquid praestantiae moralis ab homine desideratur; sed in singulis tamen esse differentiam modi, quo illa praestantia cogitatur. Possunt enim fere omnia de eodem homine dici, sed tamen alium cogitamus eundem hominem, si hoc aut alio nomine eum compellemus. Sed inter se quoque differunt ratione cogitandi naturae praestantiam; ideoque totum agmen in suas classes dividemus.

ἀγαθός· δίκαιος.

ἀγαθός et δίκαιος conveniunt, quod utrumque dicitur de re aut persona, quae recte se habet ratione alterius, ita ut talis sit, qualem quisque eam esse velit et quasi iure suo postulet. Sed differunt tamen. Nam in v. ἀγαθός cogitatur *bonum*, seu commodum, quod ex re aut persona bona nascitur; sed δίκαιον est, quod tale est, quale esse oportet, nulla ratione habita, utrum commodum an malum afferat.

Est enim δίκαιος, qui τὴν δίκην servat. Itaque deus est κριτὴς δίκαιος (2 Tim. IV, 8.) quoniam ἀποδώσει ἑκάστῳ κατὰ τὰ ἔργα αὐτοῦ. Sed ἀγαθόν dicitur, quod aliquo modo prodest alicui eiusque commodis inservit. δόματα ἀγαθά Matth. VII, 11. δένδρον ἀγαθόν Matth. VII, 17. γῆ ἀγαθή Luc. VIII, 8. δοῦλος ἀγαθός Matth. XXV, 21. 23. (est enim πιστός) δεσπόταις ἀγαθοῖς 1 Petr. II, 18. col. Tit. II, 5. Hinc opponuntur sibi ἀγαθοὶ καὶ πονηροί. Matth. V, 45. et al. Nam πονηροί aliis πόνους faciunt. Neque differt Matth. XXII, 18. συνήγαγον πονηρούς τε καὶ ἀγαθούς. Male enim vertitur: homines bono malove genere natos. Nam *indigni* vocati erant, ut paroemiae sententia docet. Fuisset enim absurdum et iniquum, promiscue vocare cuiusvis conditionis homines, ac deinde, postquam convenissent, cum gravi obiurgatione foras

eiicere eos, qui essent inferioris conditionis. Itaque Rom. VII, 12. ἡ ἐντολὴ dicitur δικαία καὶ ἀγαθή: δικαία quidem, quia nihil, nisi quod iustum est, praecipit, οὐκ ἐπιθυμήσεις, sed ἀγαθή, quia spectat felicitatem hominum, quibus lata est (v. 13.). Eodem modo sibi opponuntur Rom. V, 7. μόλις γὰρ ὑπὲρ δικαίου τις ἀποθανεῖται· ὑπὲρ γὰρ τοῦ ἀγαθοῦ τάχα τις καὶ τολμᾷ ἀποθανεῖν. *Nam pro homine, qui omni culpa caret, vix quisquam moriatur* (non est enim necesse, ut a periculo κρίσεως liberetur) *quamquam pro homine benefico* (Matth. XX, 15.) *non dubitaverit quis mori.*

Itaque δίκαιος latius patet, quam ἀγαθός. Nam δίκαιος est, qui recti et honesti legem sequitur, sive bene aliis, sive male faciat; sed ἀγαθός est, qui commodum aliis praestat, nam etiam οἱ πονηροὶ possunt nonnunquam δόματα ἀγαθὰ διδόναι. Matth. VII, 11. Sed quia lex honesti postulat, ut si liceat et fieri possit, omnibus benefaciamus, neque iure nostro semper utamur, in quo vera probitas *(Rechtschaffenheit)* cernitur, δίκαιοι etiam dicuntur, qui quaeque humanitatis officia praestant, non tantum, qui iustitiam servant. Itaque δίκαιος in N. T. non tantum is dicitur, qui iuste agit, qui culpa caret, Rom. III, 10. (Christus Act. III, 14. VII, 52. 1 Petr. III, 18.), sed etiam, qui benignus, lenis, aequus et clemens est. Sic Iosephus Matth. I, 19. δίκαιος dicitur, quoniam nolebat sponsam ignominiae publicae exponere, et ipse deus, quia dat veniam peccatorum. Rom. III, 26. 1 Ioh. I, 9. Putant quidem plerique, hanc τοῦ δικαίου significationem in N. T. ortam esse ex sermone Hebraeorum, apud quos צדיק saepe idem denotet quod חסיד. Sed etiam apud Graecos δίκαιος non tantum iustus dicitur, qui ius servat, et, quod lex postulat, constanter facit, sed etiam qui reliqua humanitatis officia observat. Nam qui τὴν δίκην servat in rebus omnibus, is etiam aequum se praestat, neque modum excedit, est lenis, ubi puniendi causam habet, est misericors, ubi misero, vel suo ipsius incommodo, succurrendum est. Etenim ἡ δίκη non ma-

gis postulat, ut suum cuique ius tribuamus, in quo iustitia civilis cernitur, quam ut cuique largiamur, quantum ei salva iustitia tribuere possimus; nam discrimen iustitiae et aequitatis ex doctrina de officiis prorsus tollendum est. Et quia notio τῆς δίκης ex eo oritur, quod aequa ratione res divisa est, δίκαιος recte dicitur, et qui ius fasque servat, et qui facit, quod honestum et aequum postulat. Recte Ruhnkenius ad Xenoph. Memor. IV, 4. 5. δίκαιος, inquit, *dicitur de re vel de persona, in qua nec abundat aliquid, nec deficit, quae muneri suo par est, numeris suis absoluta. Huic notioni affinis est altera, qua δίκαιον dicitur, quod omnibus partibus aequabilitatem servat.* Hinc apud Xenoph. Cyrop. II, 2. 15. ἅρμα dicitur non δίκαιον futurum, ἀδίκων ἵππων συνεζευγμένων, i. e. currum non aequabilem cursum servaturum, si equi aut robore aut velocitate inaequales iuncti sint. Quare δίκαιος saepe significat, quod aptum et idoneum est, ut γῆ δικαία apud Polluc. I, 227. (et γήδιον δικαιότατον Xenoph. Cyrop. VIII, 3. 15.) non est fertilissima, sed iustissima terra (Virgil. Georg. II, v. 447.) i. e. aptissima ad fructus proferendos. Nam etiam Romani sic dicunt iustum, ut nos *gerecht,* quod aptum est et idoneum, quia in eo neque abundat quidquam nec deficit. Iudaei autem, quorum mens illius civilis tantum iustitiae notione imbuta erat, quum divinae gratiae beneficia exposcerent, iustitiam potissimum affectabant, sed ab illa sensus moralis sublimitate alienissimi erant, quam in illo Domini dicto admiramur, qui solum Deum ἀγαθόν esse dixit, tamquam summum bonum s. optimum maximum. Ergo in v. δίκαιος notio iusti, recti, aequi imperat, in v. ἀγαθός notio boni s. utilitatis.

ἅγιος· ἁγνός· ὅσιος· ἱερός· ἀμίαντος· καθαρός.

Conveniunt in eo, quod mentis puritatem, animique castitatem s. integritatem denotant. Differunt igitur a δίκαιος et ἀγαθός, nam in his ratio agendi potissimum spectatur. Potest enim nonnunquam δίκαιος esse

vel ἀγαθός, qui minime ἅγιος et ἁγνός fuerit. Sed differunt tamen haec verba inter se modo diverso, quo illa animi integritas cogitatur.

ἅγιος et ἁγνός, quamquam ab eodem fonte manarunt, tamen usu differunt. Nam in ἁγνός proprie cogitatur, rem vel personam esse puram, aut corpore aut animo; sed in v. ἅγιος cogitatur potissimum verecundia, quae tali rei vel personae debetur. ἁγνός proprie corporis munditiem denotat, deinde, ut pleraque eius generis alia, ad animum translatum, mentis puritatem significat. ἁγνόν est, in quo nihil est impuri. Euripid. Orest. v. 1604. ἁγνὸς γάρ εἰμι χεῖρας· ἀλλ' οὐ τὰς φρένας. Hippolyt. v. 316. 317. ἁγνὰς μὲν, ὦ παῖ, χεῖρας αἵματος φέρεις; Χεῖρες μὲν ἁγναὶ, φρὴν δ' ἔχει μίασμά τι. Inprimis de castitate dicitur, quasi purus a Venere, 2 Cor. XI, 2. Tit. II, 5. (Plato de Legg. VIII. p. 647. E. μέχρι μὲν παιδογονίας ἠΐθεοι, καὶ ἀκήρατοι γάμων τε ἁγνοὶ ζῶσιν. Apud Homerum dearum epitheton est, sed tantum in Odyssea.) Hinc ἀναστροφὴ ἁγνή 1 Petr. III, 2. est vita pura, nullis sceleribus contaminata, et 1 Tim. V, 22. σεαυτὸν ἁγνὸν τήρει (praecesserat μηδὲ κοινώνει ἁμαρτίαις ἀλλοτρίαις.) 2 Cor. VII, 11. κατεστήσατε ἑαυτοὺς ἁγνοὺς εἶναι ἐν τῷ πράγματι, non est, ut contra rationem linguae a nonnullis vertitur, probastis, vos esse *puros ab hoc scelere*, (non dicitur enim, ἁγνὸς ἐν τινι, sed ἁγνός τινος et ἁγνός τι) sed, probastis in hoc negotio, *vos esse integros.* Itaque (1 Ioh. III, 3.) Deus ipse ἁγνός dicitur, quoniam purus est ab omni scelere, et Iacobi III, 17. ἡ ἄνωθεν σοφία ἁγνή vocatur, quia et ipsa purissima est, et quoniam is, qui ea imbutus est, mentem puram habet. Inepte enim quidam explicant: quae postulat redditque puros. Ergo in ἁγνός cogitatur potissimum hoc, abesse omnem impuritatem.

Sed ἅγιος ita potius usurpatur, ut cogitetur esse, quod veneratione dignum sit et verecundiam postulet. Quamquam enim etiam ἁγνός de rebus sacris aliquoties dicitur, (ut ἑορτὴ ἁγνή Odyss. φ. v. 259. nam res sacras

maxime oportebat ab omnibus sordibus puras esse); tamen ἅγιος potissimum illam *sanctitatis* notionem usu occupavit. Plerumque enim fit, ut verba, quae fontem communem habent, ut rem eandem denotare videantur, tamen abeant in diversas significationes, ita ut veluti suum quodque imperium proprium habeat. Cuius rei ratio non potest semper in verborum forma diversa quaeri, sed saepissime consuetudine constat. Veluti nulla causa est in diversa verborum formatione, cur σαρκικός et σάρκινος differant sic, ut σαρκικόν sit, quod indolem carnis habet, (etiamsi non constet carne), sed σάρκινον, quod ex carne, tamquam materia, compositum est (nam πνευματικός utrumque denotat, et quod spiritu constat, et quod indolem spiritus habet), et tamen nullo exemplo demonstrari poterit, σάρκινον esse, quod indolem et naturam carnis habeat, ideoque probari non potest codicum quantumvis multorum lectio Rom. VII, 14. ἅγιον igitur de mentis castitate, quam sanctitatem postea theologi dixerunt, rarissime aut nunquam a scriptoribus graecis dicitur, imo id, quod diis sacrum sanctumque est, constanter denotat. Sed in libris N. T. etiam de morum sanctitate dici, non mirandum est. Constat enim, quantam munditiei curam in rebus sacris Iudaei adhibuerint. Sacrum esse non poterat, quod aliquo modo pollutum videretur. Hinc etiam in v. hebr. קדש cognatae insunt puritatis et sanctitatis notiones, quod luculenter apparet ex Levit. XI, 43. 44. (coll. 1 Petr. I, 16.) Deut. XXIII, 14. 2 Sam. XI, 4. Exod. XIX, 22. 2 Chron. V, 11. Ies. LXVI, 17. Errant igitur, qui primitivam τοῦ ἁγίου notionem esse dicunt, quod sit a vulgari et profano usu segregatum et ad peculiares usus consecratum. ἅγιος est, qui sacer est; sacer autem esse non potest, qui immundus est. Hinc varius usus in N. T. bene potest explicari. Et in ea quidem significatione, quae huic verbo usu Graecorum quasi propria est (ut ἅγιος sit sacer, quem laedere aut contemnere nefas est), dicitur de rebus aut personis deo sacris. Rom. XI, 16. ἡ

ἀπαρχὴ ἁγία, Luc. II, 23. ἅγιον τῷ κυρίῳ κληθήσεται; de prophetis Luc. I, 70. Act. III, 21. 2 Petr. I, 21. de sacerdotio 1 Petr. II, 5. de apostolis Eph. III, 5. 8. de angelis Matth. XXV, 31. 1 Thess. III, 13. de locis Act. VII, 33. potissimum de urbe Hierosol. Matth. IV, 5. et de templo Act. IX, 13. inprimis vero de Christianis saepissime (ut קדישין Dan. VII, 21. VIII, 24.). Deinde est venerandum, omnique honore prosequendum, inprimis de deo. Apoc. IV, 8. Ioh. XVII, 11. Luc, I, 49. ἁγιὰ γραφή Rom. I, 2. διαθήκη ἁγία, quam nefas fuerit violare, Luc. I, 72. 1 Cor. III, 17. Denique adiecta puritatis cogitatione, aliquoties denotat id, quod labe et vitiis, quasi sordibus, caret. 1 Petr. I, 15. 1 Ioh. I, 20. Marc. VI, 20. ἄνδρα δίκαιον καὶ ἅγιον. Eph. I, 4. ἁγίους καὶ ἀμώμους. 1 Cor. VII, 34. 2 Petr. III, 12. Et 2 Petr. II, 21. ἐντολὴ ἁγία dicitur, non quia efficit sanctos, sed quia ipsa sancta est, quam nefas est violare. Idem fere est, quod 2 Tim. I, 9. κλῆσις ἁγία dicitur. Nam quum in voc. κλῆσις insit notio invitandi ad aliquam rem, sequitur, ut, si adiectivum addatur, intelligatur res, ad quam facta est invitatio. Itaque κλῆσις ἁγία non est vocatio, quae sanctos facit, aut pietatis invitamenta continet (minime omnino ipsa doctrina christiana) sed ipsa ad sanctitatem vitae vocatio: nam quibus ista κλῆσις contigit, hi invitati sunt, ut sint ἅγιοι. Sic Hebr. III, 1. κλῆσις ἐπουράνιος. Est enim κλῆσις quaecunque vocatio. Neque obscura est ratio cur ἅγιον in N. T. constans fere sit epitheton spiritus divini. Additur quidem non omnibus locis, ubi τὸ πνεῦμα divini quid significat. Nonnunquam simpliciter πνεῦμα dicitur, ut Luc. XI, 31. 1 Cor. II, 4. 1 Tim. III, 16. 1 Petr. III, 18. Ioh. III, 43. aut additur θεοῦ ut Matth. XII, 28. 1 Cor. VII, 40. vel τοῦ πατρός Matth. X, 20. coll. Luc. XII, 12. Sed ubi additur, πνεῦμα aut de re quadam divinitus effecta dicitur, aut causam ipsam denotat, per quam illa res effecta est. In utroque autem locorum genere verissime ἅγιον τὸ πνεῦμα dicitur, non solum, quod est a deo, sed quod est ipsum

natura sua divinum ideoque totum purum, sanctum et venerabile.

ὅσιος magis convenit cum ἁγνός, ut ἱερός cum ἅγιος, sed tamen differunt. Nam ὅσιος proprie est purus ab omni scelere, qui nullum nefas commisit, sed omne fas (τὸ ὅσιον) religiose servat. Ergo non quamcunque integritatem denotat, sed pietatem potissimum et religionem in servandis officiis pietatis; ὅσιος est *pius*. Quare ὅσιον et δίκαιον ita iungi solent, ut illud fas, hoc ius denotet; ut apud Sophoclem οὐ θέμις οὐδ' ὅσιον· et apud Iosephum A. I. VIII, 9. 1. καὶ τῶν δικαίων καὶ ὁσίων ἔργων· apud Charit. I, 10. πρὸς ἀνθρώπους δίκαια καὶ πρὸς θεοὺς ὅσια. Schol. Euripid. Hec. v. 788. ὅσιος est ὁ περὶ τὰ θεῖα δίκαιος. Sic Tit. I, 8. Recte Paulus 1 Tim. II, 8. iubet ἐπαίρειν ὁσίους χεῖρας, i. e. quae nullum nefas commiserunt, nam verissime Xenophon dixit (Ages. 11, 2.) τοὺς θεοὺς οὐδὲν ἧττον ὁσίοις ἔργοις ἢ ἁγνοῖς ἱεροῖς ἥδεσθαι. Ipse deus in N. T. ὅσιος dicitur, veluti sanctus, quem violare nefas est. Apoc. XVI, 5. Act. II, 27. τὰ ὅσια sunt, vel quae fas est facere, vel quae non facere nefas est, pietatis officia. Sed singulari sensu occurrit Act. XIII, 34. ὅτι δώσω ὑμῖν τὰ ὅσια Δαβὶδ τὰ πιστά. Plerique interpretes recurrunt ad hebr. חסיד, quod quum ab Alexandrinis aliquoties reddatur ὅσιος, in hoc loco τὰ ὅσια Δαβίδ dicunt esse beneficia Davidi a Deo promissa, ex Ies. LV, 3. Sed nunquam demonstrabunt, ὅσια esse beneficia. Loquitur Paulus de re quadam, quam eventuram esse Davides praedixerat Psalmo XVI, v. 10. οὐ δώσεις τὸν ὅσιόν σου ἰδεῖν διαφθοράν. Hanc rem verbis Iesaiae appellat τὰ ὅσια Δαβίδ. Est autem apud Iesaiam sermo de foedere, quod deus facturus esset cum populo Iudaico; hoc foedus appellatur ὅσια Δαβίδ, quoniam factum erat proprie cum Davide: ὤμοσα Δαβίδ, ἕως τοῦ αἰῶνος ἑτοιμάσω τὸ σπέρμα σου Ps. LXXXIX, 3. 4. Itaque τὰ ὅσια Δαβίδ nihil aliud sunt, quam foedus factum cum Davide, qui tunc erat caput gentis Iudaicae. Docent hoc ipsa verba Iesaiae, quibus Paulus isto loco

utitur: καὶ διαθήσομαι ὑμῖν διαθήκην αἰώνιον, τὰ ὅσια Δαβὶδ τὰ πιστά. Posterioribus explicatur, de quonam foedere sermo sit. τὰ ὅσια πιστά idem sunt, quod ὅρκια πιστά apud Homerum. Sed redeamus ad rem nostram. Ἱερόν enim proprie est, quod numini consecratum est, quasi missum deo seu permissum. Unde ἀνίεσθαι est consecrari, ἄφετοι, qui consecrati sunt, plerumque de animalibus, quae, deo consecrati, libero pastu vagantur. (*Synes.* ep. 57. ὥσπερ ἐν ἱερῷ περιβόλῳ τῷ κόσμῳ ζῶον ἄφετον, ἀνειμένον ζῶν). Itaque in v. ἱερός, quod recte vertitur *sacer*, proprie nihil aliud cogitatur, quam quod res quaedam aut persona deo sacra sit, nulla ingenii morumque ratione habita, inprimis quod sacris inservit, ut de templo in N. T. et de sacris ipsis 1 Cor. IX, 13. uti sexcenties apud Homerum aliosque. De moribus non dicitur in N. T., sed hoc sensu, qui deo sacri sunt, ἅγιοι vocantur. vid. Vales. ad Harpocrat. p. 148. Valckenar. ad Ammon. p. 184. s. et VV. DD. ad Hesychium v. ὁσίους. Taylor. ad Aeschin. p. 50. s.

Καθαρός itidem de mente et vita, pura a scelere, dicitur, nonnunquam etiam de rebus, quibus non polluunt se, qui utuntur, ut Luc. XI, 41. Matth. XXIII, 19. Rom. XIV, 20. Tit. I, 15. Hebr. X, 22. Hinc καθαρόν est, in quo nihil admixtum est sordium, aut improbitatis. Matth. V, 8. καθαρὰ συνείδησις 1 Tim. III, 9. θρησκεία καθαρά Iac. I, 17. Ergo καθαρός etiam de munditie mentis dicitur quidem, ut ἁγνός, sed differt tamen. Nam in καθαρός proprie cogitatur, nihil admixtum vel adiectum esse alienum, quod usui sensibusue officiat, et rem aut personam incommodam reddat, veluti sordes, odores, colores, res inutiles quaecunque etc. Egregie hoc illustrant praeclara Cyri moribundi verba apud Xenoph. Cyrop. VIII, 7. οὐδέ γε ὅπως ἄφρων ἔσται ἡ ψυχὴ, ἐπειδὰν τοῦ ἄφρονος σώματος δίχα γένηται, οὐδὲ τοῦτο πέπεισμαι· ἀλλ' ὅταν ἄκρατος καὶ καθαρὸς ὁ νοῦς ἐκκριθῇ, τότε καὶ φρονιμώτατον εἰκὸς αὐτὸν εἶναι. Et quemadmodum Xenoph. Oecon. 10, 7. καθαρὸν σῶμα dixit

corpus, non quod a sordibus, sed quod ab omni falso ornatu purum sit, ita Iacobo l. c. *θρησκεία καθαρά* dicitur, in qua nihil falsi admixtum est. Proxime cognatum est *ἀμίαντος*, quod in hoc ipso Iacobi loco cum *καθαρός* coniungitur conf. Hebr. XIII, 4. Sed nisi differrent, non iuxta ponerentur. Scilicet qui *καθαρός* est, eum etiam *ἀμίαντον* esse oportet; nam nisi esset intaminatus, non *καθαρός* dici posset; itaque in *ἀμίαντος* causa cogitatur, cur sit *καθαρός*. Latius patet igitur *καθαρός* quam *ἁγνός*: in hoc necessaria est cogitatio immunditiei; sed *καθαρόν* omne id dici potest, cui nihil alieni admixtum est, sive bonum id per se, sive malum sit. *ἁγνόν* est, quod nulla re, per se prava contaminatum est; sed vinum, aqua vel purissima mixtum, *καθαρόν* dici non potest. Qui *ἁγνός* est, is etiam *καθαρός* est, sed multum abest, ut omnes *καθαροί* sint etiam *ἁγνοί*.

Possunt igitur haec quinque vocabula, de quibus dictum est, si de animo vitaque hominis dicuntur, hoc fere modo discerni. *Καθαρός* est purus a quacunque re, quae naturam eius rei, cui admixta est, mutet vel corrumpat; *ἁγνός* purus ab omnibus animi sordibus; sed *ὅσιος* est purus a scelere seu facto impio, *ἅγιος*, qui ob morum mentisque integritatem deo sacer esse potest (venerandus), denique *ἱερόν* quodcunque sacrum est deo. *καθαρός* est *purus*, integer, *ἁγνός castus*, mundus, sceleris purus, *ὅσιος pius*, *ἅγιος sanctus*, *ἱερός sacer* deo.

ἀκέραιος· ἁπλοῦς· ἄκακος.

Conveniunt, quod animi simplicitatem quandam denotant; sed tamen differunt.

Nam *ἁπλοῦς* proprie est, in quo nihil est compliciti, perplexi, quasi plicis carens, ideoque planus et apertus. Recte igitur Matth. VI, 22. et Luc. XI, 34. *ὁ ὀφθαλμὸς ἁπλοῦς* dicitur, quasi *ὀρθῶς βλέπων*, neque habens distractam aciem. Opponitur *ὀφθαλμὸς πονηρός*, id est, qui non praestat officium recte videndi, quoniam non *ὀρθῶς βλέπει*, sed *διεστραμμένως*. Sic animus, qui in di-

versas partes trahitur (θεὸν καὶ μαμμωνᾶ) officio suo non recte fungitur; sed qui unum tantum, tamquam finem bonorum appetit et sequitur, is etiam quod vult assequitur. Est enim in v. ἁπλοῦς notio cognata τοῦ· ὀρθὸς καὶ εὐθύς. Simplex est ὁ ἁπλοῦς, quoniam in eo non cogitatur quidquam plexi et intricati. Apud Platonem, Hipp. Min. 230. E. iunguntur ἁπλοῦς καὶ ἀληθής, opposita sunt πολύτροπος καὶ ψευδής. Themistius Orat. XXII. amicitiae tribuit βλέμμα ἁπλοῦν καὶ γενναῖον. p. 281. B. Hinc neque mirandum est, quod saepissime iungantur ἁπλοῦς et liberalis: 1 Tim. 56. 178. ἁπλοϊκὸν καὶ τῶν ὄντων κοινωνικόν. (Lucian. γενναῖος, ut apud Horatium Ep. II, 2. v. 193. *simplex hilarisque*; apud Tacitum Hist. Lib. III, c. 86. inerat tamen *simplicitas et liberalitas.*) Hoc sensu etiam ἁπλότης dicitur in N. T. Rom. XII, 8. 2 Cor. VIII, 2. IX, 11. Denotat enim candorem animi hominis ingenui et sinceri.

Sed ἀκέραιος est proprie, qui pluribus rebus, tamquam partibus non mixtus est. Quamquam enim huius v. origo incerta videri potest, quoniam frequenter commiscetur cum ἀκήρατος, dubitari tamen non potest, propriam eius significationem eam, quam diximus, fuisse. Legitur apud *Timaeum:* ἀκήρατοι· οἱ καθαροί. ἀκέραιοι οἱ ἔξω κηρός. Recte quidem, nam qui ἀκέραιος est, is etiam ἀκήρατος dici potest, quoniam nulla mixtione corruptus est, et vicissim ἀκέραιος dici potest ὁ ἀκήρατος, quoniam corruptus esset, nisi esset καθαρός. Vide Ruhnken. ad h. l. Itaque utrumque verbum de eadem re, eodemque sensu saepius adhibetur. Sic apud Euripidem Orest. v. 574. et Helen. v. 48. in eadem loquutione permutantur. Idem enim λέχος Menelai uno loco ἀκήρατον, altero ἀκέραιον servatum esse dicitur. Sed hinc non sequitur, ἀκέραιον idem quod ἀκήρατον significare. Aliud est enim, duo vocabula de eadem re mutuo dici posse, quoniam, cui unum convenit, ei etiam plerumque convenit alterum, aliud autem, duo vocabula idem significare. In quo discrimine negligendo a Lexicographis N.

T. saepissime peccatum est. Sed redeamus. Ἀκέραιος igitur, quum de animo dicitur, significat simplicem, cui nihil mali falsive admixtum est. Euripid. Orest. v. 919. Ξυνετὸς δὲ, χωρεῖν ὁμόσε τοῖς λόγοις θέλων, Ἀκέραιος, ἀνεπίληπτον ἠσκηκὼς βίον· plane ut Matth. X, 16. φρόνιμοι ὡς αἱ ὄφεις, καὶ ἀκέραιοι ὡς αἱ περιστεραί. (conf. Schol. ad Phoen. v. 950.) Et Rom. XVI, 19. σοφοὺς μὲν εἰς τὸ ἀγαθὸν, ἀκεραίους δὲ εἰς τὸ κακόν, i. e. prudentes in rebus honestis, sed carentes malitia. Phil. II, 15. ἄμεμπτοι καὶ ἀκέραιοι.

Denique ἄκακος est, qui, quum ipse ab omnibus pravis consiliis (κακίᾳ) liberrimus sit, neque ab aliis mali quid timere solet, quem simplicem vulgo dicunt. Nam utrumque in eadem notione inest, est enim ἄκακος, et qui ipse nihil mali animo struit, et qui nihil mali ab aliis metuit, quoniam ipse minime malus est. Vid. Ruhnken. ad Tim. V. ἄκακος. Ergo non quamcunque animi simplicitatem denotat, sed ingenuam illam, quae ex mentis integrae libertate a suspicionibus oritur. Sic Rom. XVI, 18. ἐξαπατῶσι τὰς καρδίας τῶν ἀκάκων. Tales enim homines facillime decipiuntur. (Plato Alcib. II. p. 81. Bip. οἱ μὲν μεγαλοψύχους [καλοῦσιν] οἱ δὲ εὐήθεις. ἕτεροι δὲ ἀκάκους καὶ ἀπείρους καὶ ἐνέους.) Quamquam etiam priori significatione nonnunquam dicitur, ut denotet hominem ab omni malitia alienum. Hebr. VII, 26.

Ergo ἁπλοῦς est animus, qui ab omni veluti duplicitate liber est, ἀκέραιος, cui nihil falsi admixtum est, ἄκακος, qui caret omnibus malignis suspicionibus. ἁπλοῦς est planus, apertus, sincerus, ἀκέραιος integer, ἄκακος ingenuus; sed omnes simplices sunt.

ἄμεμπτος· ἄμωμος. (ἀνεπίληπτος· ἀνέγκλητος.)

ἄμεμπτος et ἄμωμος dicuntur quidem de eo, qui reprehensione caret; sed differunt tamen. Nam ἄμεμπτος proprie est is, in quo nihil desiderari potest, ἄμωμος, in quo nihil, est quod reprehendas. Uterque a reprehensione liber est, ille, quod perfectus est et suis nume-

ris absolutus, hic quod vitio caret. Hinc lex ἄμεμπτος Hebr. VIII, 7. est lex, quae reprehendi non potest, quoniam nihil in ea iure desiderari potest, sed omnia legis officia praestat. Contra 1 Petr. I, 19. legitur ὡς ἀμνοῦ ἀμώμου καὶ ἀσπίλου Χριστοῦ, quippe quod omnis labis expers fuit. ἀμώμους καὶ ἀνεγκλήτους Col. I, 22. Nec differt in loco difficillimo Hebr. IX, 14. ὃς διὰ πνεύματος αἰωνίου ἑαυτὸν προςήνεγκεν ἄμωμον τῷ θεῷ, ubi non de perfecta expiatione, in qua nihil desit, cogitandum esse, tota oratio ostendit. Imo sententia Apostoli, nisi fallimur, haec est: ab omnibus animi sordibus purgare nos debet sanguis Christi, qui διὰ πνεύματος αἰωνίου (i. e. per δύναμιν ζωῆς ἀκαταλύτου, Hebr. VII, 16.) se ipsum obtulit victimam, omni macula carentem, intaminatam. Et Eph. V, 27. ecclesia ἁγία καὶ ἄμωμος dicitur, ἡ μὴ ἔχουσα σπῖλον ἢ ῥυτίδα ἤ τι τῶν τοιούτων. Nam μῶμος proprie dedecus est, seu vitium, quod in oculos incurrit. Sed in voc. ἄμεμπτος proprie cogitatur is, qui reprehendi non potest, quia nihil ei deest, quod si abesset, iure is reprehendi posset. Itaque 1 Thess. V, 23. optat Paulus ut τὸ πνεῦμα ὁλόκληρον, τὸ δὲ σῶμα ἀμέμπτως τηρηθείη ἐν τῇ παρουσίᾳ τοῦ κυρίου, et cap. II, v. 10. ὁσίως καὶ δικαίως καὶ ἀμέμπτως ὑμῖν τοῖς πιστεύουσιν ἐγενήθημεν. In sequ. versu dicit, se nulli Christianorum defuisse. Fit enim ἀμέμπτως, quod ita fit, ut non minus, quam par erat, factum videatur: ut ἀμέμπτως δῶρα διδόναι, Xenoph. H. G. I, 1, 10. ἀμέμπτως δέχεσθαι τοὺς ἄνδρας Cyrop. IV, 2. 18. ἄμεμπτον δεῖπνον Sympos. 2, 2. Quamquam ἄμεμπτος utroque modo nonnunquam dicitur, inprimis apud scriptores atticos, etiam in reprehensionis signis adhibendis, magis quam reliqui, urbanos. Hi enim altero voc. rarissime utuntur, quia magis etiam laudari videtur, in quo non tantum nihil vitii inesse cogitetur, sed neque desit quidquam, quod ullo iure possit desiderari.

Cognata sunt ἀνέγκλητος καὶ ἀνεπίληπτος. ἀνέγκλητος est, qui non accusatus est, aut accusari ab aliquo potest,

sed 1 Tim. III, 2. dixerat *ἀνεπίληπτον*, quia vult esse eum, in quo nulla *iusta* causa sit reprehensionis. Sed v. 10. *ἀνέγκλητον* dicit, i. e., qui in *δοκιμασίᾳ*, *in der öffentlichen Umfrage*, non est accusatus. Nam mos fuit, etiam tempore Apostolorum, ministrum consensu ecclesiae s. populi constituere. Ergo interrogabatur populus, an quid reprehendendum in eo esset, si *ἀνέγκλητος* erat, constituebatur. Est haec verissima observatio Grotii de imperio summar. potest. circa sacra cap. 10. §. 8. *ἀνεπίληπτος*, i. e. qui nullam in agendo locum dat reprehensionis, *μὴ παρέχων κατηγορίας ἀφορμήν*. (Schol. Thucyd. V, 17.) Sic 1 Tim. III, 2. *δεῖ τὸν ἐπίσκοπον ἀνεπίληπτον εἶναι*, VI, 14. iunguntur *ἄσπιλον καὶ ἀνεπίληπτον*. Est enim *ἀνεπίληπτος*, quia *ἄσπιλος* est. Differt autem ab antecedentibus. Nam ut *ἄμεμπτοι* et *ἄμωμοι* sunt, qui non reprehenduntur, ita *ἀνεπίληπτος*, qui non dignus est reprehensione, etiamsi reprehendatur. Lucian. Pisc. 8. Tom. I. p. 377. homo reprehensus et accusatus, quum in eo esset, ut se defenderet, dicit: *εἰ μέν τι ἀδικῶν φαίνωμαι — ἢν δὲ καθαρὸς ὑμῖν καὶ ἀνεπίληπτος εὑρίσκωμαι*. Ceterum non mirandum est, haec verba saepius promiscue poni: nam plerumque ipsa reprehensio tantum spectatur, non aestumata causa reprehensionis; pauci sunt *ἄμεμπτοι* et *ἄμωμοι*, sed paucissimi *ἀνεπίληπτοι*. Sed de his quidem hactenus.

Vos autem, Cives Carissimi, etiam atque etiam rogamus, et hortamur, ut istorum verborum sensum vita moribusque Vestris declaretis, omnique studio efficiatis, ut divino beneficio non tantum reprehensionem aliorum fugiatis, sed etiam *ἀνεπίληπτοι* sitis iudicio dei. Agite igitur et his diebus potissimum de istis spiritus divini donis parandis diligentius cogitate. Aderit opportuna occasio, quam ut indiceremus vobis hanc prolusionem scripsimus.

P. P. Dom. Exaudi a. Dom. CIↃIↃCCCXX.
in Univ. Lips.

CAP. III.

Quum nuper de synonymis nonnullis, in N. T. obviis, exponerem, dixi, non in locis omnibus discrimen synonymorum ita urgendum esse, ut in singulorum vi explicanda magnopere argutemur, sed tamen accuratam interpretationem postulare, ut omnium verborum discrimina diligentissime observemus, ne, si quo loco scriptor diversa cogitari voluerit, certa ratione destituamur. Quae verba si quis, a linguarum elegantiori cognitione alienus, in suam sententiam torquere voluerit, verendum est, ne is totam de synonymis disputationem supervacaneam esse dicat. Nam si ipsi scriptores sacri verbis synonymis saepius promiscue usi sunt, neque multum differt locis plurimis, sive hoc aliove synonymo usi fuerint, vix operae pretium esse videtur, de singulis accuratius disputare. Et sunt sane haud pauci, qui sermonis elegantiam in eo quaerant, quod non eodem verbo saepius utantur, sed verba similia permutent, ne idem vocabulum in eadem periodo et pagina recurrat; quamquam elegantissimorum scriptorum exemplum eos monere potest, veram elegantiam in eo cerni, quod aptissimum suo quodque loco verbum ponamus. Nam qui accurate scribunt, hi ne particulis quidem promiscue utuntur, quantumvis leve earum discrimen videatur; sed idem verbum saepius eodem loco repetere non dubitant, si eadem sententia exprimenda est: sunt enim nulla fere in aliqua lingua verba, quae idem plane significant. Sed quum plerique in ea opinione versentur, ut scriptores N. T., minus quippe elegantes, plerisque

verbis similibus promiscue usos esse putent, concedimus quidem, non in omnibus locis vim synonymorum urgendam esse, ut emphasin quandam quaeramus, aut singularum vocum discrimina curiosius notemus amplificandae sententiae causa, quod in nullo, ne elegantissimo quidem, scriptore licet facere: sed tamen in iis potissimum scriptoribus, qui non studiosius verba elegisse videntur, magis etiam necessariam synonymorum observationem esse arbitramur. Homines enim, qui multa scribendo stylum exereuerunt, seligere verba solent, quibus orationem suam distinguant, ideoque synonyma saepissime permutant; sed qui ab arte scribendi alieni sunt, hi iis plerumque verbis utuntur, quae usus communis ei rèi, quam cogitant, designaverit; unde etiam fit, ut homines, qui communi sermone utuntur, verba synonyma magis, quam viri eruditi, cumulent; quoniam res singulas notionibus singularibus potius, quam communibus, cogitare consueverunt. Quae consuetudo diligentius observanda est in sacris scriptoribus, e quorum verbis et dictis singulis quam temere nonnunquam dogmata et sententias communes theologi expresserint, satis constat. Saepe etiam fit, ut, licet scriptores sacri ab elegantia sermonis, usu et studio comparata, alieni fuerint, tamen locis quibusdam vera eorum sententia intelligi non possit, nisi propriam cuiusque verbi significationem accurate teneamus. Quod fit in particulis maxime, quarum observatio pessime plerumque negligitur a Lexicographis N. T. Sic v. c. legimus quidem in Lexicis

ἄχρι et μέχρι

plane non differre, et auctoritatem afferunt *Eustathii*, qui p. 1062. γίνεται, inquit, τὸ ἄχρις ἀπὸ τοῦ μέχρις ἀποβολῇ τοῦ μ̄ καὶ τροπῇ τοῦ φωνήεντος. Sed nihil aliud vult *Eustathius*, quam ἄχρις ex μέχρι factum esse, non autem, utrumque idem significare. Quis vero dicat, idem futurum fuisse, si Rom. V, 13. scripsisset Apostolus: μέχρι γὰρ νόμου ἁμαρτία ἦν ἐν κόσμῳ et v. 14. ἀπὸ Ἀδὰμ

ἄχρι Μωσέως. Imo videnť omnes, aliud cogitari in utroque loco, quam ab Apostolo dictum est, qui v. 13. scripsit ἄχρι νόμου, i. e. ante quam lex lata esset, et v. 14. μέχρι Μωσέως, i. e. usque dum Moses legem tulisset. Recte igitur scriptum est ἄχρι γὰρ νόμου ἁμαρτία ἦν ἐν κόσμῳ, aderat enim ἁμαρτία ante legem. Non cogitatur, post legem latam defecisse τὴν ἁμαρτίαν. Sed v. 14. dici poterat: ἐβασίλευσεν ὁ θάνατος μέχρι Μωσέως, non quod desierit regnare inde a Mose, sed quia duravit per totum illud tempus, μὴ ὄντος νόμου, quod finem habuit in Mose. Neque enim dicere voluit, mortem et ante Mosem et postea regnasse, sed regnasse ante Mosem, μὴ ὄντος νόμου. Scilicet in v. ἄχρι cogitatur potissimum totum tempus (aut locus), quo aliquid factum est, et genitivus, si quidem additur, significat rem, ante quam id factum esse cogitatur; sed in μέχρι cogitatur potissimum finis temporis (aut loci), quo quid factum est. Quod si quis subtilius quam verius dictum putet, eum recordari oportet, μέχρι nunquam absolute poni, sed ἄχρι, ut *Eustathius* rectius dixit (ad Iliad. π. 1062. 48.), saepissime dici simpliciter κατὰ τοὺς παλαιούς, ut significet ῥιζόθεν. Nam quod ἄχρι fuisse cogitatur (ut apud Homerum Iliad. Δ. v. 522. Π. 324. P. 599.), id per totum tempus aut spatium durasse intelligitur; sed in μέχρι terminus desideratur, aut temporis, aut loci, ideoque is semper additur *). Itaque si dicitur ἄχρι τινός, significatur res aut tempus, *ante* quod quidquam duraverit. Sic Act. XX, 11. ὁμιλήσας ἄχρις αὐγῆς, postquam *ante* diluculum cum iis fuisset, et v. 4. συνείπετο δὲ αὐτῷ ἄχρι Ἀσίας Σώπατρος etc. i. e. prius quam in Asiam ve-

*) Semel in *Odyssea*: νήστιες ἄχρι κνέφαος· ubi manifestum est, utramque notionem simul cogitari eademque particula exprimi. Sed Iliad. N. v. 143. scriptum est: μέχρι θαλάσσης διελεύσεσθαι, et Ω. v. 128. τέο μέχρις ὀδυρόμενος καὶ ἀχεύων σὴν ἔδεαι κραδίην· ubi quisque videt, longe aliam sententiam exstituram fuisse, si ἄχρι positum esset.

niscent comitati sunt Paulum, deinde vero προελθόντες. Si scriptum esset, συνείποντο μέχρι Ἀσίας, certe dubium esset, an Paulum inde prorsus deseruerint. Noluit autem dicere, illos Paulum tantum in Asiam usque comitatos esse, sed eos usque in Asiam cum Paulo una fuisse, deinde praeivisse eumque exspectasse. Sic etiam in illis locis, ubi ἄχρι cum verbo jungitur, durationis ante aliquod tempus notionem habet. Gal. III, 19. ἄχρις οὗ ἔλθῃ. Apocal. XV, 16. XVII, 17. etc. Et Rom. XI, 25. ἄχρις οὗ τὸ πλήρωμα τῶν ἐθνῶν εἰςέλθῃ. i. e. *usque dum intrent* gentes, non autem, *donec* intraverint. Sic etiam Act. XX, 6. ἐξεπλεύσαμεν — καὶ ἤλθομεν εἰς τὴν Τρωάδα ἄχρις ἡμερῶν πέντε, ante dies quinque (effluxos), i. e. die quinto, πεμπταῖοι. Scio, utrumque permutari nonnunquam, ut in Xenoph. Symp. 4, 37. περίεστί μοι καὶ ἐσθίοντι ἄχρι τοῦ μὴ πεινῆν ἀφικέσθαι, καὶ πίνοντι μέχρι τοῦ μὴ διψῆν. (Si lectio vera est; suspicor, bis μέχρι scribendum esse.) Sed hinc non sequitur, utramque particulam unum idemque significare. Est enim, ut supra dictum est, ea synonymorum natura, ut idem quidem cogitetur, sed alio modo. At dicat aliquis, in N. T. promiscue utrumque dici. Nam Matth. XI, 23. dici: ἔμειναν μέχρι τῆς σήμερον, i. e. stetissent usque ad hodiernum diem, et Rom. VIII, 22. συστενάζει ἄχρι τοῦ νῦν, i. e. usque ad hoc tempus. Sed salva res est. Etenim in illo quidem loco: ἔμειναν μέχρι τῆς σήμερον, concedimus, scribi etiam ἄχρι τῆς σήμερον potuisse, sed non necesse erat, quoniam in verbo μένειν inest notio conditionis, non actionis; nam qui *manet* usque ad hodiernum diem, is cogitatur et ante hoc tempus fuisse, neque nunc periisse, alioqui non maneret hodie. Contra si altero loco scriptum esset, μέχρι τοῦ νῦν, sententia esset, creaturam usque ad hunc diem conquestam esse, sed nunc non conqueri amplius: nam qui facit quidquam μέχρι τινός, is non diutius id facere cogitatur, quam illud ipsum factum fuerit. Ergo quod dicitur, ἡ κτίσις συστενάζει ἄχρι τοῦ νῦν, id indicat, creaturam usque ad hunc diem suspirari, needum fecisse fi-

3 *

[illegible]. Quam sententiam Apostoli fuisse manifestum est. In priori autem loco vis duplex τοῦ μέχρι est in verbo μένειν. Quod si quis reliqua loca accurate inspexerit, is non tantam esse hanc distinctionem reperiet. Nam in omnibus N. T. locis, ubi μέχρι τινός occurrit, inest haec cogitatio, rem, quae facta dicitur, tantum μέχρι τινός perdurasse aut factam esse, deinde finem habuisse, excepto uno apud Matthaeum loco isto, de quo modo dictum est. Nam in Matth. XIII, 30. ἄφετε συναυξάνεσθαι μέχρι τοῦ θερισμοῦ, manifestum est, τὰ ζιζάνια non diutius ferri velle τὸν οἰκοδεσπότην, quam ad tempus messis, ut sequentia docent. Idem est Marc. XIII, 30. Act. XX, 7. Rom. XV, 19. Eph. IV, 13. Phil. II, 8. 30. 2 Tim. II, 9. 1 Tim. VI, 14. Hebr. III, 6. 14. XII, 4. Nam quod vulgo dicunt, μέχρι tempus interiectum denotare, ita ut consequens non excludatur, id certe non possunt probare ex loco Rom. V, 14. vid. Theodoret. ad h. l. Nam in hoc loco non cogitatur, mortem etiam post Mosis tempora regnasse, sed eam regnasse ante Mosen, ἄχρι νόμου, per totum istud tempus ab Adamo ad Mosen, quamquam ἁμαρτία οὐκ ἐλλογεῖται μὴ ὄντος νόμου, ut supra dictum est. Repugnare videntur loci Matth. XXVIII, 15. et Act. X, 30. Sed in priori loco: διεφημίσθη ὁ λόγος οὗτος μέχρι τῆς σήμερον, commode cogitamus, fabulam illam ante hunc diem non explosam fuisse, sed nunc manifestam esse fraudem; et in posteriori: ἀπὸ τετάρτης ἡμέρας μέχρι ταύτης τῆς ὥρας ἤμην νηστεύων, nihil impedit, quin cogitemus, Cornelium hac ipsa hora ieiunandi finem fecisse; convocaverat enim propinquos et amicos. Et quamquam non cupidius repugnaverim, si quis dicat, h. l. μέχρι pro ἄχρι dici, ut in illo loco Xenophontis, tamen totus locus (ἤμην νηστεύων μέχρι) sententiam Cornelii, quam dixi, prodere videtur. Nam si hoc sibi voluisset Cornelius, se per quatuor deinceps dies ieiunasse ad eam horam, qua Petrus ipsum conveniret, dicere debuisset: εἰμὶ νηστεύων. Dicent fortasse nonnulli, huiusmodi subtilitates non ne-

cessarias esse; parum referre, ut tam minuta discrimina observemus. Sed velim vobis persuadeatis, cives carissimi, in eiusmodi rebus observandis religionem interpretis cerni. Nam qui semel in animum induxit suum, ut in libris sacris explicandis notione utcunque simili acquiescat, profectò is brevi omnem religionem exuet, suasque opiniones, imo obscurissimas notiones, scriptoribus N. T. obtrudere non dubitabit. Sed redeamus. Legitur Luc. IV, 13. ἀπέστη ἀπ' αὐτοῦ ὁ διάβολος ἄχρι καιροῦ. Viderunt dudum, verti haec non posse: per quoddam tempus. Itaque Lexicographi dicunt, ἄχρι denotare idem quod latinum *usquè*, et ἄχρι καιροῦ vertunt: *ab hoc ipso temporè*. Sed nunquam demonstrabunt, ἄχρι κ. τινος esse, *ab hoc tempore*, neque latinum *usque* hoc modo dicitur *). Enimvero non scriptum est: ἄχρις ἀπέστη ἀπ' αὐτοῦ, sed ἄχρι καιροῦ. Differt autem μέχρι καιροῦ ab ἄχρι καιροῦ. Hebr. IX, 10. legitur μέχρι καιροῦ διορθώσεως ἐπικείμενα, i. e. εἰς τὸν καιρὸν τὸν ἐνεστηκότα v. 9. Ergo μέχρι καιροῦ denotat: usque ad aliquod tempus, s. aliquamdiu, ut saepius μέχρι καιρῶν, μέχρι τινός (unde μέχρι παντός, semper, Charit. V, 4. Aristaenet. II, 14.), s. ἕως καιροῦ (τινός) Sirac. I, 23. 24. Dan. VII, 12. ἕως χρόνου καὶ καιροῦ. Sed ἄχρι καιροῦ est ἕως τέλους, s. μέχρι τέλους. Scilicet, ut antea dictum est, ἄχρι non finem, sed ipsam durationem denotat, seu tempus totum, quo res quaedam duravit, sed μέχρι finem designat, quo esse desiit, nisi addatur verbum, cuius notione ipsius termini s. finis tollatur cogitatio, ut in μέχρι παντός. Neque alio sensu dicitur Actor. XIII, 11. ἔσῃ τυφλὸς, μὴ βλέπων τὸν ἥλιον ἄχρι καιροῦ. Vulgo vertunt: usque ad aliquod certum tempus. Sed hoc non inest in verbis; imo scribendum fuisset μέχρι καιροῦ; neque causa est cur putemus, Paulum indixisse

---

*) Nam alienissimi sunt loci, qui afferuntur (*Tempe Helvet.* Tom. III. p. 67.) *Terent. Eun.* III. 2. v. 18. *Adelph.* V. 9. v. 5. *Virgil. Georg.* IV. 292. *Aeneid.* VII. 288. *Iuvenal.* XIII. 57.

homini, tantum per aliquod tempus ipsum concessum fore. Sed de usu particularum in libris N. T. diligentius observando alio tempore dicturi sumus. Nunc autem de aliis synonymis nonnullis dicemus, quae plerumque non satis recte distinguuntur.

ἀΐδιος. αἰώνιος.

Conveniunt, quod longam diuturnitatem temporis, s. perpetuitatem denotant. Sed differunt: latius enim patet ἀΐδιος quam αἰώνιος. Etenim quum duae proprie sint notationes temporis, praeteriti, et futuri (nam quod tempus praesens dicimus, id totum tempus est, cuius veluti formae sunt, praeteritum vel futurum), ἀΐδιος quidem utrumque denotat, et qui praeterito tempore omni fuit, et qui non habet finem, sed αἰώνιος est cuius nullus finis cogitatur. Itaque ἀΐδιος modo utrumque denotat, ut Rom. I, 20. ἀΐδιος αὐτοῦ δύναμις καὶ θειότης, modo id, quod, etiamsi initium habuerit, tamen finem non habiturum esse cogitatur, ut Iudae v. 6. δεσμοῖς ἀϊδίοις. Diod. Sic. I, 51. τάφους ἀϊδίους οἴκους προσαγορεύουσιν, ὡς ἐν ᾅδου διατελούντων τὸν ἄπειρον αἰῶνα et cap. 93. αἰώνιον οἴκησιν, ut Xenoph. Ages. 11, 16. Αἰώνιος contra, licet per se quamcunque per omne aevum durationem denotare posse videatur, proprie tamen in libris N. T. de eo dicitur, quod aevo futuro est duraturum. Sic sexcenties in illis: ζωὴ, δόξα, κρίσις, τιμὴ, κόλασις, λύτρωσις, κληρονομία, βασιλεία αἰώνιος· κρίμα, πῦρ αἰώνιον. (τὰ αἰώνια — πρόσκαιρα 2 Cor. IV, 18.). Quare non opus erat, ut argutarentur in hoc verbo, et studiosius demonstrarent, non semper cogitandum esse de aeternitate absoluta. Sed sunt etiam loci, in quibus αἰώνιος denotat id, quod per longum aevum duravit, ut Rom. XVI, 25. χρόνοις αἰωνίοις σεσιγημένου. 2 Tim. I, 9. χάριν δοθεῖσαν πρὸ χρόνων αἰωνίων. Tit. I, 2. Neque vero opus est in his locis ab ea significatione recedere, quam usus confirmavit; neque iuvat comparare illas formulas cum hebraicis. Nam in tribus illis locis

χρόνοι αἰώνιοι dicuntur. Sunt autem χρόνοι αἰώνιοι non per se tempora antiqua, saecula elapsa, ut vulgo explicant, sed tempora, quorum nullus finis cogitatur. Itaque mysterium χρόνοις αἰωνίοις σεσιγημένον est, quod ab aeterno tempore ignoratum fuit, (seu diutissime, ut nos dicimus: *in ewigen Zeiten*). At quid sibi vellet ista formula: πρὸ χρόνων αἰωνίων 2 Tim. I, 9. et Tit. I, 2. si χρόνοι αἰώνιοι essent saecula s. tempora elapsa? Facile quidem vertunt: ab antiquissimis inde temporibus (nam ad hanc sententiam referri tandem potest illa formula), sed quomodo ante tempora elapsa idem esse possit, quod ab antiquissimis temporibus, id non ostendunt, neque vero possunt. Res, si quid videmus, haec est. αἰώνιον est, quod αἰῶνα perdurat; ergo χρόνοι αἰώνιοι sunt tempora diuturna, quasi quae αἰῶνα perdurarunt; est igitur πρὸ χρόνων αἰωνίων ante tempora longinqua, s. ante longissimum tempus, cuius memoria superest, i. e. pridem, dudum. Sed res ipsa nos monet, ut dicamus de verbis

αἰών· χρόνος· ὥρα· καιρός.

Neque enim veremur, ne quis dicat, haec vv. ita differre, ut pro synonymis haberi non possint, quoniam ὥρα non tempus aliquod, sed definitam diei partem denotet, καιρός autem sit proprie tempus opportunum. Sed sciunt omnes, multa esse verba, in omnibus linguis, quibus usus et consuetudo vim tribuerit propriam aliis, et in synonyma verti, quae origine sua habuerint notionem singularem. Atque haec maxima est in eiusmodi verbis, quae pro synonymis habentur, difficultas, quod ex usus loquendi observatione potissimum pendet synonymorum distinctio; raro enim in ipsa etymologia quaerenda ratio est, inprimis apud scriptores N. T. Conveniunt igitur ista vv. in eo, quod habent communem temporis notionem, quo aliquid fieri factumve cogitatur. Sed differunt tamen. Nam χρόνος et αἰών indefiniti temporis notionem habent, ὥρα certum et definitum temporis spatium denotat (quasi ὅρον), καιρός tempus est, seu

punctum temporis opportunum (veluti summum tempus), ad aliquid agendum. Sed etiam *χρόνος* et *αἰών* differunt, nam *αἰών* quidem *decursum* temporis indefinitum denotat, ita ut, si simpliciter ponatur, abeit notio finis s. termini; *χρόνος* autem ipsum tempus, quasi nudam formam, qua rerum successiones percipimus. Itaque recte quidem *χρόνοι αἰώνιοι* dicuntur, sed nemo unquam *αἰῶνα χρόνιον* dixit. In scriptis N. T. eadem ratio obtinet. Nam *αἰών* semper temporis consequentis perpetuitatem denotat, nisi addatur ipsius temporis definitio, unde formula: *εἰς τὸν αἰῶνα*: et collective quoque de tota hominis aetate dictum videri potest Matth. XII, 32. non autem cap. XXVIII, 20. *ἔσομαι μεθ' ὑμῶν ἕως τῆς συντελείας τοῦ αἰῶνος*. Hic enim, uti 1 Cor. X, 11. *συντέλεια τοῦ αἰῶνος* de effecta temporis s. seculi conversione dicitur, ad quam usque se discipulis adfuturum esse dominus promittit*). Sed Eph. II, 7. *αἰῶνες ἐπερχόμενοι* sunt ventura tempora. Loquitur autem de his ipsis temporibus suis, quibus nunc manifestatus fuerat ὁ *ὑπερβάλλων πλοῦτος τῆς χάριτος*, ut ex v. 8. intelligitur. Itaque *ἐπερχόμενοι* non de tempore, quod nunc nondum adest, intelligi debet, sed denotat tempus, quod aliud sequutum est, uti Iac. V, 1. *ταλαιπωρίαι ἐπερχόμεναι* sunt calamitates, quae iam adsunt, aut adesse cogitantur. Sic etiam *χρόνος* nunquam de tempore certo et definito adhibetur. Sed ubi de tempore certo dicitur, ibi haec vis non est in v. *χρόνος*, sed in adiectis. Nam in duobus illis locis Luc. VIII, 27. XX, 9., ubi *χρόνοι* annos significare videntur, alia ratio est. Etenim *χρόνοι*, quasi temporum collectio quaedam, consuetudine recentiorum scriptorum, anni spatium dicitur,

*) *Συντέλεια τοῦ αἰῶνος* in N. T. non finem, sed potius consummationem *τοῦ αἰῶνος* denotat, quam novum seculum sequitur. Sic Matth. XIII, 39. 40. 49. et XXIV, 3. quem locum vereor, ne male intelligant, qui de *interitu mundi* interpretantur. Eadem notio inest in formula *συντέλεια τῶν αἰώνων* Hebr. IX, 26. cui simillima est Eph. I, 10. *πλήρωμα τῶν καιρῶν*.

tamquam notissima temporum collectio, plane ut ὥρα pleramque de diei partibus dicitur *); sed tamen χρόνος per se non est certum tempus. Sed dubitari etiam potest, an formula χρόνοι ἱκανοί multi anni verti debeant; potest enim eodem iure verti multum tempus. Frequens est Lexicorum vitium, ut si quod vocabulum graecum aliquo vocabulo latino reddi ad sensum possit, dicant utrumque idem significare, unde ingentia monstra nata sunt in Lexicis, inprimis in praepositionibus. Quis enim unquam sibi persuadeat, ἐκ significare *ad*, *in* et *cum*, aut εἰς esse *de*, ἀπὸ *ad*, *in*, κατά *ex* et similia denotare? Καιρός autem semper denotat tempus certum quoddam habetque adiunctam notionem opportunitatis **). Nam quod opportune fit, id etiam certo quodam tempore fieri cogitatur; contra, quod temere fit, nec certo tempore, id etiam inopportune pleramque fiat necesse est. Unde fit, ut nonnunquam indefinite dicatur, quum ex tota oratione intelligatur, cuius rei καιρός cogitandus sit. Sic Matth. XXVI, 18. ὁ καιρός μου ἐγγύς ἐστιν, non omissum est τοῦ ἀποθανεῖν (est enim scriptum: ὁ καιρός μου, non ὁ καιρός.), sed ex ipso tempore, in quo istud mandatum accipiebant discipuli, cognosci poterat, quis esset ὁ καιρὸς αὐτοῦ. Sed quando καιρός addito alio verbo definitur, καιρός non per se eius rei opportunitatem denotat, sed tota formula, v. c. καιρὸς σύκων, Marc. XI, 13. καιρὸς τῶν καρπῶν, Matth. XXI, 34. ubi male legitur in Lexicis, καιρόν esse anni tempus. Καιρός enim quamcumque opportunitatem denotare potest, non temporis tantum, sed etiam loci, et ipsius rei aptae et commodae ad aliquid agendum, quoniam cuiusque opportunitatis notio cum temporis cogitatione coniuncta est. Nam si locus aptus est ad aliquid agendum, καιρὸς εὐκαι-

*) Vid. du Cang. Glossar. Med. et inf. Lat. et Hemsterhus. ad Aristoph. Plut. v. 1084.

**) Scite Ammonius: ὁ μὲν καιρὸς δηλοῖ ποιότητα χρόνου, χρόνος δὲ ποσότητα. vid. VV. DD. ad Thom. Mag. p. 489. sq.

ρός ἐστι, ut id eo loco agas; si res apta et commoda, poteris nunc ea re uti. Quare per se quidem non prorsus spernenda esset nonnullorum sententia, Marc. XI, 13. verba: *οὐ γὰρ ἦν καιρὸς σύκων*, de loci opportunitate intelligi posse, (*Abresch. Lect. Aristaenet.* L. I. p. 16. 17. *Triller. ad Thom. Mag.* p. 490.) si modo necesse esset, ut factum illud Domini excusaretur. Neque enim valeret excusatio loci, *οὐκ εὐκαίρου* ad istud pomorum genus proferendum, si suspicaremur, Dominum, spe sua frustratum, indignatione et iracundia egisse, a qua tamen mens eius divina alienissima fuit. Ceterum *καιροί* saepissime dicuntur de opportunitate quacunque, plane ut Latini *tempora* dicunt, quibus commode quidquam fieri potest. Obiter dicamus de illa formula, quae bis occurrit in N. T. Eph. V, 16. et Coloss. IV, 5. *ἐξαγοραζόμενοι τὸν καιρόν*. In utroque loco Apostolus hortatur christianos, ut vitam prudenter et caute instituant, ideoque iubet eos *ἐξαγοράζεσθαι τὸν καιρόν*. Vertit Lutherus: *schicket euch in die Zeit* *). Sententiam utcunque expressit. Est autem mea quidem opinione, *ἐξαγοράζεσθαι τὸν καιρόν*, mercatorum more, qui merces diligenter examinant, et optimas eligunt, diligenter *observare* tempus, ut id tuum facias, eique ut dominus imperes; ut, quemadmodum praeclare Pindarus dixit de Damophilo (Pyth. IV. v. 509. sq.). *εὖ νιν* (*τὸν καιρὸν*) *ἔγνωκεν· θεράπων δέ οἱ, οὐ δράστας, ὀπαδεῖ*, non cedere tempori eique inservire cogaris, sed ei imperare possis, et, quod optimum esse cognoveris, faciat. Hanc vero sententiam utrique loco optime convenire, manifestum est. **) Sed

*) Sic etiam Rom. XII, 11. verba *τῷ καιρῷ δουλεύοντες* reddidit. Quae lectio, a Griesbachio recepta, valde dubia mihi videtur.

**) Eadem formula occurrit apud Alexandrinos Dan. II, 8. *οἶδα, ὅτι καιρὸν ὑμεῖς ἐξαγοράζετε:* Lutherus: *ich sehe, dass ihr Frist suchet.* Sed et hic eadem sententia esse videtur: intelligo, vos tempus callide observare. Sciebant enim, regi somnium memoria excidisse, ergo rogabant eum, ut id narraret, non moram quaerentes,

quoniam fugax brevisque temporis opportunitas esse solet (ὁ γὰρ καιρὸς πρὸς ἀνθρώπων βραχὺ μέτρον ἔχει, ut ait Pindarus l. c.) πρὸς καιρόν denotat ad aliquod tempus, veluti quod non diutius durat, quam temporis opportunitas: ut Luc. VIII, 11. οἱ πρὸς καιρὸν πιστεύοντες sunt, qui ad aliquod tempus tantum in fide perstant, dum commodum est, neque pericula imminent, sed ἐν καιρῷ πειρασμοῦ ἀφίστανται. Hinc etiam singularis illa formula explicari potest, Apoc. XII, 14. καιρὸν καὶ καιροὺς καὶ ἥμισυ καιροῦ. Vertunt vulgo: tres annos cum dimidio; recte quidem; nam idem temporis spatium v. 6. et XI, 3. describitur ἡμέρας χιλίας διακοσίας ἑξήκοντα, et c. XI, 2. μῆνας τεσσαράκοντα δύο. Sed hunc numerum pro spatio temporis quocunque dici, more Hebraeorum, satis constat. (vid. *Eichhorn ad Apoc.* XI, 2.) Itaque καιρός in isto loco non est annus, sed de tempore anni dicitur. Aliud est enim, ut iam diximus, verbum quoddam de hac illave re dici, aliud autem, hoc verbum eam rem denotare. Dicitur autem, ut Dan. VII, 25. XII, 7. Alexandrini verterunt (coll. v. 11.) *), non de annis veris, sed de temporis spatio quodam indefinito, prophetico loquendi modo; nam quoad sensum verum, formula illa nihil aliud denotat quam *aliquamdiu*. conf. Iacob. V, 17. Similis vero ratio est in v. ὥρα. Nam

---

sed ipsius interpretationis somnii devitandae causa. Recte igitur Rex respondet v. 9. eos fraudem struere ἕως οὗ ὁ καιρὸς παρέλθῃ.

*) Voce καιρός Alexandrini verterunt chald. עִדָּן, quod proprie *tempus* denotat, ut Dan. II, 8. III, 5. 15. VII, 12. ἕως καιροῦ καὶ καιροῦ, deinde de anno dicitur Dan. IV, 13. sq. et VII, 25. XII, 7. Notandum est Alexandrinos XII, 7. scripsisse εἰς καιρὸν καιρῶν καὶ ἥμισυ καιροῦ et III, 5. 15. עִדָּן vertisse ὥρα. Ceterum dubium videri potest, utrum in locis Danielis et Apocalyps. illa temporis indefiniti descriptio repetenda sit a numeri septenarii religione, in duas partes divisi, an potius referri debeat ad illud tempus, per quod templum Hierosolymitanum, ab Antiocho Illustri profanatum, desertum stetit ab Iudaeis, ut narrat Iosephus Bell. Iud. I, 1. 2. prooem. §. 7. et 2. Marc. X, 3. vid. Grotium ad Dan. VII, 25.

quum ὥρα proprie quemcunque temporis terminum, s. tempus fixum et statutum denotet, intelligitur, cur de quocunque temporis momento *certo* dicatur, quamquam ei usus notationem horarum potissimum assignavit. Neque vero recte docere videntur, qui ὥραν minimam quamvis temporis particulam denotare dicunt. Nam illis locis Matth. VIII, 13. IX, 22. X, 19. Luc. XII, 39. 46. nemo putet, ὥραν idem esse, quod momentum, punctum temporis, quum manifestum sit, eum, qui dicat, ἐν τῇ ὥρᾳ ἐκείνῃ quidquam factum esse, magis finitum tempus cogitare, quam si dicat ἐν τῷ χρόνῳ ἐκείνῳ. Et ipsa formula πρὸς ὥραν potest quidem verti aliquamdiu, ut illa πρὸς καιρόν, sed tamen male dicitur, ὥραν exiguum temporis quodcunque spatium esse. Scilicet ubi exiguum tempus cogitandum est, recte adhiberi verbum ὥρα potest, quoniam haec ipsa partem exiguam diei denotat; ideoque πρὸς ὥραν idem est, quod ad aliquod tempus, sed hinc non sequitur, ὥραν esse tempus exiguum. Differunt autem πρὸς ὥραν et πρὸς καιρόν. Nam quod πρὸς ὥραν durare dicitur, id non diutius, quam horae spatium expleat, i. e. per breve tantum tempus, durare cogitatur; sed quod πρὸς καιρόν fieri dicitur, id ad certum tantum temporis spatium fieri cogitandum est. A formula πρὸς καιρόν differre videtur altera: πρὸς τὸν καιρόν. Haec enim denotat commode, ut temporis ratio postulat, Lucian. I. Deor. Dial. IV, 209. Observandus articulus etiam in formula κατὰ καιρόν Rom. V, 6. vid. Lucian. I. Hermot. 10. 749. κατὰ καιρόν est opportune, quo tempore necesse erat fieri, ut recte fieret. Christus κατὰ καιρὸν ἀπέθανε non est, tempore a deo definito sed opportune, *zur rechten Zeit;* eramus enim ἀσθενεῖς. Ut tempus definitum cogitaretur, necesse erat scribere κατὰ τὸν καιρὸν (αὐτοῦ). Graeci eodem fere sensu dicunt εἰς καιρόν. opp. πρὸ καιροῦ. 1 Cor. IV, 5. Καιρὸς momentum temporis, ὥρα partem temporis denotat. Ergo πρὸς καιρόν est ad aliquod tempus (*auf eine gewisse Zeit*), πρὸς ὥραν, ad breve tempus (*auf eine kurze*

Zeit). Male igitur πρὸς ὥραν Gal. II, 5. idem esse dicunt, quod πρὸς καιρὸν ὥρας, 1 Thess. II, 17. Nam πρὸς καιρὸν ὥρας non est ad breve tempus, sed illo tempore, tunc quidem, s. per illud tempus, quo ἐνέκοψεν ἡμᾶς ὁ Σατανᾶς. Recte vertit Lutherus: *eine Weile s. eine Zeit lang; aliquamdiu.* i. e. non per breve tempus, sed per tempus aliquod. Denique ὥρα per se nunquam est tempus opportunum, opportunitas, ut καιρός, sed verbum quod additur, definit incertam ipsius ὥρας, i. e. temporis, notionem, ut Ioh. II, 4. XVI, 21. Marc. XIV, 35. Ioh. XII, 27. et al. Sed haec tam manifesta sunt, ut ne verbum quidem addere opus sit. Et nescio quo pacto fiat, ut tantum in Lexicis N. T. eiusmodi nugae ferantur.

ἁμαρτία· ἁμάρτημα· παράπτωμα· ἀδικία·
ἀνομία· ἀδίκημα.

Synonymorum observatio quum per se difficilis sit, tum in iis verbis potissimum, quae animi indolem designant. Nam quum vitia et virtutes animi ita cognatae sint, ut plerumque vix differre videantur, etiam verba illa promiscue usurpari solent. Interest tamen haud raro, verum eorum discrimen diligentius observare. Illa igitur verba, quae in indice leguntur, in eo conveniunt, quod communem habent peccati notionem in universum. Sed differunt tamen. Magis affines sunt ἁμαρτία, ἁμάρτημα et παράπτωμα. Inest enim iis notio *vitii*, quo culpa aut damnum contrahitur. Sed primum differunt ἁμαρτία et ἁμάρτημα. Nam ἁμαρτία proprie ipsum animi vitium denotat, ex quo τὸ ἁμάρτημα nascitur. Constat quidem, ἁμαρτίαν in N. T. etiam de facto ipso vitioso, de peccato, dici, ut Ioh. VIII, 21. 24. XVI, 8. 9. 2 Petr. VI, 11. 14. *); sed propria tamen verbi vis plurimis locis reperitur, inprimis in cap. V. et VII. ad Romanos. Neque temere quis dicat, in gravissimo isto loco, Ioh. I, 29. ἁμαρτίαν propriam significationem habere. Scilicet divi-

*) Distinguendi sunt tamen loci, in quibus ἡ ἁμαρτία (singul.) legitur, ab iis, ubi ἁμαρτίαι commemorantur.

nus servator non externa modo scelera et flagitia (ἁμαρτήματα) sustulit, sed ipsam animi mentisque perversitatem (τὴν ἁμαρτίαν), quae nisi exstirpata fuerit, ad veram sanctitatem nihil prodest illa vitae honestae ratio, quam Melanchthon verissime *civilem iustitiam* vocavit. Certe Rom. VII, 7. manifestum est, in verbis: ὁ νόμος ἁμαρτία; ἁμαρτίαν non esse incitamentum ad peccandum, sed quod per se pravum et vitiosum est. Negat enim quidem Paulus, legem esse ἁμαρτίαν, sed diserte concedit, legem incitare ad peccatum: χωρὶς γὰρ νόμου ἁμαρτία νεκρά. Sed tota disputatio in hoc capite ostendit, ἁμαρτίαν non peccatum, sed ipsam, quae natura inest animis, perversitatem esse. Dicunt quidem τὴν ἁμαρτίαν collective positam esse pro omnibus peccatis, uti nos: *die Sünde* dicere solemus. Sed manifesta est Apostoli sententia: τὴν ἁμαρτίαν esse in nobis et prius quidem, quam ipsam ἐπιθυμίαν, eamque aliquamdiu νεκρὰν esse, deinde vero, ubi lex imperet, eam gignere ἐπιθυμίαν, ac denique fieri καθ' ὑπερβολὴν ἁμαρτωλόν. Ideoque non peccatum, quod dicunt, intellexit, sed sensit verissime, quod omnes, qui se norunt, intelligunt, ἁμαρτίαν natura insitam, et τὸν νόμον τῆς ἁμαρτίας ἐν σαρκί. Et in ipso quoque loco illo Rom. V, 12. sq. vix dubitari potest, an ἁμαρτία eodem sensu dicatur. Distinguitur ἁμαρτία, quae δι' ἑνός in mundum venerit, et τὸ τοῦ ἑνὸς παράπτωμα. Neque dicit, per τὸ παράπτωμα τοῦ ἑνός mortem in mundum venisse, sed ἁμαρτίαν, atque per ἁμαρτίαν mortem; mortem autem ad omnes pervenisse, quoniam *omnes* peccaverint. Quod dici non potuisset, si ipsius Adami facto mors orta esset. Recte etiam dici quidem potest, ἁμαρτίαν οὐκ ἐλλογεῖσθαι, μὴ ὄντος νόμου, est enim νεκρὰ χωρὶς τοῦ νόμου, sed vix dici recte potest peccatum non imputari. Nam mors imperavit ante Mosen (v. 14.), quoniam omnes peccarunt. Omnino rarissime ferri posse eorum ratio videtur, qui scriptores sacros, non tantum eodem loco, sed in eadem fere formula, eodem verbo bis diverso sensu usos esse putant:

est enim eiusmodi ambiguitas ab illorum virorum simplicitate alienissima. Quare vel sic vix probanda est quorundam interpretatio verborum: χωρὶς ἁμαρτίας ὀφθήσεται, Hebr. IX, 28. sine sacrificio piaculari. Praeterea ἁμαρτία nunquam sacrificium pro peccatis denotat. Nam in illo loco Hebr. X, 6. ὁλοκαυτώματα καὶ περὶ ἁμαρτίας οὐκ ηὐδόκησας, elliptica est loquutio, plena est θυσίαν (s. προςφοράν v. 18.) περὶ ἁμαρτίας, i. e. sacrificium peccati causa oblatum. Sed inepte comparatur locus Rom. VIII, 4. πέμψας περὶ ἁμαρτίας, i. e. misit filium suum peccati causa, ut tolleret, κατακρίνῃ τὴν ἁμαρτίαν. πέμπειν περί τινος esse, mittere alicuius rei causa, adeo tritum est, ut mirandum sit, e loquutione tam plana aliquid amplius extricare voluisse interpretes. Ceterum ἁμάρτημα semper de ipso peccato, s. maleficiis dicitur. Marc. III, 28. IV, 12. Rom. III, 25. 1 Cor. VI, 18. Ab hoc autem v. ἁμάρτημα et ab ἁμαρτία proprie differt παράπτωμα. Licet enim non satis vera Hieronymi distinctio videatur, qui παράπτωμα primum ad peccatum lapsum esse dicit, ἁμαρτίαν, quum ad ipsum facinus perventum est: tamen in v. παράπτωμα proprie inest notio peccati, quod temere commissum est, i. e. a nolente facere iniuriam; sed in ἁμαρτία et ἁμάρτημα cogitatur facinus, quod, qui fecit, facere voluit, sive imprudens erraverit, recte se facere existimans, sive impetu animi et lubidine abreptus fecerit. Eleganter igitur Matth. VI, 14. 15. XVIII, 35. non positum est ἁμαρτήματα s. ἁμαρτίαι, sed παραπτώματα. Levius est παράπτωμα quam ἁμαρτία, si ἁμαρτία de singulo peccato dicitur. Utrumque iungitur Ephes. II, 1. Nonnunquam tamen de quocunque peccato παράπτωμα dicitur, ut Rom. IV, 25. 2 Cor. V, 19. Sed in gravissima illa disputatione Rom. V, 12. seq. utile fuerit, discrimen ἁμαρτίας et παραπτώματος diligentius observare. Paulus enim utrumque accurate distinguit. Nam παρακοὴν Adami παράπτωμα vocat, v. 15. 17. 18. per quod ἡ ἁμαρτία in mundum venerit, et v. 20. νόμος, inquit, παρεισῆλθεν ἵνα πλεονάσῃ τὸ παράπτωμα· οὗ δὲ ἐπλεόνασεν ἡ

ἁμαρτία, ὑπερεπερίσσευσεν ἡ χάρις: Quid vero? cur non dixit, οὗ δὲ ἐπλεόνασε τὸ παράπτωμα; scilicet, quod per legem effectum est, ut, quae leviora olim peccata fuissent, quippe plerumque ab imprudentibus et errore commissa, ea nunc essent graviora, quod qui ea committerent, scirent, se peccare. Sed dixit: ἐπλεόνασεν ἡ ἁμαρτία. haec enim ἀφορμὴν λαβοῦσα διὰ τῆς ἐντολῆς facta est καθ' ὑπερβολὴν ἁμαρτωλός. Non est in eiusmodi rebus nimis argutandum, scio; sed satius est, in libris sacris explicandis verborum omnium discrimina religiosius observare, quam ambiguis notionibus acquiescere. Eadem lenitate dicendi usum putamus Paulum Rom. XI, 11. ubi Iudaeorum, Dominum reiicientium, ἁμαρτίαν (Ioh. XVI, 9.), παράπτωμα vocavit. Falsum est enim, παράπτωμα eo loco idem quod ἥττημα, s. ipsam Iudaeorum miseriam, denotare.

Sed ab illis verbis differunt ἀδικία et ἀνομία. Nam in illis quidem inest notio peccati et vitii in universum, sed in his cogitatur indoles ipsa facti, ob quam id est peccatum. Et ἀδικία quidem, qua τὸ δίκαιον laeditur, ἀνομία, quatenus lex violatur. Nam ut ἄδικος proprie est, qui non talis est, qualis esse debet (vid. δίκαιος in Spec. I.), deinde qui ius violat, ita ἀδικία de quacunque improbitate dicitur, quatenus τῷ δικαίῳ repugnat. 1 Ioh. V, 17. πᾶσα ἀδικία ἁμαρτία. Sed in ἀνομίᾳ cogitatur potissimum, legem non servari, sive quod ignota sit lex, sive quod consulto violetur. Est enim ἄνομος proprie, qui non habet legem, Act. II, 23. 1 Cor. IX, 21. deinde qui legem non curat, sed violat. Ergo ἀνομία est, quum lex violatur, ἀδικία quum contra ius agitur. Latius igitur patet ἀδικία. Potest enim ἀδικία etiam sine lege cogitari, sed nulla ἀνομία sine ἀδικίᾳ. Vid. *Xenoph. Memor.* IV, 4. 12. 13. Denique ἀδίκημα est, quod fit ἐν ἀδικίᾳ, quodvis improbe factum. Act. XVIII, 14. XXIV, 20. Apoc. XVIII, 11. *Xenoph. Memorab.* II, 2. 3. αἱ πόλεις ἐπὶ τοῖς μεγίστοις ἀδικήμασι ζημίαν θάνατον πεποιήκασιν, ὡς οὐκ ἂν μείζονος κακοῦ φόβῳ τὴν ἀδικίαν παύσοντες.

P. P. Dom. IV. post Fest. Trin. a. Dom. cIↄIↄcccxx. in Univ. Lips.

CAP. IV.

Quod omnes verae artis hermeneuticae magistri dudum praeceperunt, in libris vetustis explicandis non tantum communem usum loquendi spectandum esse, sed summam rei eo constare, quod propria cuique scriptori consuetudo dicendi diligenter observetur, id et omnino latius patet, et in libris N. T. potissimum maiores difficultates habet, quam vulgo existimant. Nam in reliquis quidem scriptoribus graecis oratio magis exculta ad elegantiorem dicendi legem est composita, quae licet dialectorum diversitate nonnihil mutetur, tamen in usu verborum perpetuam quandam et constantem rationem sequitur: sed scriptorum sacrorum oratio, neque literarum studio, neque exercitatione scribendi perpolita, imo ad vulgaris sermonis rationem composita, rerumque novarum, quibus exprimendis verba solita raro sufficerent, magnitudine obruta, usus verborum observationem difficillimam reddit, et maiorem, quam in libris elegantissime scriptis, diligentiam postulat. Quod quum in plurimis aliis rebus, tum in usu synonymorum potissimum cognoscitur. Verissime enim quidem dixit aliquis, Graecorum scriptorum venustatem ab eo tantum recte intelligi sentirique posse, qui colores orationis varios, e verbis synonymis, particularumque subtilibus veluti corpusculis mixtos, distinguere didicerit. Sed quid tandem faciamus illis scriptoribus, quos quum constet ab eiusmodi dicendi subtilitate alienos fuisse, plurimi tam barbaros fuisse credunt, ut vix concedant, eos graeco ore loquutos esse. Scilicet si sacri scriptores nullam linguae

graecae legum, ~~inprimis analogiae,~~ rationem habuerunt, etiam dicta eorum, nulla istarum legum ratione habita, interpretari licet, ita ut is optimus scripturae sacrae interpres habeatur, qui, neglecta graece scribendi consuetudine, barbarum dicendi genus ad opiniones moresque huius seculi examinet. Sed perversissimam esse hanc rationem, quum multa alia, tum synonymorum potissimum diligens observatio ostendit. Haec enim clare demonstrat, scriptorum sacrorum orationem, quamvis ab attica elegantia alienam, plenamque eiusmodi vitiis, quae in omnibus, qui linguam quamcunque consuetudine potius quam studio didicerunt, deprehenduntur, tamen magna cogitandi dicendique subtilitate minime carere, imo, qui scriptorum sacrorum sublimitatem, in summa simplicitate conspicuam, assequi velit, ei hoc maxime agendum esse, ut eos cum scriptoribus iis comparet, qui subtilissime et cogitarunt et loquuti sunt.

Sed quum pergere constituerimus in vocabulis synonymis, in N. T. obviis, diligentius comparandis, hi ipsi dies, quorum solemnitas instat, nos monere videntur, a quibus verbis nunc aptum dicendi initium petamus. Nam summa rerum gravissimarum, quas christianorum, natalia Domini celebrantium, animis observari necesse est, hoc uno Iohannis dicto continetur: (III, 16.) Deum adeo dilexisse mundum, ut filium suum unicum dederit, ut qui fidem ei habuissent, salutem aeternam consequerentur. Ergo ante omnia, quid sit *ἀγαπᾷν* (quo verbo Iohannes usus est) et quomodo differat a cognato *φιλεῖν* breviter exponemus.

Ἀγαπᾷν· φιλεῖν.

In quo conveniant, satis constat. Sed sunt, qui differre negent, quoniam verba, quae eandem animi affectionem significant, plerumque promiscue usurpantur. Sed differre tamen, statim ex eo cognoscitur, quod utrumque verbum habet quasdam significationes proprias ab altero alienas. Nam si in utroque verbo plane

idem cogitaretur, utrumque de iisdem rebus dictum esset. Sed usus secus habet. Etenim uti φιλεῖν etiam (et proprie, ut videtur) *) osculari denotat, ἀγαπᾷν nunquam, ita etiam ἀγαπᾷν propriam sibi significationem habet, ut sit *satis habere, acquiescere* aliqua re, quo sensu φιλεῖν nunquam a Graecis dicitur. Deinde si idem significarent, ab elegantissimis scriptoribus, Xenophonte, Platone, aliisque, non distinguerentur. Quamquam enim in illo Xenophontis loco, quem vulgo afferunt, (*Memor.* II, 7. 9. 12.) bis permutantur (σὺ μὲν ἐκείνας φιλήσεις — ἐκεῖναι δὲ σε ἀγαπήσουσιν· et paulo post: καὶ αἱ μὲν αὐτὸν ἐφίλουν, ὁ δὲ αὐτὰς ἠγάπα), tamen valde falleretur, qui verba idem significantia temere permutasse Xenophontem putaret, quod is utrumque verbum de iisdem personis vicissim dixerit. Imo si locum illum accuratius inspexerimus, facile apparebit, cur Socrates homini, de pauperum cognatarum cura sollicito, dixerit: nunc quidem, quum earum inertia tibi molesta sit, οὔτε σὺ ἐκείνας φιλεῖς, οὔτε ἐκεῖναι σε· sed si eas docueris victum labore quaerere, σὺ μὲν ἐκείνας φιλήσεις, ὁρῶν ὠφελίμους σεαυτῷ οὔσας, ἐκεῖναι δὲ σε ἀγαπήσουσιν, αἰσθόμεναι χαίροντά σε αὐταῖς. Tum mutui amoris nulla causa aderat; nam neque ille amare poterat eas, quae, quum parca res domi esset, nihil nisi molestiam ei crearent, neque cognatae amare illum poterant, quum vide-

*) Φίλος, unde est φιλεῖν, a φίω, seu, ut aliis placet a πίλω, premo comprimo, quem complectimur, osculamur, fovemus. Vid. Etymol. 794. 12. 777. 778. Eustath. p. 1583. 56. φιλεῖν· τὸ ἀγαπᾷν, καὶ τὸ τοῖς χείλεσιν ἀσπάζεσθαι, καὶ τὸ τὰ χείλη συμβάλλειν. conf. 1799. 51. Vid. Ev. Scheidius ad Lennep. Etymolog. p. 1063. Sed ἀγαπᾷν, quod recte derivari videtur ab ἀγάω ἀγάπη, denotat proprie amorem, qui ex admiratione et veneratione nascitur, unde reliquae huius verbi notiones plane fluxerunt: colendi, hilariter excipiendi, acquiescendi, etc. Bene Hesychius: φιλεῖ· κατὰ ψυχὴν ἀγαπᾷ. Hinc etiam apparet, cur amicitia φιλία dicta fuerit, non ἀγάπη. Denotat enim intimam animorum conjunctionem.

rent, eum invitum ipsas alere. Est enim nullum maius inter familiares amoris mutui impedimentum, quam si ab invitis accipiamus beneficium, aut nihil merentibus dare cogamur. Sed si Socratis consilio ille obtemperasset, fieri poterat, ut ille quidem eas amaret, quas sibi utiles esse intelligeret, hae vero ipsum diligerent, quum viderent, eum non amplius invitum sui curam habere. Quod quum homo fecisset, evenit, quod praedixerat Socrates, *αἱ μὲν ὡς κηδεμόνα ἐφίλουν, ὁ δὲ ὡς ὠφελίμους ἠγάπα.* Permutavit igitur verba Xenophon, sed non temere hoc fecit, aut falsae elegantiae causa, quam verbis quaque linea permutandis inepti veterum scriptorum imitatores venari solent. Imo si recte videmus, Xenophon permutavit verba, quoniam cogitari nunc voluit, quod evenerat, postquam mulierculae intellexissent, se non amplius oneri esse homini, hic autem ab illarum opera fructum quendam percepisset. Nunc enim illae poterant amare eum, qui parentis instar ipsas nutriret, hic diligere mulieres, quas cura sua dignas videret. Similiter est apud *Dionem Cass.* (Lib. XLIV.) *ἐφιλήσατε αὐτὸν ὡς πατέρα, καὶ ἠγαπήσατε ὡς εὐεργέτην.* Sed clarissimus est locus Platonis in Lyside p. 215. A. (Tom. V. p. 235. ed. Bip.) *Ὁ δὲ μὴ ἀγαπῷτο, πῶς φίλον; ὁ δὲ μή του δεόμενος, οὐδέ τι ἀγαπῴη ἄν; ὁ δὲ μὴ ἀγαπῴη, οὐδ' ἂν φιλοῖ.* Scilicet *φιλεῖν* ipsum amoris sensum denotat; sed in v. *ἀγαπᾷν* proprie inest causa *τοῦ φιλεῖν.* Est enim *ἀγαπᾷν* proprie, magni quidquam facere (admirari), sive ob utilitatem sive ob aliam quamcunque causam, deinde bene cupere alicui, studere, colere; sed *φιλεῖν* ipsum amorem denotat, qui ex rei, quam amamus, natura oritur. Sed quoniam amor plerumque ratione caret, fieri solet, ut *φιλεῖν* etiam de eiusmodi rebus dicatur, in quibus nulla honesta amoris causa deprehendatur. *Ἀγαπᾷν* autem nunquam de turpi amore dicitur.

In libris N. T. loci quidem nonnulli reperiuntur, in quibus *ἀγαπᾷν* et *φιλεῖν* promiscue dici videantur, sed sunt etiam alii, in quibus suo quodque sensu proprio di-

citur. Ex priori genere sunt, ubi promiscue dicitur φιλεῖν et ἀγαπᾷν Ἰησοῦν, et Luc. XI, 43. ἀγαπᾶτε τὴν πρωτοκαθεδρίαν, pro quo idem scripsit XX, 46. φιλεῖν τὴν πρωτ. Sed huc non referendus est locus Ioh. XXI, 15. ubi domino interroganti: ἀγαπᾷς με πλεῖον τούτων; respondet Petrus: ναὶ κύριε, σὺ οἶδας ὅτι φιλῶ σε· dominus autem bis instat verbis Petri, φιλεῖς με, i. e. adeo igitur me amas. Sed inprimis dignum est observatione, in N. T. nunquam homines dici φιλεῖν τὸν θεὸν, sed ἀγαπᾷν: sed deum dici φιλεῖν et ἀγαπᾷν τοὺς ἀνθρώπους. Etenim quoniam in v. φιλεῖν ipsa animi affectio cogitatur; sed in v. ἀγαπᾷν studium alicuius rei, inprimis quam veneramur, hominum quidem est, ut ἀγαπῶσι τὸν θεόν, deus autem et φιλεῖν homines cogitari potest, si recte egerint (semel Ioh. XVI, 27.), et vero etiam ἀγαπᾷν τοὺς ἀνθρώπους, quum bene ipsis cupit, eorumque saluti prospicit. Sic in ipso illo loco, in quo celebratur ἡ ἀγάπη τοῦ θεοῦ (Ioh. III, 16.), recte dicitur: ἠγάπησεν ὁ θεὸς τὸν κόσμον, non ἐφίλει: non potest enim cogitari, deum φιλεῖν τὸν κόσμον, qui non dignus erat amore. Quamquam dicitur etiam, quum deus probare homines cogitatur, sed additur causa honesta aut certe ex reliquis apparet. v. c. Ioh. XVI, 27. In Ev. Ioh. cap. XI, v. 3. 5. 36. de Domini erga Lazarum amore permutantur quidem φιλεῖν et ἀγαπᾷν. Nam v. 3. sorores nunciasse Domino narrantur: ὃν φιλεῖς, ἀσθενεῖ, et v. 36. homines, qui videbant tristitiam eius, dicunt ἴδε, πῶς ἐφίλει αὐτόν. Et v. 5. Iohannes de suis addit: ἠγάπα δὲ ὁ Ἰησοῦς τὸν Λάζαρον. Verum si recte omnia reputamus, non obscura causa apparet, cur hoc versu quinto Iohannes non scripserit ἐφίλει, sed ἠγάπα. Nam non ad Lazarum solum h. l. refertur amor ille, sed etiam ad sorores eius, quas ἀγαπᾷν potius quam φιλεῖν conveniebat Domino. Etenim amicitiae s. dilectionis sensus locum habebat, non autem illius amoris, qui in verbo φιλεῖν cogitatur, si de muliere dicitur. Quamquam enim φιλία amicitiam potissimum denotat (nam de amore ἔρως dicitur), tamen

de amicitia inter virum et feminam non dicitur φιλεῖν, nisi ubi amoris cogitatio adiuncta est. Sed ne quis argutari nos putet, ab alio loco exemplum petamus. Scilicet Matth. V, 43. manifesta est ratio, cur Dominus iusserit ἀγαπᾷν τοὺς ἐχθρούς, non autem φιλεῖν. Nam φιλεῖν, amare, pessimum quemque vir honestus non potest; sed poterit eum tamen ἀγαπᾷν, i. e. bene ei cupere et facere, quippe homo homini, cui etiam deus benefaciat. Amor imperari non potest, sed dilectio; dilectio humanitatis est, amor eorum tantum, quibus eadem mens est, idem animus (conf. Luc. VI, 32. 35.). Postulat Dominus, ut etiam hosti bene cupiamus, eiusque saluti, quantum possimus, prospiciamus, sed non postulat, ut pessimos quosque amemus. Contra eo loco, quo vituperantur hi, qui prae nimio vitae conservandae studio perdunt causas vivendi (Ioh. XII, 25.), recte dicitur ὁ φιλῶν τὴν ψυχὴν αὐτοῦ. Nam qui ἀγαπῴη τὴν ψυχήν, is verae saluti suae consuleret. Sed Lucae VII, 5. Iudaei dixisse narrantur: ἀγαπᾷ τὸ ἔθνος ἡμῶν, i. e. diligit, colit. De verbis Marci (X, 21.) ὁ δὲ Ἰησοῦς ἠγάπησεν αὐτόν, varia tentarunt interpretes. Sed non opus est, ut usum rariorem fingamus, quasi ἀγαπᾷν denotet, amicis et blandis verbis compellare, et ex adiuncto, probare, laudare, quem sensum haberet potius φιλεῖν. Quin si probasset dominus iuvenem illum, non addidisset, unum idque gravissimum et difficillimum ipsi superesse. Nam quum dominus animadvertisset, non inhonestum quidem illi ingenium esse, sed eum nimis rebus suis confidere, ut ei consuleret, admonitionem addidit, quam non tulit tamen eius lubido. Ergo ἠγάπησεν αὐτόν, i. e. bene ei cupiens, monuit hominem divitem, ut gravius etiam discipulos admoneret.

Ut breviter dicamus, φιλεῖν est *amare*, ἀγαπᾷν *diligere*. Haec enim verba latina eadem ratione differre, docent loca, quae ad Ioh. XI, 4. Wetstenius attulit. Add. Ciceron. ep. ad Dolabell. IX, 14. ad Attic. 17. ad Div. XIII, 47.

Ex his denique intelligitur, unde fiat, ut, quod supra observavimus, *φιλεῖν* et *ἀγαπᾷν* habeant significationem propriam, ita ut *ἀγαπᾷν* nunquam sit osculari, *φιλεῖν* nunquam denotet acquiescere, aut honorifice colere. Nam etiamsi possit dubitari, an propria *τοῦ φιλεῖν* significatio sit osculari, tamen manifestum est, hanc significationem cum ista amandi notione optime convenire, non autem cum notione dilectionis, cui ratio potius quam affectio animi praeest. Contra idem amoris impetus (*ὁρμή* Lucian. Amor. II, 436.) qui in v. *φιλεῖν* cogitatur, non reperitur in animo eius, qui *ἀγαπᾷ*, acquiescit, quum assecutus fuerit, quod studio suo dignum putavit. Postremo quoniam in v. *ἀγαπᾷν* inest notio admirandi et colendi, commode dicitur *ἀγαπᾷν*, qui honorifice aliquem compellat aut excipit. Ceterum tertium verbum, quod Graeci habent, *ἐρᾷν*, non legitur in libris N. T.

Ἀγαθοεργεῖν, ἀγαθοποιεῖν.

Ita cognata sunt, ut vix differre videantur. Nam verba, ex quibus composita sunt, plerumque non satis distinguuntur, *ἐργάζεσθαι* et *ποιεῖν*. Sed differunt tamen. Nam *ἀγαθοεργεῖν* est proprie *ἐργάζεσθαι τὸ ἀγαθόν* (occupatio bonò), bene agere, *ἀγαθοποιεῖν* autem est *ποιεῖν ἀγαθόν τι*, bonum aliquod efficere. In v. *ἀγαθοεργεῖν* actio cogitatur s. notio agendi, in v. *ἀγαθοποιεῖν* cogitatur aliquid amplius, nimirum effici aliquid boni. Idem faciunt *ὁ ἀγαθοεργῶν* et *ὁ ἀγαθοποιῶν τὸ ἀγαθόν*. Sed qui dicitur *ἀγαθοποιεῖν*, is simul cogitatur auctor boni, dum *ἀγαθοεργεῖ*, i. e. dum *ἔργοις ἀγαθοῖς* tantum occupatus est. Neque concessum est omnibus, ut efficiant bonum, *ἀγαθοποιεῖν*, sed nemo est, quin possit *ἀγαθοεργεῖν*, i. e. occupare se bene agendo. Nam ut in v. *ἐργάζεσθαι* cogitatur potissimum labor, studium aliquid efficiendi, ita etiam *ἀγαθοεργεῖν* est laborare bene agendo, sed *ἀγαθοποιεῖν* est, bonum, in quo laborat *ὁ ἀγαθοεργῶν*, efficere.

In N. T. semel tantum legitur *ἀγαθοεργεῖν* 1. Tim.

VI, 18. Vulgo vertunt *benefacere*, beneficum esse erga pauperes. Sed verendum est, ut beneficentiae notio recte ibi quaeratur; imo *bene agendi* notionem habet; nam de beneficentia et liberalitate dicuntur sequentia, εὐμεταδότους εἶναι, κοινωνικούς. Paulus iubet Timotheum hortari divites, ne superbiant divitiis, sed potius spem suam ponant in deo, ideoque vult eos ἀγαθοεργεῖν, bene agendo πλουτεῖν ἐν ἔργοις ἀγαθοῖς, bene factorum copias colligere, εὐμεταδότους esse et κοινωνικούς, beneficos et liberales, atque hac ratione comparare sibi verum thesaurum, quo etiam in futuro aevo fruantur. Vident omnes, nullam causam esse, cur in v. ἀγαθοεργεῖν de beneficentia cogitemus. Imo tautologia oriretur, quatenus enim eadem notio repetita esset.

Contra ἀγαθοποιεῖν est boni quid efficere, beneficia edere (eo sensu quo opponuntur maleficia). Ita dicitur Marc. III, 4. Luc. VI, 9. 33. 35. et opponitur τῷ κακοποιεῖν. Neque priori loco permutatur cum ψυχὴν σῶσαι — ἀπολέσαι. Sed hoc exemplum est, quo illustretur notio universalis, quae est in v. ἀγαθοποιεῖν. Hinc etiam 1 Petr. II, 15. dicitur, calumnias refellere Christianos posse ἀγαθοποιοῦντας, i. e. recte et honeste factis sedulo edendis, quae in sequentibus enumerantur. Recte igitur ἀγαθοποιΐα 1 Petr. IV, 19. *beneficentia* vertitur.

Est igitur ἀγαθοεργεῖν bene agere, *gut handeln*, ἀγαθοποιεῖν bene facere, *Gutes thun*.

ἑλκύειν (ἕλκειν)· σύρειν.

Satis constat, quam aegre veteres interpretes expedire se potuerint illo loco (Ioh. VI, 44.), ubi Dominus dixit: οὐδεὶς δύναται ἐλθεῖν πρός με, ἐὰν μὴ ὁ πατὴρ, ὁ πέμψας με, ἑλκύσῃ αὐτόν. Nam quoniam verbum ἑλκύειν vertitur *trahere*, violentiae quandam notionem inesse putabant, qui irresistibilem dei gratiam defendebant, quasi homines ad salutem praedestinatos, vel invitos, ad fidem deus adduceret. Sic ipse Calvinus, Augustino praeeunte, scripsit: *citra controversiam elicitur ex Io-*

hannis verbis, sic efficaciter gubernari divinitus piorum corda, ut inflexibili affectu sequantur. *Instit. rel. chr.* III, 2. 10. (conf. 22, 7.). Et quamquam habebant authenticam illorum verborum interpretationem vers. 65. ex quo intelligi poterat, illa nihil amplius valere, quam ἐὰν μὴ ᾖ δεδομένον αὐτῷ ἐκ τοῦ πατρός μου, tamen haerebant in notione trahendi; ideoque docebant, cui deus hoc dedisset, ut ad dominum veniret, eum etiam ita gubernari, ut resistere non possit; dari hoc autem tantum electis. Itaque theologi nostri, qui universalem dei gratiam defendebant, sed cui resisti posset, praeceperunt, in v. ἑλκύειν non esse necessario notionem vis cuiusdam in renitentem et nolentem, sed notionem adducendi, alliciendi. Quod quum multis locis graecorum scriptorum ostendi possit, tum maxime cognoscitur, si illud verbum cum v. σύρειν, quod synonymum est, comparatur.

Conveniunt enim in eo, quod utrique inest notio trahendi, i. e. efficiendi, ut aliqua res, e suo loco mota, aliam sequatur. Hoc sensu ἑλκύειν (quod saepissime nihil aliud est, quam secum ducere, ut in *Euripid. Ion.* v. 750.) dicitur Ioh. XVIII, 10. XXI, 6. 11. Sed ita differre videntur, ut in v. ἑλκύειν intelligatur *tractio* tendens aliquo, in v. σύρειν autem cogitetur potissimum, rei, quae trahitur, *motus*, isque continuus, neque interruptus. Quare saepius usurpatur σύρειν de iis, quae humi perpetim trahuntur, Lucian. I. Merced. cond. 3. 655. περιμείναντες ἐξ ἀγκ. αρ ὑ ν ου καὶ ἐμπεπηγότος, ἤδη συρόμενον καὶ πρὸς ἀνάγκην ἀγόμενον ὁρᾶν. Sermo est de homine, qui piscis, hamo capti instar, in terra trahitur. conf. I. Catapl. 13. 635. II. Luc. 56. 624. Eodem sensu dici videtur σύρδην apud Euripid. Rhes. v. 58. Sic etiam συρμός de impetu continuo dicitur ut συρμὸν χαλάζης, νιφετῶν, dixerunt recentiores poëtae v. c. Leonid. Alex. Ep. XII. Anal. II. 192. et πρηστήρων ἐξαισίους συρμούς Aeschin. Axioch. §. 17. Nisi fallimur, differunt, ut nostra *ziehen* et *schleppen* (*zerren*). Et quemadmodum

hoc verbum non adhibent elegantiores scriptores germanici, nisi ubi arti cuidam aut operae proprium est (v. c. *Schleppthau*, et *die Schleppe*, σύρμα); ita etiam simplex σύρειν rarissime reperitur apud scriptores graecos, nisi ubi notio violentiae in trahendo adiuncta sit. Neutri autem per se violentiae significatio inest, sed ad v. σύρειν accedit, quia cogitatur, rem, quae trahitur, ita sequi, quasi renitatur, ut maiori nisu trahenda sit. Manifesta est diversa notio in loco Iohannis XXI, v. 6. 8. 11. Nam quum discipuli nonnulli iussu Domini rete iecissent, οὐκ ἔτι αὐτὸ ἑλκύσαι ἴσχυσαν ἀπὸ τοῦ πλήθους τῶν ἰχθύων. Sed supervenerunt reliqui, σύροντες τὸ δίκτυον τῶν ἰχθύων. Denique quum in litus egressi essent, εἵλκυσε Petrus τὸ δίκτυον ἐπὶ τῆς γῆς. Ubi quis non videt, qua de causa secundo loco Iohannes usus fuerit verbo σύρειν. Neque est, quod dicamus, utrumque de re eadem dici eodem sensu: *Act.* XVI, 19. εἵλκυσαν εἰς τὴν ἀγοράν. *Act.* XXI, 30. εἷλκον αὐτὸν ἔξω τοῦ ἱεροῦ. *Iacob.* II, 6. ἕλκουσιν ὑμᾶς εἰς τὰ κριτήρια, et *Act.* VIII, 3. σύρων τε ἄνδρας καὶ γυναῖκας παρεδίδου εἰς φυλακήν. *Act.* XIV, 19. ἔσυρον ἔξω τῆς πόλεως· *Act.* XVII, 6. ἔσυρον ἐπὶ τοὺς πολιτάρχας. Certe in prioribus locis nulla inest notio violentiae, sed tantum efficacitatis, quae ne a primo quidem trahendi conatu abesse potest. Saepe etiam alias ἑλκύειν dicuntur, qui mallent non sequi id quod trahunt, ut catenas, calamitates, etc. Idem est in formula ἑλκύειν πόδα, et aliis, ex quibus apparet, in verbo illo simpliciter inesse notionem trahendi, nulla adiecta violentiae cogitatione, quae non nisi ex adiunctis accedit. Neque in formula ἑλκύειν εἰς τὴν ἀγοράν, εἰς κριτήριον, inest notio talis violentiae, quasi lictorum more in forum rapiantur renitentes, quae vis neque in formula latina, *in ius rapere*, inest. Quod luculenter apparet ex primo loco, Actorum XVI, 19. εἵλκυσαν εἰς τὴν ἀγορὰν ἐπὶ τοὺς ἄρχοντας· καὶ προσαγαγόντες αὐτοὺς τοῖς στρατηγοῖς, εἶπον. Sed summum est, quod σύρειν nunquam dicitur eo sensu, quo saepius ἑλκύειν usurpa-

tur, i. e. metaphorico, quo in illo Iohannis loco (et XII, 32.), et apud alios dicitur. Nam uti saepius ἑλκύειν de iis dicitur, qui sermone aliisve artibus alios pelliciunt, ut morem sibi gerant, ita etiam in illis locis nihil aliud est, quam allicere, adducere, opportunitate data ad partes suas perducere, quod non violentia fit, quae plerumque in trahendo cogitatur, sed dum quavis ratione voluntas flectitur. Sic apud Lucianum (I. Pisc. 46. p. 613.) dicitur ἑλκόμενος πρὸς τὴν ὄψιν, qui divitiarum et lubidinum propositarum adspectu movetur, et (I. Hermot. 74. p. 817.) ὑπὸ τῆς ἀκολουθίας ἑλκόμενος, qui falsa conclusione inducitur, ut quod falsum est, verum esse credat. Eodem modo apud Iacobum (I, 14.) est: ὑπὸ τῆς ἰδίας ἐπιθυμίας ἐξελκόμενος καὶ δελεαζόμενος. (conf. Aelian. Hist. Anim. VI, 31. et Aristaenet. Epist. II, 21.) Hinc dicitur in re venatoria de animalibus, quae non vi, sed arte dolove capiuntur. Sed σύρειν sic non dicitur; quod non mirandum est, si recte coniicimus, σύρειν potius esse *post se* trahere (unde σύρμα et ἐπισύρειν*), ut Apoc. XII, 4. ἕλκειν autem et ἑλκύειν, secum aut *ad se* trahere. Itaque si composita a σύρειν improprie dicuntur, non adducendi, sed detrahendi, depellendi, propellendi notionem habent. Quemadmodum *Lucianus* (I. Nigrin. 16. p. 55.) elegantissime dixit: παρασύρεται αἰδὼς καὶ ἀρετὴ καὶ δικαιοσύνη. Etenim παρασύρειν et περισύρειν est fluviorum et torrentium, qui aquis adauctis praecipitantes violenti impetu obstantia secum rapiunt. (vid. *T. Hemsterhus.* ad loc. Luciani).

Καινός· νέος.

In eo conveniunt, quod utrumque oppositum est τῷ παλαιῷ. Sed in παλαιῷ duo cogitari possunt, aut quod dudum ortum est (οἶνος παλαιός, Luc. V, 39.), aut quod diu duravit et in usu fuit (ἱμάτιον παλαιόν, Matth. IX, 16.). Priori notioni νέος oppositum est, posteriori καινός. Est enim καινόν, quod succedit in locum rei, quae antea adfuit, quod nondum usu tritum est, κα-

vum: *νέον* autem est, quod non diu ortum est, *recens.*

In libris N. T. hanc notionem utriusque vocabuli fere semper servari, docent loci, quos Lexica enumerant. Ex his nonnullos tantum afferamus: Matth. IX, 16. 17. ἱμάτιον παλαιόν — πλήρωμα καινόν· οἶνον νέον — ἀσκοὺς παλαιούς — καινούς. (conf. Marc. II, 21. Luc. V, 36.). Non dixit νέους ἀσκούς, neque οἶνον καινόν. Sed Matth. XXVI, 29. dicitur γέννημα τῆς ἀμπέλου καινόν, quia hic cogitandum est vinum *aliud*, quam quod tunc amicis dominus propinabat, non recens. Nam quia in v. καινός cogitatur, quod non diu fuit, sequitur, ut sit etiam *aliud*, ab eo, quod antea fuerat, diversum. Sic etiam nos, de vino loquuti, distinguimus vinum novum et recens. Itaque Marc. XVI, 17. γλῶσσαι καιναί, i. e. linguae, quibus antea non audiverant uti Apostolos, Act. II, 4. ἕτεραι dicuntur. Sunt quidem, qui praestantiae notionem adiungant. Sed ea notio non necessario inest τῷ καινῷ, quamquam ex opposito saepe accedat. Etenim quod diu usu tritum est, id plerumque vetustate corruptum est, neque vero καινά aut νέα omnia ideo sunt vetustis praestantiora. Itaque neque in illa formula: καινὸν ἀμπέλου γέννημα praestantiae notio per se inest, neque in his: καινὴ διαθήκη, Hebr. VIII, 8. 13. IX, 15. καινὴ ἐντολή Ioh. XIV, 34.

Sed permutantur tamen καινός et νέος in iisdem nominibus. Dicitur καινὴ διαθήκη et νέα διαθήκη Hebr. XII, 24. καινὸς ἄνθρωπος Eph. II, 15. IV, 23. et νέος ἄνθρωπος Col. III, 10. Sed quum semper καινὴ διαθήκη dicatur, ratione vetusti foederis, semel illo loco νέα dicitur, tamquam recens ortum foedus, quod modo factum est, cuius nunc socii facti erant Hebraei. Eadem ratio est, cur Paulus ad Colossenses νέον ἄνθρωπον dixerit, quem semper alias καινόν appellare consuevit. Est enim manifestum, h. l. rationem haberi potissimum τῆς ἀναγεννήσεως: est igitur καινὸς ἄνθρωπος a priori diversus, νέος qui est ἀνακαινούμενος κατ᾽ εἰκόνα τοῦ κτίσαντος

αὐτόν. Contra nunquam νέα κτίσις dicitur, sed καινή (2 Cor. V, 15. 17. Gal. VI, 15. Eph. II, 15.), quia in ipso v. κτίσις notio τῆς νεότητος inest. Ceterum discrimen illud, quod diximus, etiam in usu verborum ἀνακαινοῦν et ἀνανεοῦν observari potest, quae occurrunt in N. T. Vertunt enim quidem utrumque instaurare, renovare, sed differunt tamen. Quis enim non videt, 2 Cor. IV, 16. ὁ ἔσωθεν ἄνθρωπος ἀνακαινοῦται ἡμέρᾳ καὶ ἡμέρᾳ aliud quid inesse, quam si scriptum fuerit ἀνανεοῦται; contra Eph. IV, 23. Apostolum scribere debuisse ἀνανεοῦσθαι τῷ πνεύματι τοῦ νοὸς ὑμῶν. Nam si posteriori loco posuisset ἀνακαινοῦσθαι, non cogitaremus, quod ille cogitari voluit, novum spiritum existere debere in his, qui induant τὸν καινὸν ἄνθρωπον, imo tautologia oriretur, ut sequentia docent. Priori autem loco, ἀνακαινοῦται ἡμέρᾳ καὶ ἡμέρᾳ, non hoc inest, τὸν ἔσω ἄνθρωπον quotidie denuo nasci, sed novas, quas nondum habuerat, vires accipere de die in diem, ita ut, licet ὁ ἔξω ἄνθρωπος consumatur (διαφθείρεται), tamen nullo tempore animum despondere necesse sit. Sed recte Rom. XII, 2. est μεταμορφοῦσθε τῇ ἀνακαινώσει τοῦ νοὸς ὑμῶν, nam haec ἀνακαίνωσις non horae labor est, sed totius vitae, quamobrem etiam baptismus, τὸ λουτρὸν τῆς ἀνακαινώσεως, per totam, ut Lutherus dixit, vitam exercendus est.

P. P. Dom. IV. Advent. a. Chr. cIↃIↃCCCXXIII.
in Univ. Lips.

CAP. V.

Synonymorum diligens observatio in iis potissimum locis utilis et necessaria est, ubi iuxta se posita sunt. Quod quamquam apud omnes scriptores factum reperitur, tamen in libris sacris N. T. duabus de causis maxime observandum est, primum quia nonnulli eiusmodi synonymorum coniunctionem in scriptoribus minus elegantibus negligendam esse putant, deinde quod multi in locis quibusdam, in quibus synonyma cumulata sunt, emphasin aut ornatum quendam quaerere consueverunt. Sed utraque opinio falsa est. Primum enim satis constat, homines, qui linguam, qua utuntur, non studio, sed usu tantum didicerunt, saepius singularibus rerum signis uti, quae universalem, quae ipsorum animis obversatur, notionem deinceps exprimant; unde fit, ut quid proprie sibi velint, e synonymorum, quae iuxta se posita sunt, diligenti comparatione intelligi debeat. Quod autem de ornatu dicunt, id non magis verum est. Nam quemadmodum elegantissimi quique scriptores ab eiusmodi ornatu, qui in verbis tantum quaeritur, abstinuerunt, ita etiam in simplicioribus scriptoribus cavendum est, ne ornamenti aut oblectionis tantum causa vocabula, significationis quadam similitudine cognata, eodem loco coniuncta esse putemus. Etenim hodie quidem fieri solet, ut qui plurimos libros festinantissime conscripserunt, verbosius dicendi consuetudinem adsciscant, quae imperitis, in librorum lectione nil nisi inanis tardique temporis oblectamentum quaerentibus, mirifice placet, delicatioribus autem fastidium creat. Sed elegantiores

scriptores nullum verbum ponunt, nisi a sensu, qui ei subiectus est, aut luminis quid, aut varietatis accedat, quae propterea potissimum oblectat, quod ad eandem rem vario modo cogitandam et quasi adspiciendam invitat animum, efficitque, ut, quod uno vocabulo posito ab una tantum parte cogitaretur, id, pluribus descriptum modis, diversas eiusdem rei imagines in legentibus excitet. Simpliciores autem scriptores, qui id curant maxime, ut a lectoribus recte intelligantur, saepissime similes sententias, aut vocabula synonyma, iuxta se ponunt, non ornatus aut variationis causa, sed ut lectores plenius cogitent rem, quae ipsis obversatur, atque ex adiunctis totam perpiciant *). Quare non solum apud scriptores N. T., sed etiam apud antiquiores scriptores graecos, inprimis apud Homerum, multa loca occurrunt, in quibus coniunctae sunt aut voces aut sententiae synonymae; sed ornatum in eiusmodi locis alium frustra quaesiveris, nisi qui ex accurata rerum singularum, quibus universalis quaedam notio discernitur, descriptione ultro nascitur; placent et delectant, quamquam a scriptore non oblectationis causa posita sunt; nam quae in mero ornatu orationis voluptas inest, ea licet abfutura esset, si eo ornatu scriptor abstinuisset, tamen sententiam loci non minus recte lectores intelligerent. Sed in istiusmodi locis voluptas ex eo oritur, quod scriptor rem ipsam variis modis descriptam ante oculos lectoris posuit, non ut oblectaret, sed quod ita ferret consuetudo cogitandi. Quod priusquam exemplis scriptorum sacrorum

---

*) Hunc etiam primarium fontem illius *parallelismi* esse putamus, qui apud scriptores hebraicos, inprimis poeticos, tantopere celebratus, qua ratione quibusve legibus constet, nondum satis accurate expositum esse videtur. Nam quae *Herderus*, subtilissimi vir ingenii, in elegantissimo libro (*vom Geist der hebr. Poesie, Tom. I. Opp. p.* 34. *sqq.*) disputavit, in iis praestantiam quidem et vim, quae illi parallelismo inest, egregie explicuit, sed veram eius naturam non perscrutatus est.

N. T. demonstremus, iubet ex ipsius Homeri carminibus exempla quaedam afferre, quae quid sit, de quo disputemus, clare ostendant. E plurimis, quae sponte se offerunt, ea potissimum elegimus, quibus similia reperiuntur apud scriptores N. T. μίνυνθά περ οὔτι μάλα δήν. Iliad. α. 416. et saep. ἦμος δ' ἠέλιος κατέδυ καὶ ἐπὶ κνέφας ἦλθε Iliad. α. 475. μέγα κήδεται ἠδ' ἐλεαίρει. Iliad. β. 27. ὑπέσχετό καὶ κατένευσεν. Iliad. β. 110. ὄψιμον ὀψιτέλεστον. Iliad. β. 325. νικήσῃ κρείσσων τε γένηται. Iliad. γ. 92. αἴσχεα δειδιότες καὶ ὀνείδεα πόλλ' ἅ μοι ἐστὶν ib. 242. ἄβλητος καὶ ἀνούτατος, Iliad. δ. 540. ἤμβροτες οὐδ' ἔτυχες, Iliad. ε. 287. ἕλωρ καὶ κύρμα ib. 485. θανεῖν καὶ πότμον ἐπισπεῖν. Iliad. η. 52. θάνατον καὶ πότμον ἐπισπεῖν, Iliad. υ. 337. μύθῳ ἐπιτέλλεαι ἠδὲ κελεύεις. Iliad. κ. 61. κραδίη καὶ θυμὸς ἀγήνωρ, ibid. v. 220. 244. 319. (occurrit tantum in hac Rhapsodia Iliados, sed Odyss. δ, 348. σ, 60.) οὔτι μετατρέπομ' οὔτ' ἀλεγίζω. Iliad. μ. 238. πόλεμον καὶ δηϊότητα. Iliad. ν. 250. πολεμίζειν ἠδὲ μάχεσθαι. Iliad. λ. 12. ὑπέμειναν οὐδ' ἐφόβηθεν. Iliad. ε. 499. σῇσιν ἔχε φρεσί, μηδέ σε λήθη αἱρείτω. Iliad. β. 33. οὔτ' εἴρομαι οὔτε μεταλλῶ. Iliad. α. 553. In his nullum esse ornatum, neque emphasin quandam, quisque intelligit; sed negamus tamen, prorsus otiosam esse verborum synonymorum coniunctionem. Similia occurrunt apud alios elegantiores scriptores, quae non opus est enumerare *); sed reperiuntur etiam apud scriptores sacros. Itaque quum disputationem de synonymis in N. T., quam inchoavimus, persequi constituerimus, nunc quidem de eiusmodi locis nonnulla exempla petamus, ut demon-

*) Liceat tamen nonnulla subiicere, non dissimilia iis, de quibus dicturi sumus. E Xenophonte sufficiant haec: σώματα κάκιστα καὶ αἴσχιστα, Cyneg. 13. 11. κακῶν καὶ ἀνάνδρων, Lyc. 10. 6. ἀνοήτων καὶ ῥιψοκινδύνων, Memor. 1. 3. 9. ἀχρεῖον καὶ ἀνωφελὲς τοῦ σώματος, ib. 1. 2. 54. ἀπόρων καὶ ἀμηχάνων, ib. 2. 5. 3. ἀμέλειαν καὶ ῥαθυμίαν, ib. 3. 5. 5. παιδευθέντας καὶ μαθόντας, opp. ἀπαιδεύτους καὶ ἀμαθεῖς, ib. 4. 1. 4.

stremus, qua ratione, ex nostra quidem sententia, versandum sit, ut et ipsorum scriptorum mentem assequamur, et synonymorum veram vim definiamus.

ἤρεμος. ἡσύχιος.

Coniungit Paulus 1 Tim. II, 2. ἵνα ἤρεμον καὶ ἡσύχιον βίον διάγωμεν. Recte: utrumque exoptandum est. Nam conveniunt quidem in eo, quod in utroque nihil est tumultus, perturbationis, agitationis, sollicitudinis; sed differunt tamen. Scilicet ἡσύχιος est, qui nullas turbas facit, ἤρεμος autem, qui ipse ab agitatione turbisque liber est. Ergo vita ἡσύχιος est, quae aliis nullas turbas excitat, ἤρεμος autem, quae ab aliis non perturbatur. Ἡσύχιος hoc sensu manifesto dicitur in altero loco, in quo occurrit; 1 Petr. III, 4. τοῦ πραέος καὶ ἡσυχίου πνεύματος. Hinc ἡσυχάζειν est, acquiescere, nihil agere, et dicitur de iis quoque, qui nullum responsum dant, neque amplius contradicunt, ut Luc. XIV, 3. Act. XI, 18. XXI, 14. Et 2 Thess. III, 12. Paulus μεθ' ἡσυχίας ἐργάζεσθαι, τὸν ἑαυτῶν ἄρτον ἐσθίοντας, iubet eos, quos audiverat ἀτάκτως περιπατεῖν, μηδὲν ἐργαζομένους, ἀλλὰ περιεργαζομένους, i. e. alienis negotiis sese immiscentes. (*Aristid.* p. 494.) ἡσυχίαν ἦγε καὶ μηδὲν περιειργάζετο. Satis constat, ἡσυχίαν saepius de silentio dici. 1 Tim. II, 11. 12. coll. 1 Cor. XIV, 34. Ἤρεμος rarissime dicitur: sed usitatiora, ἠρέμα, ἠρεμαῖος, ἠρεμεῖν, ἠρεμίζειν, illam, quam diximus, significationem habent: quamquam in his vocibus saepe etiam ad res externas refertur notio tranquillitatis; nam qui ipse quietus, i. e. a metu aliisve affectionibus liber est, is neque aliis negotia turbasve facit. Hinc etiam fit, ut ἡσύχιος saepe de utroque dicatur. Addamus locum *Luciani* II. Amor. 29. 429. ἐγὼ δὲ ἡσυχῇ μειδιάσας καὶ ἠρέμα τὼ ὀφθαλμὼ παραβαλὼν (ὄμμα ἥσυχον, *Euripid. Orest.* 1217. Troad. 649.) Errant autem, qui dicunt, ἤρεμος idem esse quod ἥμερος. Sed eleganter *Lutherus*, ut plurima, vertit illum Pauli locum: *ein geruhiges und stilles Leben.* Quamquam

enim et nos quoque nonnunquam verbis *ruhe, ruhig*, et *stille, still*, promiscue utimur, tamen iis proprie idem discrimen inesse, formulae ostendunt, quae alterutrum necessario desiderant.

μάχεσθαι· πολεμεῖν. μάχαι· πόλεμοι.

Inter loca Homeri supra allata, posuimus etiam: πολεμίζειν ἠδὲ μάχεσθαι. Addi debet πόλεμοί τε μάχαι τε· Iliad. α, 177. ε, 891. Ad priorem locum haec *Eustathius*: τὸ πόλεμοί τε μάχαι τε, ἢ ἐκ παραλλήλου δηλοῖ τὸ αὐτὸ, ἢ καὶ διαφορά τις ἔστι ταῖς λέξεσιν, εἴγε μάχεται μέν τις καὶ λόγοις, ὡς καὶ ἡ λογομαχία δηλοῖ. καὶ αὐτὸς δὲ ὁ ποιητὴς μετ' ὀλίγα φησὶ, μαχεσσαμένω ἐπέεσσι. (v. 304.) καὶ ἄλλως δὲ μάχη μὲν, αὐτὴ ἡ τῶν ἄνδρων συνειςβολή. ὁ δὲ πόλεμος καὶ ἐπὶ παρατάξεων καὶ μαχίμου καιροῦ λέγεται. χρήσιμον δὲ ὧδε καὶ τὸ πολεμίζειν ἠδὲ μάχεσθαι. Haec Eustathii sententia quum usu aliorum scriptorum, tum locis S. S. egregie confirmatur. Paulus 2 Tim. II, 23. iubet τὰς μωρὰς ζητήσεις παραιτεῖν, ὅτι γεννῶσι μάχας. Idem Titum hortatur (III, 9.): μωρὰς δὲ ζητήσεις, καὶ γενεαλογίας, καὶ ἔρεις καὶ μάχας νομικὰς περιΐστασο. 2 Cor. VII, 5. αἱ ἔξωθεν μάχαι non sunt corporis calamitates, sed ipsae contentiones, quibus Apostolo conflictandum erat. Coll. *Ioh.* VI, 52. 2 *Tim.* II, 24. *Act.* VII, 26. (*Exod.* II, 13. נצים.) *Πόλεμος* autem et *πολεμίζειν* de proeliis et dimicationibus, quae consertis manibus fiunt, dicuntur. Nam *Apocal.* II, 16. tropice dicitur πολεμήσω μετ' αὐτῶν ἐν τῇ ῥομφαίᾳ τοῦ στόματός μου. (conf. v. 12.) De contentione verborum nunquam dicuntur.

Conveniunt igitur in eo, quod dimicationem, contentionem, pugnam denotant, sed πόλεμος et πολεμεῖν de pugna, quae manibus fit, proprie dicuntur, μάχη autem et μάχεσθαι de quacunque contentione, etiam animorum, etiamsi non ad verbera et caedes pervenerit. In illis igitur ipsa pugna cogitatur, in his sufficit cogitare de contentione, quam pugna plerumque sequitur. Nam in v. μάχεσθαι non proprie et necessario inesse notionem

pugnae s. dimicationis, vel unus Homeri locus ostendit (*Iliad.* α, 298.) χερσὶ μὲν οὔτοι ἔγωγε μαχήσομαι εἵνεκα κούρης. Imo, si recte suspicamur, propria ab initio illi verbo fuit notio contentionis seu impetus, quo quis se in alium infert; unde etiam mediam tantum terminationem habet. Hinc simpliciter μάχεσθαι τινί est vehementer invehi in aliquem, ut *Iliad.* ζ, 329. μάχαι et ἔριδες saepe iunguntur, ut in illis Homeri locis *Iliad.* α, 177. ε, 891. *Xenoph. Hier.* I, 38. Latius igitur patent μάχη et μάχεσθαι· πόλεμος enim et πολεμεῖν proprie de pugna dicuntur. Eodem fere modo apud nos differunt *Streit* et *Kampf*, *streiten* et *kämpfen*. *Lutherus Iacobi* IV, 1. πόθεν πόλεμοι καὶ μάχαι ἐν ὑμῖν; vertit: *woher kommt Streit und Krieg unter euch*; sed versu sequ. μάχεσθε καὶ πολεμεῖτε, *ihr streitet und krieget*; hoc rectius; nam *Krieg* et *kriegen* olim eodem fere sensu dicebatur, ut πόλεμος et πολεμεῖν. Sed voc. *kämpfen* et *Kampf* Lutherus expressit graeca ἀγών et ἀγωνίζεσθαι.

σύμψυχοι· τὸ αὐτὸ (τὸ ἓν) φρονοῦντες.

Locus, ex quo haec sumta sunt, reperitur *Philipp.* II, 2. Πληρώσατέ μου τὴν χαρὰν, ἵνα τὸ αὐτὸ φρονῆτε, τὴν αὐτὴν ἀγάπην ἔχοντες, σύμψυχοι, τὸ ἓν φρονοῦντες. Voc. σύμψυχος semel tantum in N. T. h. l. occurrit. Differt autem ab ἰσόψυχος, quo Paulus usus est in eadem ep. II, 20. Nam ἰσόψυχος est, qui *eodem modo* est animatus (*gleichgesinnt*) σύμψυχος autem, qui *idem* sentit, unanimis (*einmüthig*). σύμψυχοι esse possunt, qui non sunt ἰσόψυχοι. Saepe enim fit, ut idem sentiant, quibus diversus animus est. Sunt igitur σύμψυχοι, οἱ τὸ αὐτὸ φρονοῦντες. Sed quaeritur, quomodo differant τὸ αὐτὸ φρονεῖν et τὸ ἓν φρονεῖν. Vix enim credi potest, Apostolum sic temere tautologice loquutum esse. Semel tantum, hoc quidem loco, scripsit τὸ ἓν φρονεῖν, sed sexies τὸ αὐτὸ φρονεῖν. Est autem τὸ αὐτὸ φρονεῖν, eandem sententiam habere, idem sentire, velle et quaerere. Sic *Rom.* XII, 16. τὸ αὐτὸ εἰς ἀλλήλους φρονοῦντες·

Rom. XV, 5. τὸ αὐτὸ φρονεῖν ἐν ἀλλήλοις· 2 *Cor.* XIII, 11. τὸ αὐτὸ φρονεῖτε, εἰρηνεύετε. Et in hac ipsa ad *Philipp.* ep. III, 16. τῷ αὐτῷ στοιχεῖν κανόνι, τὸ αὐτὸ φρονεῖν (si lectio genuina est), et IV, 2. τὸ αὐτὸ φρονεῖν ἐν κυρίῳ. Eodem sensu hanc formulam ab aliis quoque dici, non est, quod exemplis demonstremus. Sed τὸ ἓν φρονεῖν, est, unum tantum velle, in uno expetendo consentire. Vult igitur Apostolus Philippenses τὸ αὐτὸ φρονεῖν, i. e. non dissentire invicem, imo eodem amore mutuo se invicem amplecti; unanimes, *unum* quaerentes. Nam si quisque aliud quid quaerat, neque σύμψυχοι esse omnes poterunt, neque τὴν αὐτὴν ἀγάπην habebunt. Sed τὸ ἓν, quod vult omnes φρονεῖν, ipse v. 4. explicat, μὴ τὰ ἑαυτῶν ἕκαστος σκοποῦντες, ἀλλὰ καὶ τὰ ἑτέρων ἕκαστος. Vult igitur omnes συμψύχους εἶναι, τὸ ἓν φρονοῦντας, dum omnes *unum* tantum, i. e. aliorum commodum, quaerant. Nam si οἱ πάντες τὰ ἑαυτῶν ζητοῦσι (v. 20.) concordes esse non possunt; sed si omnes in uno consentiant, ut aliorum commodum quisque respiciat et maxime curet, mutuo amore concordes vivent.

Ut breviter dicam, τὸ αὐτὸ φρονεῖν est, eandem mentem habere, σύμψυχον εἶναι, idem sentire, concordi animo esse, τὸ ἓν φρονεῖν, non dissidere consiliis, sed unum idemque quaerere.

σπλάγχνα· οἰκτιρμοί.

In eodem ad Philipp. epistolae loco v. 1. haec leguntur: εἴ τινα σπλάγχνα καὶ οἰκτιρμοί, πληρώσατέ μου τὴν χαράν. Si verum esset, quod in vulgaribus Lexicis N. T. dicitur, σπλάγχνα metaphorice dici de misericordia, commiseratione, tautologice Paulus scripsisset. Sed latiorem esse voc. σπλάγχνα significationem, eique notionem misericordiae tantum ex adiunctis accedere, ii loci ostendunt, ubi dicitur σπλάγχνα ἐλέους, *Luc.* I, 78. σπλάγχνα οἰκτιρμῶν *Coloss.* III, 12. Nimirum ut σπλάγχνα proprie sunt viscera illa, nobiliora vocata, cor, pulmones, hepar et lien (σπλάγχνον· ἡ καρδία), unde εὔσπλαγχνοι et

εὔσπλαγχνία de fortitudine dicuntur (*Herzhaftigkeit*), ita metaphorice de vehementioribus animi affectionibus et sensibus usurpantur, qui ex illis potissimum visceribus oriri credebantur. Hinc *σπλάγχνα θερμαίνειν πρὸς ὀργήν*, *Aristoph. Ran.* v. 868. et *αἰνιᾶν σπλάγχνον Sophocl. Ajac.* v. 995. et *ἄσπλαγχνοι* sunt, qui sensu amoris et benevolentiae, vel odii quoque et irae destituti sunt, *ὡς λίθοι ἀναίσθητοι ὑπάρχοντες, κατὰ τὸ μηδὲν ἔχειν ἔνδον συναλγοῦν. — μὴ ἐλεοῦντες μηδένα, μήτε φιλοῦντες, μηδ' ὅλως φροντίζοντες ἢ ἐπαινούντων ἢ ψεγόντων, ἢ ἀδικούντων, ἢ ὠφελούντων.* (*Galen. de Dogm. Hippocr. et Plat. III.* c. 4. Tom. V. Opp. 316. ed. Lips. nos *herzlos* dicimus). Praeclare Lutherus *σπλάγχνα ἐλέους* vertit *herzliche Barmherzigkeit* et *σπλάγχνα οἰκτιρμῶν herzliches Erbarmen.*

Differunt igitur *σπλάγχνα* et *οἰκτιρμοί*. Nam illud quidem amorem vehementiorem quemcunque denotat, *στοργήν* (parentum erga liberos, quia is vehementissimus est, unde liberi *σπλάγχνα* dicuntur metonymice *Philem.* v. 12. et saepe apud alios) hoc autem misericordiam proprie denotat, s. sensum doloris ex malis s. incommodis aliorum. Itaque verba illa Pauli sic vertenda sunt: si quis verus amor (erga me) et misericordia in vobis inest. *Lutherus: herzliche Liebe und Barmherzigkeit.*

Obiter dicamus h. l. de synonymis

ἔλεος· οἰκτιρμός· ἐλεεῖν· οἰκτείρειν.

Denotant autem *οἰκτείρειν* et *οἰκτιρμός* ipsam tantum misericordiam, s. sensum doloris ex malis aliorum, *barmherzig seyn, Barmherzigkeit, Mitleiden:* sed *ἔλεος, ἐλεεῖν*, ipsum miseris succurrendi studium, *Erbarmen.* Ita fere semper *Lutherus* distinxit. In his igitur plus quam in illis cogitatur; est enim adiuncta notio beneficentiae s. auxilii, ad quod ferendum promtus est *ὁ ἐλεῶν.* Facilius misericordia movetur animus, sed *τὸ ἔλεος* rarius invenitur. Alexandrini *ἔλεος* plerumque ponunt pro חסד. sed pro רחם et חנן habent *οἰκτείρειν*. Hinc

etiam ἔλεος et ἐλεεῖν (ἐλεημοσύνη) de ipsis beneficiis in N. T. dicuntur, quae miseris contingunt, οἰκτιρμός nunquam. Idem observandum est de insigni illo loco *Rom. IX,* 15. ἐλεήσω ὃν ἂν ἐλεῶ καὶ οἰκτειρήσω ὃν ἂν οἰκτείρω. col. *Exod. XXXIII,* 19. ὁ ἐλεῶν subvenire studet misero, et si potest, vere subvenit, sed qui intra fines doloris se tenet, is tantum οἰκτείρει. Romani utramque notionem vv. misericors et misericordia expressisse videntur; nisi fortasse rectius *miserationem* et *misericordiam* ita distinguamus, ut illa οἰκτιρμόν, οἶκτον, haec ἔλεος denotet. Illa verba sic verti possunt: *succurram* (opem feram) *cui volo succurrere, miserebor cuius miseret me;* certe ex Apostoli consilio: nam verba hebraica habent potius certi et perpetui favoris et auxilii divini significationem, quam summi in beneficiis distribuendis arbitrii. Sed valde tamen errarunt, qui haec verba sic ab Apostolo intellecta fuisse putarunt, quasi Deus *nolit* nonnullos servari. Nam quae sequuntur: ἄρα οὖν οὐ τοῦ θέλοντος, οὐδὲ τοῦ τρέχοντος, ἀλλὰ τοῦ ἐλεοῦντος θεοῦ, ea non hanc vim habent, quod, etiamsi quis omni studio appetat favorem dei, eum tamen non consequatur is, quem *noluerit* deus (et *praedestinaverit*), ut consequeretur. Nam qui beneficium dat, eius benignitati, non nostro studio beneficium acceptum referendum est; ergo beneficia a misericordia et clementia dei accipimus, non nostra opera aut labore nostro. Itaque recte dixit: οὐ τοῦ θέλοντος, οὐδὲ τοῦ τρέχοντος, ἀλλὰ τοῦ ἐλεοῦντος θεοῦ, scil. τὸ χάρισμα i. e. non nostro studio aut labori acceptum referri beneficium potest, sed misericordiae dei, nam ab hoc venit; favet enim et benefacit, cui ipse vult. Unde non sequitur, quod nonnulli voluerunt, etiamsi quis velit, tamen nihil consequi, *quia deus hunc nolit potiri voto;* sed, quod verissimum est, etiamsi omnem operam impendamus, dei tamen beneficio nos τὴν ἐπαγγελίαν consequi, non nostro merito. Venit enim a deo; ipse distribuit nihil merentibus; alii iuvantur, alii nihil accipiunt; hi excidunt ἐπαγγελίᾳ,

quia eam non recte ratione consequi student (Ἰσραὴλ διώκων νόμον δικαιοσύνης, εἰς νόμον δικαιοσύνης οὐκ ἔφθασε, ὅτι οὐκ ἐκ πίστεως, ἀλλ' ὡς ἐξ ἔργων νόμου, v. 31.); illi οὐκ ἠλεημένοι, ἀλλ' ἐλεηθέντες, μὴ διώκοντες δικαιοσύνην, καταλαμβάνουσι δικαιοσύνην, δικαιοσύνην δὲ τὴν ἐκ πίστεως. Num igitur deus ita ἐλεεῖ, ut quos nolit servari, hi perire debeant, etiamsi maxime διώκωσι τὴν δικαιοσύνην; Imo non consequuntur, quod volunt, quia ζῆλον μὲν θεοῦ ἔχουσιν, ἀλλ' οὐ κατ' ἐπίγνωσιν. Si veram quaererent δικαιοσύνην, eam etiam consequerentur, et tamen οὐ τοῦ τρέχοντος, ἀλλα τοῦ ἐλεοῦντος θεοῦ esset illud beneficium. Saepe igitur miratus sum, quod absoluti decreti defensores in his verbis sententiae suae testimonium quaesiverunt. Scilicet versum illum sic intellexerunt: ergo nihil refert sive nos quaeramus favorem dei, sive nihil curemus, si modo deus faveat; nam etiamsi quis maxime studeat et laboret, ut consequatur salutem, tamen eam consequi non potest, nisi deus voluerit. Verum est hoc quidem, si deum nolle credamus; sed hoc et rationi rectae repugnat, veraeque religioni, neque in hoc loco inest. Imo iure suo quaerat quisque linguarum peritior, quo pacto demonstrare possint, formulam illam εἶναι τινός significare, quod illi volunt. Deesse enim ἐστί in illis verbis, manifestum est. Sed quid sit, οὐκ ἔστι τινός, non explicuerunt. Lutherus vertit: *So liegt es nun nicht an dem* etc. Beza: electio non est eius, qui velit etc. Ille, quod deest, impersonali formula explevit, hic notionem electionis temere adiecit. Temere dico, nam in toto capite non est sermo de illa electione, quae in scholis dicitur, sed de divinis beneficiis, inprimis de vocatione ad regnum Messiae (v. 24. sq.). Rectius igitur Schottus: beneficia divina non pendent ab homine appetente, etc. Est enim εἶναι τινός, in aliquo causam habere s. ita coniunctum esse cum aliquo, ut is causa sit vel quod omnino sis, vel quod aliquid sis aut facias. Hinc est, originem suam alicui debere, ex aliquo pendere, in potestate

esse arbitrii cuius. *Xenoph. Memor. I*, 1. 9. τοὺς δὲ πάντα τῆς ἀνθρωπίνης γνώμης εἶναι οἰομένους, δαιμονᾶν ἔφη., (Marc. XII, 23. τίνος αὐτῶν ἔσται ἡ γυνή). Sive igitur vertamus: in potestate non sunt, sive, non pendent e studio, tamen nihil amplius inest, quam causam illorum esse misericordiam dei. Postremo monemus, ne quis in particula ἂν incertae voluntatis aut arbitrii notionem quaerat, quam h. l. nonnullorum animis obversatam fuisse, non temere licet suspicari. Nam verba ὃν ἂν ἐλεῶ non significant: *quemcunque voluero*, quasi incertum sit, an velit, qui ista dixerit, sed, *si quem* volo, ita ut verus loci sensus sit: si cuius me miseret, eius miserebor; ideoque non incertum est, an velit misereri, imo certissimum: nam velle se Mosi praesenti numine adesse, verbis antecedentibus promiserat. Sic apud Xenophontem: *Polit. II*, 6. ἐὰν ἡ πόλις διδοίη οἰκοδομησαμένοις ἐγκεκτῆσθαι, οἳ ἂν αἰτούμενοι ἄξιοι δοκοῦσιν εἶναι i. e. si qui petentes ius civitatis digni videantur. *Thucyd. VI*, 14. ὅς ἂν pro εἴ τις. et VI, 16. et II, 44. *Demosth. c. Neaer.* 1386, 17. Haec obiter de celeberrimo loco disputata ferant lectores.

ψιθυρισταί· καταλάλοι.

In Ep. ad *Romanos* cap. I, v. 30. 31. Paulus iuxta enumerat ψιθυριστὰς, καταλάλους· ὑβριστὰς, ὑπερηφάνους, ἀλαζόνας· ἀσυνθέτους, ἀσπόνδους· ἀστόργους, ἀνελεήμονας. De quibus singulis breviter dicemus.

Ψιθυρισταὶ et καταλάλοι in eo conveniunt, quod calumniantur, sed differunt. Est enim ψιθυριστής, qui clam calumnias spargit, et veluti in aures aliorum insusurrat, καταλάλος qui aperte calumniatur. Sic etiam 2 *Cor.* XII, 20. ψιθυρισμός et καταλαλιά distinguuntur. Ad quem locum *Suidas*: ψιθυρισμός· ἡ τῶν παρόντων κακολογία, παρὰ τῷ ἀποστόλῳ· *Kusterus* mavult ἀπόντων. Sed nihil mutandum. Praesentes enim εἰς τὸ οὖς tantum calumniatur obtrectator, absentes publice et ἀδεῶς. Consentit *Theodoretus* ad h. l. ψιθυριστὰς λέγει

τοὺς πρὸς τὸ οὖς διαλεγομένους καὶ παρόντας τινὰς κακῶς ἀγορεύοντας. Idem ad Rom. I, 30. καταλάλοι, οἱ διαβολαῖς κατὰ τῶν ἀπόντων ἀδεῶς κεχρημένοι. Commune est utrique τὸ διαβάλλειν. Sed *Iac.* IV, 11. in verbis: ὁ καταλαλῶν ἀδελφοῦ, καταλαλεῖ νόμου, nonnullis καταλαλεῖν νόμου esse videtur, contra legem agere; perperam. Quamquam enim concedimus, nonnunquam, sed rarissime, idem verbum bis deinceps poni diverso sensu, (si quem habeat) tamen maximopere cavendum esse putamus, ne ad figuras, nescio quas, in scriptis Apostolorum inveniendas contra usum loquendi illud factum esse existimemus, ipsamque interpretationem incertam reddamus. Quin h. l. manifestum est, καταλαλεῖν νόμου esse, ipsi legi obtrectare. *Qui fratrem*, inquit, *calumniatur, is idem facit, quasi ipsam legem calumnietur.* Addit etiam: ὁ τὸν ἀδελφὸν κρίνων, τὸν νόμον κρίνει. Utrumque enim lex facere vetuit.

ἀλαζόνες· ὑπερήφανοι· (ὑβρισταί).

Ἀλαζόνες et ὑπερήφανοι iunguntur etiam 2 Tim. III, 3. Conveniunt autem in eo, quod uterque plus sibi arrogat, quam decet. Sed ἀλαζονεία in verbis magis est, *ostentatio*, ὑπερηφανία *superbia*, cum aliorum contemtu et contumelia coniuncta. Ἀλαζών est iactator vanus et gloriosus, ὑπερήφανος, qui ob ea, quibus praestat, aut certe praestare se putat, superbit; ἀλαζονεία est vana iactatio et arrogantia, ὑπερηφανία autem superbia. Deinde ὁ ἀλαζών iactat se, quoniam sibi placet et vult, ut alii eum admirentur, citra contumeliam aliorum, sed ὁ ὑπερήφανος contumeliose se gerit, contemnit alios, insolenter se effert: ille risum plerumque, raro odium movet, hic contemtum eorum, quos contemnit, odium, iram excitat: nam ille quidem iactat tantum sua bona, hic autem etiam contemtum aliorum factis suis prodit. Scite *Casaubonus ad Theophr.* p. 353. ἀλαζών et ὑπερήφανος hoc differunt, quod sine contumelia aliorum sua extollit ostentator, et se ipsum φρεναπατᾷ (*Galat.* VI, 3.),

sed ὑπερήφανος contumeliosus est, omnesque prae se uno despicit. De differentia vv. ἀλαζονεύειν et περπερεύεσθαι, quod legitur 1 Cor. XIII, 4. vid. Valckenar. ad Lennep. Etymol. II. p. 764. ἀλαζονεύειν est eius, qui mendax *falsa* de se iactat, sed περπερεύεσθαι dicitur, qui bona, quae ipsi *vere* insunt, nimia iactatione elevat et ostentat.

Ab utroque differunt ὑβρισταί. Hi sunt enim insolentes, qui prae superbia non solum contemnunt alios, sed etiam contumeliose tractant et iniuriis afficiunt, qui superbiam factis exserunt. ὑβριστὴς neminem curat, sed quidvis sibi licere erga quemvis putat. vid. *Eustath. ad Odyss. α,* p. 51. et *Wettsten.* ad N. T. II. p. 28. Differunt igitur haec tria etiam gradu. Nam in ἀλαζονείᾳ nullus aliorum contemtus est, sed vana tantum ostentatio, in ὑπερηφανίᾳ est contemtus aliorum et contumelia, in ὕβρει contemtus cum iniuria. ὑβρισταῖς opponuntur σώφρονες (*Xenoph. Cyrop.* III, 1. 12. *Ages.* 10. 2.) ὑπερηφάνοις, οἱ ταπεινοί (*Iacob.* IV, 6. 1 Petr. V, 5.).

His quartum, αὐθάδης, adiungamus, quod legitur *Tit.* I, 7. 2 *Petr.* II, 20. Hoc vocabulum significat vitium morum, cuius caussa praecipua est, quod quis sibi soli placet, qui nihil nisi quod ipse facit, rectum putat. Est igitur αὐθάδης, qui se non accommodat aliis, ideoque omnibus incommodus est, morosus; δύσκολον eundem dixit Aristoteles. Sed vide *M. Moral.* I, 29. Itaque saepe coniungitur cum σκληρός et θρασύς, ut in loco Petri cum τολμητής. (*Eunap. de Leg.* p. 217. τολμηρότατοι καὶ αὐθάδεις). Hic vero τολμηταὶ αὐθάδεις non sunt temerarii, qui sibi unice placent, ut vulgo vertitur, sed homines προπετεῖς et truces, qui neminem curant. Et sane non αὐθάδη, morosum, sed comem et σεμνόν decet esse episcopum.

ἀσύνθετοι· ἄσπονδοι.

In eo conveniunt, quod cum aliis in inimicitia et bellis vivere malunt, quam in amicitia et gratia. Sed

quemadmodum differunt συνθῆκαι et σπονδαί (fiunt enim συνθῆκαι inter eos, quorum nulla inimicitia fuit; σπονδαί autem bellum, quod fuit, certe ad tempus finiunt), ita etiam differunt ἀσύνθετοι et ἄσπονδοι. Sunt enim ἀσύνθετοι, non, ut male vulgo interpretantur, qui foedera inita frangunt, sed qui non ineunt pacta, neque facile paciscuntur cum aliis, sed contendere malunt (plane ut nos *unverträglich*); ἄσπονδοι autem sunt, qui redire in gratiam nolunt, sed perpetua bella gerere amant (*unversöhnlich*); ἀσύνθετοι nihil faciunt ad servandam amicitiam, ἄσπονδοι ad restituendam; ἀδιάλλακτοι· ἄσπονδος πόλεμος est implacabile bellum, sed Demosthenes ἀσυνθετώτατον τὸν ὄχλον dixit de fals. Leg. p. 383. διὰ τὸ ἀνομόλογον καὶ ἀσύμφονον, ut recte *Harpocrat.* explicat.

Denique

ἄστοργοι· ἀνελεήμονες

quomodo differant, ex iis, quae supra ad v. ἔλεος dicta sunt, luculenter intelligitur.

(ἀμαθεῖς) ἀστήρικτοι· ἀσθενεῖς. ἄῤῥωστοι.

Priora iuncta leguntur in 2 Ep. Petri III, 16. ἃ οἱ ἀμαθεῖς καὶ ἀστήρικτοι στρεβλοῦσιν εἰς τὴν ἰδίαν αὐτῶν ἀπώλειαν. Facile largimur, non esse synonyma, si proprie dicantur. Sed quum h. l. ἀστήρικτοι sint, qui in religionis scientia nondum satis confirmati sunt, possunt sane cum τοῖς ἀμαθεῖς comparari. Sunt enim ἀμαθεῖς, qui non didicerunt, quae discere potuissent ac debuissent, s. qui carent recta institutione et disciplina. *Xenoph. Mem.* IV, 1. 4. παιδευθέντας καὶ μαθόντας — ἀπαιδεύτους καὶ ἀμαθεῖς. Itaque ἀμαθεῖς sunt prorsus rudes, ἀστήρικτοι, qui didicerunt quidem, sed nondum satis confirmati sunt institutione, h. l. qui nondum certam habent religionis scientiam. Vix opus esset hoc monere, nisi interpretes solerent in v. ἀμαθεῖς quaerere notionem perversitatis et impietatis; scilicet ut recte dixisse Petrus videatur, illos quaedam Pauli dicta pervertere ad suam

perniciem. Sed quid tunc dicamus de ἀστηρίκτοις, nisi putemus, hos quoque infirmitatis suae culpam sustinere? Enim vero ἡ ἀπώλεια αὐτῶν non est poena culpae, sed malum, quod ex quacunque inscitia sponte nascitur, etiamsi nulla inscitiae culpa adsit. Vertunt etiam: *indociles*, sed non demonstrare possunt, τὸν ἀμαθῆ simpliciter dictum, indocilem esse, qui nolit edoceri. Aliud est, quum ἀμαθὴς, s. ἀμαθέστερός πρός τι dicitur. Sed non opus est excusatione. Nam qui sunt adhuc rudes et infirmi, hi ad suum malum pervertunt illa δυσνόητα Pauli, neque iniuria; debebant enim dudum esse σοφοὶ καὶ τέλειοι.

Sed 1 *Cor.* XI, 30. iunguntur ἀσθενεῖς καὶ ἄῤῥωστοι. Lutherus vertit: *Schwache* und *Kranke*. Si Grammaticos veteres audimus, ἄῤῥωστοι et νοσοῦντες differunt; contra vero ἀσθενεῖς et ἄῤῥωστοι iidem esse videri possunt, si compositionem spectemus. Sed differunt. Nam ἀσθενεῖς sunt, quibus desunt vires ipsae, *infirmi*, imbecilles, ἄῤῥωστοι quorum viribus robur deest, languidi, *aegri*, aegroti. *Cicero de clar. or.* 180. *infirma atque etiam aegra valetudine fuit.* Sic ἄῤῥωστος τὴν ψυχὴν apud *Xenoph. Apol.* 30. est, cuius animus aeger est, sed *Ages.* 9. 5. ἀσθένεια ψυχῆς est animi imbecillitas, ob quam fugit laborem ὁ τῶν ἀσθενεστάτων θηλιῶν βίον μιμούμενος· ἀσθενής est, qui vires nullas natura habet, ἄῤῥωστος, qui viribus aeger est s. robur virium amisit. *Xenoph. Memor.* II, 6. 12. οἱ φύσει ἀσθενεστάτοι τῷ σώματι. *Id. Oeconom.* 4. 2. τῶν σωμάτων θηλυνομένων καὶ αἱ ψυχαὶ ἀῤῥωστότεραι γίγνονται. Quamquam de aegrotis utrumque quum apud alios, tum apud scriptores N. Foederis, satis constat. Aegrotus etiam κάμνων dici plerisque videtur in isto *Iacobi* loco (V, 15.) καὶ ἡ εὐχὴ τῆς πίστεως ἐγερεῖ τὸν κάμνοντα, inprimis quod v. 14. est ἀσθενεῖν. Itaque hunc locum Pontificii afferunt, ut e Scripturis probent sacramentum (quod ipsi quidem dicunt), extremae unctionis. Sed quamquam concedimus, κάμνειν saepius esse aegrotare (vid. *Wetsten.* ad N. T.

II, p. 680.), tamen dubium videri potest, an non h. l. potius ὁ κάμνων sit, qui animo laborat. Sic dicitur manifesto *Hebr.* XII, 3. ἵνα μὴ κάμητε ταῖς ψυχαῖς ὑμῶν, et *Apocal.* II, 7. κεκοπίακας ἀλλ' οὐ κέκμηκας. Est enim κάμνων proprie qui laborat in aliqua re, deinde cui per laborem improbum defatigato vires deficiunt, aegrotus, unde οἱ καμόντες et κεκμηκότες (non autem οἱ κάμνοντες) sunt mortui. *V. Buttm. Lexilog. II. n.* 103. Nolumus tamen insistere coniecturae nostrae, partim quia non a vero abhorret, Iacobum illa praecepisse ad reliquorum Apostolorum exemplum (*Marc.* VI, 13.) et consuetudinem veterem, partim quod non opus est incerta interpretatione, quia vel sic nihil efficiunt Pontificii. Iacobus enim unctionem illam cum piis precibus adhiberi vult *ad aegrotos sanandos*; illi autem unctionem extremam non adhibent, nisi in his, de quibus servandis nulla spes superest, neque ad eos sanandos, sed ut moribundi expeditiorem in coelum viam habeant, ut legitur in Catechismo Romano.

Sed haec nunc quidem hactenus. Indicimus enim vobis omnibus, Cives Carissimi, festissimos dies, quibus ecclesia celebrat resurrectionem Domini ac Servatoris Iesu Christi, qui vitae sanctissimae exemplo, religionis doctrina vere divina tradenda, obedientia erga patrem perfectissima, morte et reditu ad patrem, solam viam in coelum, non expeditam illam quidem istorum hominum opinione, sed unicam, certam, beatissimoque exitu non cariturum, non solum monstravit, sed patefecit, sed ipse praeivit. Agite hoc omnes, quicunque quam ardua sit haec via, iam cognovistis et quotidie intelligitis, ut divini servatoris exemplo moniti et confirmati ne κάμητε ταῖς ψυχαῖς ὑμῶν, sed virtute et constantia ad beatum rerum vestrarum exitum perveniatis. Itaque per dies festos, qui instant, sacris publicis frequenter adeste.

P. P. Dom. Palmarum a. D. cIↄIↄcccxxiv.
in Univ. Lipsiensi.

CAP. VI.

Synonymorum minus accurata observatio non solum iis, qui in sensu locorum N. T. explicando religiose versari cupiunt, valde obfuit, sed etiam in altiori illa, quam vocant, crisi, multis quaestionibus locum dedit, quae, quamvis apud imperitos subtilitatis quadam specie se commendent, tamen ridentur plerumque a philologis, qui multa lectione exercitati, ususque loquendi diligentioris bene gnari, et ipsi cautius agere solent, et nos theologos, librorum graece scriptorum interpretes, temere saepius omnia verba et formas miscere vident, et Lexica nostra omni certa ratione carere optime intelligunt. Itaque placent sibi quidem nonnulli, quum vocabula et formulas in uno alterove libro N. T. deprehenderint, quae in reliquis aut nusquam aut raro leguntur, iisque utuntur ad altiorem crisin, nimirum ut libri, in quo eiusmodi vocabula reperiantur, auctorem negent esse eum, in cuius scriptis eaedem res verbis aliis exprimi soleant. Praebet vero huius subtilitatis mirificae exemplum luculentum illa ad Hebraeos epistola, quam a reliquis N. T. libris omnibus ratione dicendi ita dicunt discrepare, ut a nullo fere eorum, a quibus illi libri scripti feruntur, scripta videri possit. Habeant nunc sibi illa ἅπαξ λεγόμενα, sed dent nobis hanc veniam, ut in synonymis N. T. explicandis ante omnia de verbis quibusdam et formulis dicamus, quae illis quidem non synonyma, sed ἰσοδυναμοῦντα (ut dicunt) esse videntur, ita ut satis confidentur affirment, Paulum, si de iisdem rebus loquatur, longe aliis verbis et formulis uti, ideo-

que, si epistolam ad Hebraeos scripsisset, usitatis et familiaribus verbis, non illis usum futurum fuisse, quae tantum in hac epistola deprehendantur.

Λαλεῖν· λέγειν. εἰπεῖν· ἐρεῖν·

Quum nuper epistolam ad Hebraeos interpretari inciperem, occurrebat statim verbum λαλήσας Cap. I. v. 1. de quo plerique interpretes disputarunt, quo sensu ab Apostolo dictum esset. Parum abesse videtur, quin singularem huius epistolae indolem huius verbi usu cognosci posse putent hi, qui verborum aculeis, quos ipsi scilicet immiserint, evellendis delectantur. Sed dicant quaeso, quo alio verbo uti Apostolus potuisset, quum nihil aliud dicere voluerit, quam deum *loquutum* esse. Quatuor illa, quae in indice posui, verba, quibus Graeci utuntur, etiam in libris N. T. leguntur; sed ex illis hoc *unum* tantum conveniebat huic loco, quod legitur, λαλεῖν.

Conveniunt enim quidem in eo, quod de iis dicuntur, qui verba faciunt, sed valde tamen differunt.

Nam λαλεῖν nihil aliud est, quam *loqui*, i. e. verba proferre alicuius linguae, nulla rerum, quae verbis enunciantur, ratione habita, ut psittacum dicimus *loqui*, *sprechen* (nemo dicat, *reden*), quia, ut Aelianus dicit, vocis humanae verba eloqui potest. Ergo si quis dicitur λαλεῖν, nihil aliud cogitatur, quam eum uti voce humana. Recte illud afferri solet: λαλεῖν ἄριστος, λέγειν ἀδυνατώτατος, sed errant, qui dicunt, λαλεῖν esse imprudenter et inconsiderate loqui. Mirifica est Lexicographorum N. T. in eiusmodi observationibus oscitantia. Exstant enim multi in N. T. loci, in quibus stultum foret de imprudenti et inconsiderato sermone cogitare, v. c. de Domino Matth. IX, 18. col. X, 19. 20. Hinc λαλεῖν τινι, et πρός τινα nihil aliud est, quam loqui cum aliquo et λαλεῖν μετά τινος colloqui. Et recte apud Iacobum I, 19. βραδὺς εἰς τὸ λαλῆσαι, tardus ad loquendum, secundum illam Rabbinorum paroemiam: uno ore utimur ad loquendum, binis auribus ad audiendum. Ita-

que in illo ad Hebraeos loco eadem significatio simpliciter tenenda est, ut in aliis locis omnibus, ubi de prophetis ipsoque deo dicitur v. c. Luc. XXIV, 25. Act. III, 21. 24. Luc. I, 45. 55. Act. III, 21. VII, 6. Ioh. IX, 29. Act. VII, 38. 44. VIII, 26. Quae ex Ammonio Phavorinus habet, ea si locum inspexissent, non allaturi fuissent, ut ostenderent, λαλεῖν esse ἀτάκτως ἐκφέρειν τὰ ῥήματα. Dicit enim Ammonius: Philosophos alios (Platonem ante commemoraverat), διαιρεῖν οὕτως· λαλεῖν μὲν τοὺς ἀτάκτως ἐκφέροντας ὅνπερ οὖν λόγον· διαλέγεσθαι δὲ τοὺς μετ' ἐπιμελείας λέγοντας. Est enim hoc discrimen rhetoricum.

λέγειν autem et εἰπεῖν inter se conveniunt, quod *verborum* et *rerum*, quae enunciamus et cum audientibus communicamus, notionem habent, ideoque differunt a λαλεῖν, quod in hoc nihil aliud cogitatur, quam vocem humanam et verba ore emitti. Et saepe ita ponuntur ab elegantissimis scriptoribus, ut vix differre videantur. Sed differunt tamen eodem fere modo ut nostra *reden* et *sagen*. Nam λέγειν quidem ad sententiam et nexum verborum, εἰπεῖν ad verba tantum referendum est, quae quis deinceps eloquutus est. Discendum est hoc discrimen ex iis locis, ubi utrumque verbum iuxta positum est. *Xenoph. Oecon. IV*, 23. καὶ ὁ Λύσανδρος.. εἰπεῖν· τί λέγεις, φάναι. *Cyrop. I*, 4. 12. οἱ παῖδες εἶπον· πονηρὸν λέγεις τὸ πρᾶγμα. Cyrop. V, 1. 10. κάλλιστα, ἔφη, λέγεις·.... τότε μὲν δὴ ταῦτ' εἰπόντες διελύθησαν. Cyrop. VI, 4. 19. εἰ μέν τις εἰπεῖν τι βούλεται, λεξάτω. Lucian. Hermot. 8. I. p. 747. Μηδαμῶς, ἀλλ' εἰπὲ ὅ,τι καὶ λέγεις. Est enim in v. λέγειν notio *colligendi* verba in sententiam s. orationem, unde λόγος, λογισμός, etc. διαλέγεσθαι, sed in εἰπεῖν cogitantur tantum verba, quae quis profert, et quae deinceps sequuntur. Hinc dicitur εἰπεῖν λόγον, et λόγος de ipsa oratione, nunquam λέγειν λόγον, vel ῥῆμα. Eodem modo usurpantur λέγειν et εἰπεῖν in N. T. Luc. XXI, 3. εἶπεν· ἀληθῶς λέγω. XXI, 5. τινῶν λεγόντων περὶ τοῦ ἱεροῦ — εἶπε. XXII, 34. ὁ δὲ εἶπε· λέγω

σιν, et saepissime. Poterit hinc etiam intelligi, nisi fallimur, cur aliis locis *λέγειν*, aliis *εἰπεῖν* positum sit. Nam quum utrumque verbum addatur aliis verbis, ut *ἰδὼν εἶπε*, *ἐγόγγυζον λέγοντες* etc., animadverti potest, *λέγειν* plerumque dici, si in eo verbo, cui additur, iam inest notio loquendi, contra *εἰπεῖν* scribi, si nova ea notio adiicienda est. Luc. XXI, 7. 8. *ἐπηρώτησαν λέγοντες*. (XXII, 64.) V, 12. *ἐδεήθη αὐτὸν λέγων*. v. 21. *ἤρξαντο διαλογίζεσθαι λέγοντες*. v. 30. *ἐγόγγυζον λέγοντες*. Contra Luc. XXII, 17. *δεξάμενος εἶπε*. V, 13. *ἥψατο εἰπών*. v. 20. *ἰδὼν εἶπε*. Quod si nonnunquam secus factum reperitur, meminisse oportet, scriptores N. T. non omnibus locis elegantiae regulas servasse. Plerumque tamen, ubi *λέγειν* pro *εἰπεῖν* positum videri possit, non habet notionem dicendi, sed cogitandi, sentiendi, aut iubendi. Sic Marc. V, 28. *ἥψατο τοῦ ἱματίου αὐτοῦ· ἔλεγε γάρ*. in loco parallelo Matth. IX, 21. *ἔλεγε γὰρ ἐν ἑαυτῇ*. Matth. IX, 23. 24. *ἐλθὼν — ἰδών — ἔλεγεν αὐτοῖς· ἀναχωρεῖτε*. Repugnare videtur, quod saepissime legitur: *ἀποκριθεὶς — εἶπε*. Sed illud *ἀποκρίνεσθαι* potius ad sententiam, quam ad verba referendum esse, ex iis locis apparet, in quibus dicitur aliquis *ἀποκρίνεσθαι*, ubi nulla interrogatio praecessit, quod saepe fieri in libris N. T. notissimum est. Sic Luc. XXII, 50. 51. percussit unus ex comitibus Iesu servum Pontificis: *ἀποκριθεὶς δὲ ὁ Ἰησοῦς εἶπε*. Et in illo loco Luc. V, 31. Dominus non suo nomine respondit Pharisaeis, sed nomine Apostolorum.

Restat verbum *ἐρεῖν*. Hoc autem ab *εἰπεῖν* et *λέγειν* ita differre videtur, quod neque ad verba loquentis tantum, neque ad orationem solam, sed ad sententiam et voluntatem dicentis referri debeat. Habet enim fere semper notionem denuntiandi, affirmandi, obiiciendi, vel iubendi aut similem, in qua cogitetur animus et voluntas dicentis. Est enim *ἐρεῖν*, suam sententiam verbis enunciare, edicere. Exempla in Lexicis N. T. exstant. Sed caveant sibi tirones, ne illis credant, *ἐρεῖν* esse nonnunquam in N. T. idem quod interrogare. Potest

enim ἐρεῖν dici de eo, qui suam sententiam enunciat, dum quaerit ex alio, ut in illis locis, qui afferuntur, sed per se non est interrogare. Quasi vero λέγειν sit negare, quia saepe fit, ut ὁ λέγων neget, aut si convitia sequuntur, εἰπεῖν sit convitiari.

Est igitur λαλεῖν, loqui s. lingua humana uti, εἰπεῖν verba facere, λέγειν dicere, denique ἐρεῖν sententiam suam enunciare.

νέφος. νεφέλη.

V. νέφος semel tantum in N. T. legitur, Hebr. XII, 1. τοσοῦτον ἔχοντες περικείμενον ἡμῖν νέφος μαρτύρων. Dicunt igitur nonnulli, hoc vocabulum proprium esse huius epistolae scriptori, reliquos omnes νεφέλην dicere, ideoque coniiciunt, certe non Paulum eius epistolae auctorem esse, quod is nunquam, de nube loquutus, νέφος, sed νεφέλην dixerit. Sed brevis disputatio sufficiet, ut intelligi possit, certe hoc exemplo non utendum fuisse.

Νέφος et νεφέλη in eo quidem conveniunt, quod aërem humidum et spissum, quo coelum *obtegitur*, significant, sed eo tamen differunt, quod νέφος indefinitum nimbum denotat (*das Gewölke*), νεφέλη autem singulas nubes, quae ex illo nimbo, tamquam ex massa nubila, in certam aliquam formam coierunt (*die Wolken*). Quamquam enim apud antiquissimos scriptores v. c. apud Homerum, promiscue usurpari videntur, manifesta tamen illius discriminis vestigia reperiuntur. Dicitur enim quidem apud Homerum νεφέλη κυανέη et νέφος κυάνεον, νεφέλη μέλαινα et νέφος μέλαν, imo etiam νέφη dicuntur ut νεφέλαι. Sed si singula loca accurate comparentur, haec differentia apparebit, quod in v. νέφος indistincta quaedam, qua coelum obtegitur, densi aëris massa nubila cogitatur, sed in v. νεφέλη singularis quaedam distincta nubes. Et quum τὸ νέφος pluribus sed indistinctis et confusis partibus constet, non mirum est, τὰ νέφη dici collective ita ut non plures nubes de-

notentur, sed totum illud velum, quo aut totum coelum, aut certe magna eius pars obtegitur. Hinc νέφεα apud Homerum, non νεφέλαι dicuntur, ubi describuntur sedes deorum; sic Iliad. ν, v. 523. ἀλλ' ὅγ' ἄρ' ἄκρῳ 'Ολύμπῳ ὑπὸ χρυσέοισι νέφεσσιν ἧστο. Quae singula persequi quia longius foret, sufficiant duae observationes, quae diversam vim istorum vocabulorum ostendere videntur. Prima spectat ad solemne illud Iovis epitheton νεφεληγερέτης. Est enim Iupiter ὁ τὰς νεφέλας, non τὰ νέφη συνάγων. An temere scriptum putemus (Iliad. ο, v. 192.) Ζεὺς δ' ἔλαχ' οὔρανον εὐρὺν ἐν αἰθέρι καὶ νεφέλῃσιν. Scribi enim poterat νεφέεσσιν, ut in illo loco (Iliad. ε, v. 867.) ὁμοῦ νεφέεσσιν ἰὼν εἰς οὔρανον εὐρύν. Nimirum quod νεφέλας cogit (ἐκ τοῦ νέφους) ἐν αἰθέρι, cuius imperium habet, non autem τὰ νέφη s. τὸ νέφος, pone quod sedes deorum cogitatur. Deinde nusquam apud Homerum reperimus νεφέλας (plur.) cum adiectivo, ut νέφεα σκιόεντα, νεφέων ἐρεβεννῶν, νέφεσσι χρυσέοισι, quum τῇ νεφέλῃ (in sing.) plerumque addatur aliquid, quo ipsa nubes describatur. Cogitandae sunt enim variae nubes, quarum diversissimus esse color solet, sed τῶν νεφέων (τοῦ νέφους) unus color est. Seriores scriptores idem discrimen observasse, pluribus exemplis demonstrari posset, sed pauca sufficient. Lucian. Icaromen. II. p. 776. Luna dicit: κἄν τινα ἴδω αὐτῶν μοιχεύοντα ἢ κλέπτοντα ἢ ἄλλο τι τολμῶντα νυκτερινώτατον, εὐθὺς ἐπισπασαμένη τὸ νέφος, ἐνεκαλυψάμην. Hoc loco, si νέφος nubem denotaret, scribi non poterat τὸ νέφος, sed sine articulo, ut indicaretur, lunam aliqua nube se involvere; et omnes sentiunt, non dici potuisse τὴν νεφέλην. Neque alibi articulus additur huic voc. (in singulari), nisi distincta quaedam nubes cogitanda sit (ut 1 Corinth. X, 1. 2.), sed τὸ νέφος dici absolute potest, quia indefinitam et indistinctam massam denotat. Itaque in illo Euripidis suavissimo loco (Phoen. v. 166. sq.); quem, nisi fallor, Schillerus noster ante oculos habuit, 'Ανεμώκεος εἴθε δρόμον νεφέλας ποσὶν ἐξανύσαιμι δι' αἰθέ-

ρος πρὸς ἐμὸν ὁμογενέτορα, articulus deest. Sed non opus est, ut νέφος μαρτύρων ἐπισκώμεθα, imo ad illum locum, a quo egressi sumus, redeamus.

Non potuit enim Apostolus scribere νεφέλην μαρτύρων, sed νέφος dicere debebat. Nam Graeci quum magnam et confertam multitudinem, quam vix perspicere (aut numerare) quis possit, indicant, semper νέφος dicunt, nunquam νεφέλην. Homer. Iliad. δ, 274. ψ, 133. νέφος πεζῶν. Iliad. ρ, 243. νέφος πολέμου. ib. v. 755. ψαρῶν νέφος ἠὲ κολοιῶν (nostrum Schwarm.) ut νέφος ὀρνέων Aristoph. Avib. v. 296. νέφος στρουθῶν ib. v. 579. et sexcenties. Sed hoc sensu nusquam, quantum sciam, νεφέλη reperitur, neque in N. T. νεφέλη pro multitudine dicitur. Itaque quum Apostolus altero vocabulo uti non potuerit, frustra affertur hic locus, ut dissimilitudo stili ostendatur. Nam ut concedamus, scribere eum potuisse πλῆθος μαρτύρων, tamen voc. νέφος, quo ille usus est, hoc sensu non potest cum νεφέλῃ comparari, neque opus est, ut ab Alexandrinis hanc formulam mutuatam esse credamus, quum et apud omnes scriptores occurrat, et saepissime apud eos, quorum oratio minime exculta est, rariora vocabula et elegantissimae formulae reperiantur. Quae si apud alium scriptorem quendam reperiantur, quem ille ante oculos habere potuerit, non licet tamen imitationis suspicionem movere, aut de communi utriusque scriptoris patria coniecturam facere, nisi manifestum sit, eiusmodi verba et formulas sensu quodam peculiari, reliquis scriptoribus ignoto, usurpari. Itaque etiam in ep. ad Hebraeos ante omnia videndum est, an verborum formulae, quae in reliquis N. T. libris aut nunquam, aut raro, certe non in epistolis Pauli, reperiuntur, sensu et modo peculiari, a reliquorum scriptorum consuetudine alieno, dicantur, quod nonnisi in iis locis factum reperiemus, in quibus verba Alexandrinorum repetita sunt. Sed propius ad hanc, quam agimus, causam spectat, quod in eadem ad Hebraeos epistola verba quaedam sibi reperisse nonnulli visi sunt, pro

quibus Paulus in eadem re aliis verbis usus fuerit, quamquam, si accurate omnia perpendimus, intelligitur, synonyma esse eiusdem rei, sed, quae est natura et vis synonymorum, diverso sensu et modo cogitandi. Ex hoc genere sunt

διατάσσειν· διαστέλλεσθαι.

Utrumque in N. T. saepius legitur. Illo usus est Paulus *Galat.* III, 19. de lege loquutus, *διαταγεὶς δι' ἀγγέλων.* Hoc interdictum divinum (*Exod.* XIX, 12. 13.) nuncupatur in *ep. ad Hebr.* XII, 20. *οὐκ ἔφερον τὸ διαστελλόμενον.* Dicunt igitur nonnulli, *διατάσσειν* idem esse quod *διαστέλλεσθαι*, hoc nunquam uti Paulum, sed in re simili dixisse *διαταγεὶς*, ideoque Paulum, si scripsisset epistolam ad Hebr., hoc quoque loco scripturum fuisse, ut alias, *τὸ διαταγέν.* Sed bona verba, quaeso: intelligunt enim omnes, temere sumi, *διατάσσειν* et *διαστέλλεσθαι* idem significare, et Paulum, si is de isto interdicto loquutus fuisset, dicturum fuisse *τὸ διαταγέν*, quia alio loco scripsit *ὁ νόμος διαταγείς.* Sed priusquam ostendam, quomodo differant illa verba, liceat ex illis quaerere, an putent Paulum scribere potuisse *ὁ νόμος διαστελλόμενος.* Nimirum sentient sic dici non potuisse. Nam licet in eo conveniant, quod utrumque habet vim disponendi, differunt tamen, quod eiusdem rei diversum modum significant.

Est enim *διατάσσειν* res disponere ita, ut suum quaeque locum habeant, aut fiant ordine, ordinare, *διαστέλλεσθαι* autem est proprie, separare, ne quid sit aut fiat loco aut modo alieno. Hinc *διατάσσειν* de quacunque ordinatione, mandato s. dispositione dicitur, *διαστέλλεσθαι* autem plerumque separationem, interdictum denotat. *διατάσσειν* est disponere, constituere, *verordnen, anordnen*, *διαστέλλειν* in diversas partes ponere, et in medio *διαστέλλεσθαι* interdicere, *verbieten.* Neque enim temere hoc sensu tantum in medio occurrit, v. c. Matth.

XVI, 20. διεστείλατο τοῖς μαθηταῖς ἵνα μηδενὶ εἴπωσιν Marc. V, 43. (Luc. VIII, 56. παρήγγειλε μηδενὶ εἰπεῖν) VII, 36. IX, 9. In his omnibus locis inest notio monendi ne quid fiat, s. interdicendi. Unus exstat locus Actor. XV. 24. ubi mandatum simpliciter denotare videtur (ut apud Diodor. Sic. XI, 38.). Itaque τὸ διαστελλόμενον in illo loco est interdictum, quod vere fuit. Sed longe aliud est, quod ὁ νόμος dicitur διαταγεὶς δι' ἀγγέλων· est enim ministerio angelorum constituta lex et disposita. Manifesta est ratio, si verborum originem spectamus. Est enim τάσσειν proprie ordine et serie quadam juxta ponere, στέλλειν, non mittere, ut vulgaria Lexica habent, sed in locum ponere, seu componere in loco (unde notiones apparandi, instruendi, et similes oriuntur), neque temere quis cum nostro *stellen* comparaverit. Itaque στέλλεσθαι ἀπό τινος est vitare aliquid, quasi se ipsum collocare in alium locum, ut 2 Thess. III, 6. στέλλεσθαι ὑμᾶς ἀπὸ παντὸς ἀδελφοῦ ἀτάκτως περιπατοῦντος. Recte Glossaria ad h. l. στέλλεσθαι, ἀφίστασθαι, ἀναχωρεῖν. Neque ratione caret 2 Cor. VIII, 20. στελλόμενοι τοῦτο, μή τις ὑμᾶς μωμήσεται. Erasmus quoad sensum bene dixit, translationem sumtam esse a nautis, qui scopulum declinant, quamquam falsum est, quod Scholiastae tradiderunt, στέλλεσθαι proprie dici de itinere et expeditione navali. Eodem modo est apud Polybium VIII, 17. οὐ δυναμένων καθόλου τὴν ἐκ τῆς συνηθείας καταξίωσιν στέλλεσθαι, i. e. a se removere, abiicere. Itaque uti ἀποστέλλειν est mittere, ablegare, ἀναστέλλειν reprimere, quasi reponere, καταστέλλειν supprimere, συστέλλειν contrahere, veluti in uno loco componere, ita διαστέλλειν est in diversas partes collocare, separare, ideoque διαστέλλεσθαι de interdicto dicitur, quia is, qui interdicit aliqua re, idem agere cogitatur ac si seiungat eum, cui interdicit, ab eo, quo interdicit. Ex quo manifesto apparet ratio medii: saepe enim fit, ut verba media, propria notione relativa servata, simul ad obiectum aliquod referantur. Est igitur τὸ διαστελλόμενον in isto

loco interdictum, neque ille, quisquis auctor epistolae fuerit, scribere poterat *διατεταγμένον.*

Addam aliud exemplum, quod ex ep. ad Hebraeos afferri solet,

ἀμετάθετος· ἀπαράβατος· βέβαιος.

Dicunt enim in ep. ad Hebr. VI, 17. 18. *ἀμετάθετον* dici, et VII, 24. *ἀπαράβατον*, quod in aliis N. T. libris, atque ab ipso Paulo *βέβαιον* dicatur. Sed rideant licet has delicias veri philologi, dent modo nobis hanc veniam, ut breviter nos expediamus. *Ἀπαράβατον* non est, ut dicunt, immutabile (nam quod aiunt *παραβαίνειν* esse mutare, ineptum est), sed quod non transit alio, aut quod non potest migrari; *ἀμετάθετον*, quod non permutatur, *βέβαιον* est, quod consistit suo loco. Verum est, in his tribus vocabulis inesse communem notionem firmitatis et constantiae, ut in *ἀκίνητος, ἀμετακίνητος, ἑδραῖος*, sed erraret tamen, qui diceret, singulis idem significari, ita ut, qui cogitet *ἀμετάθετόν τι* aut *ἀπαράβατον*, is id *βέβαιον* dicere possit. Imo ad eam notionem exprimendam, quam mente conceperat Apostolus, priori loco (VI, 17. 18.) debebat scribere *τὸ ἀμετάθετον τῆς βουλῆς αὐτοῦ.* Est enim *ἀμετάθετον* constans et immutabile; nam saepe de iis rebus dicitur, quae constantes sunt neque mutantur, sed semper eaedem manent. Sed *βέβαιος* est firmus, immobilis, certus, ratus. Ergo si scripsisset *τὸ βέβαιον τῆς βουλῆς*, nihil aliud dixisset, quam certam ratamque esse voluntatem dei; sed quum intelligi vellet immutabilem, quae semper eadem esset neque cum alia permutaretur, *ἀμετάθετον* scripsit, ut Diodor. Sic. XIII, 88. dixit *νόμους ἀμεταθέτους.* XVI, 69. *ἀμετάθετον διαφοράν.* I, 23. *ἰσχυρὰν πίστιν καὶ ἀμετάθετον·* et saepe apud alios. Contra quum nihil aliud significare vellet, quam firmum, certum, ratum, ipse etiam *βέβαιον* scripsit, ut VI, 19. *ἄγκυραν τῆς ψυχῆς ἀσφαλῆ τε καὶ βεβαίαν.* III, 6. *παῤῥησία βεβαία.* IX, 17. *διαθήκη ἐπὶ νεκροῖς βεβαία*, etc. Neque vero in altero loco scri-

bere poterat βεβαίαν ἱερωσύνην, sed debuit ἀπαράβατον. Voluit enim dicere, sacerdotium Christi non transire deinceps ab uno in alium Pontificem, quod Christus sit sacerdos εἰς τὸν αἰῶνα, atque huic notioni conveniebat tantum ἀπαράβατος. Poterat etiam dicere ἀδιάδοχος, sed si scripsisset βεβαία, longe aliud quod dixisset, quam quod voluit, imo inepti quid dixisset, nam ἱερωσύνη levitica quoque βεβαία fuit, non autem ἀπαράβατος; potest enim βέβαιον esse, quod non est ἀπαράβατον, ut regnum est βέβαιον, quamquam transit deinceps in alios, διὰ τὸ θανάτῳ κωλύεσθαι αὐτοὺς παραμένειν. Postremo nemo mirabitur eiusmodi vocabula tantum in ep. ad Hebr. occurrere; non in omnibus enim libris eaedem res tractantur; neque Paulus in epistolis reliquis demonstravit, Christi sacerdotium perpetuum esse, neque in alios transire; alioqui certissimum est nobis, eum dicturum fuisse ἀπαράβατον. Recte Oecumenius ad h. l. addit ἀδιάδοχον, ἀτέλευτον, nam quod in eodem semper manet, id in eo est sine fine, ἀτέλευτον.

Possemus plura ex ep. ad Hebr. exempla afferre synonymorum, quae a multis pro ἰσοδυναμοῦσιν habentur, ex quibus temere concludunt, auctorem illius epistolae peculiaribus verbis in eadem re enuncianda usum esse, v. c. εἰς τὸ διηνεκὲς, εἰς τοὺς αἰῶνας· ἀθέτησις, παλαιότης· ἀντίτυπον, σκιά· μέτοχον εἶναι, δέξασθαι· ὀλιγωρεῖν, καταφρονεῖν· νόθος, ἐκ πορνείας γεννηθείς· βραχύ τι, πρὸς ὥραν. et alia multa, quae congeri solent, ut demonstretur, in ep. ad Hebr. easdem rerum notiones longe aliis, quam in reliquis libris N. T., verbis exprimi, ideoque certe non verisimile esse, Paulum eam epistolam scripsisse. Unum exemplum sufficiat, quod proprie quidem ad nostram de synonymis disputationem non pertinere videtur, neque tamen ab ea subtilitate, quam accurata synonymorum distinctio postulat, prorsus alienum est. Sunt enim eorundem verborum cum diversis casibus constructiones, quibus efficitur, ut, licet eadem

res cogitetur, tamen diversus sit modus cogitandi. Ex horum numero sunt

κρατεῖν τινός et κρατεῖν τι.

Putant quidem, haec idem significare, neque in Lexicis nostris diversa duplicis constructionis vis annotari solet. Itaque quum in ep. ad Hebraeos bis tantum reperiatur κρατεῖν cum *genitivo*, sed in epistolis Paulinis semper cum *accusativo* dicatur, illud idioma dicunt esse, et proprium illi epistolae; Paulum enim etiam illis locis κρατεῖν c. accus. scripturum fuisse. Sed prius debebant quaerere, an verbum κρατεῖν idem plane significet, sive cum genitivo sive cum accusativo construatur, sin minus, falsum est κρατεῖν τινός proprium esse ep. ad Hebraeos. Nam verum est quidem, in hac epistola non reperiri κρατεῖν c. accusativo (bis enim tantum in ea legitur IV, 14. et VI, 18.) sed causa haec est, quod verbo κρατεῖν bis tantum usus est Apostolus, quum vellet exprimere quid, quod ut a lectoribus cogitaretur, debebat scribere κρατεῖν cum genitivo.

Omnino verborum, quae vel cum genitivo vel cum accusativo construuntur, ea ratio esse videtur, ut si cum accusativo dicantur, ad rem totam, si cum genitivo construantur, ad partem tantum sive rei referenda sint. Eo igitur modo κρατεῖν τινός et κρατεῖν τι differre videntur, ut κρατεῖν τινός significet tantum *prehendere* aliquid eoque potiri, sed κρατεῖν τι in potestate sua habere et tenere. Quamquam enim κρατῆσαι τινός saepe de eo dicitur, qui aliqua re *potitus* est, eamque nunc sub imperio habet, tamen non vereor ne locus reperiatur, ubi κρατεῖν τι simpliciter sit prehendere, potius ut κρατεῖν τινός [illegible] dicitur (*Luc.* VIII, 54. *Marc.* I, 31. V, 41. IX, 27. *Matth.* IX, 25.) nisi ubi adiecta sit notio vis cuiusdam, qua quis vel reluctantem prehendere et in potestatem suam totum redigere cupiat. Sic *Matth.* XIV, 3. κρατήσας τὸν Ἰωάννην, ἔδησεν. XVIII, 28. κρατήσας αὐτὸν ἔπνιγε. XXII, 6. κρατήσαντες τοὺς δούλους ὕβρισαν.

XXVI, 4. ἵνα τὸν Ἰησοῦν κρατήσωσι δόλῳ καὶ ἀποκτείνωσιν, in quibus tamen locis accusativus ad utrumque verbum referendus est, ut in illo loco Matth. XII, 55. quem aliquis possit obtendere: κρατήσει αὐτὸ καὶ ἐγερεῖ. Et apud reliquos scriptores graecos eo, quo diximus, modo illas formulas distingui, pluribus exemplis probari posset. Sic apud *Sophoclem Oed. Col.* v. 1380. τοι γὰρ τὸ σὸν θάκημα καὶ τοὺς σοὺς θρόνους κρατοῦσιν, i. e. tenent: sed statim post, v. 1385. μήτε γῆς ἐμφυλίου δορὶ κρατῆσαι, i. e. capere, in potestatem redigere. (conf. v. 839. *Oed. R.* v. 1522.) *Aristophanes Avib.* v. 419. κρατεῖν ἂν ἢ τὸν ἐχθρὸν, ἢ φίλοισιν ὠφελεῖν ἔχειν. Scholiasta: σημειωτέον, ὅτι τὸ κρατεῖν συνέταξεν αἰτιατικῇ. Sed suo loco id factum est. Sensus est: quo aut hostem in potestate habere aut amicis prodesse possis. Nam non de superando hoste aut in potestatem redigendo, sed de eo in potestate habendo cogitandum esse, disiunctio docet; opponuntur enim amici non parandi, sed beneficiis afficiendi. Similis ratio est v. 1750. (1763.) διά σε τὰ πάντα κρατήσας. Eodem modo apud *Xenophontem de Exped. Cyri* V, 6. 3. κέρατα τοῦ ὄρους ὑψηλά, ἃ κρατεῖν κατέχοντες καὶ πάνυ ὀλίγοι δύναιντ' ἄν. In quo loco clarum est non inesse notionem occupandi, sed tenendi, obtinendi contra hostes, *behaupten*. Neque repugnat locus in *Hist. Gr.* VII, 3. 4. ubi verba ἔγνω οὐκ ἂν δυνάμενος, τῶν Θηβαίων ἐχόντων τὴν ἀκρόπολιν, τῆς πόλεως κρατεῖν, vertunt: quum intelligeret, se urbem in potestate tenere non posse, quod antea dictum est: τοῦ μὲν ἄστεος ἐκράτει. Vereor autem ut πόλις et ἄστυ h. l. idem significent; abhorrere enim ab elegantia Xenophontis videtur, quod haec vocabula de eadem re eodem loco iuxta posita sint; imo πόλις h. l. ut saepe apud Xenophontem ipsam civitatem denotat. Intelligebat igitur Euphron, se, quamquam urbem occupasset, tota civitate (ὅλην τὴν πόλιν §. 3.) potiri non posse, quamdiu praefectus Thebanus acropolin teneret, ideoque voluit persuadere Thebanis, ut optimates eiicerent (qui cum illo in arce erant)

deinde sibi servitutem tenderent (καραδοκοῦσι τὴν πόλιν). Eodem modo est apud Thucyd. VI, 11. init. καὶ τοὺς μὲν κατεργασάμενοι, κἂν κατάσχοιμεν, τῶν δ᾽ εἰ καὶ κρατήσαιμεν, διὰ πολλοῦ γε καὶ πολλῶν ὄντων, χαλεπῶς ἂν ἄρχειν δυναίμεθα. Sed in fine capitis: χρὴ δὲ μὴ πρὸς τὰς τύχας τῶν ἐναντίων ἐπαίρεσθαι, ἀλλὰ τὰς διανοίας κρατήσαντας θαῤῥεῖν.

Ex his clarum est, in utroque loco ep. ad Hebr. scribi debuisse κρατῆσαι cum genitivo, nam in utroque loco denotat apprehendere, non tenere. Nam in altero loco VI, 18. dicitur deus certissimum constantis voluntatis documentum interposuisse, ut haberent ἰσχυρὰν παράκλησιν οἱ καταφυγόντες κρατῆσαι τῆς προκειμένης ἐλπίδος, i. e. qui confugiunt ad spem propositam ut eam apprehendant. Nam οἱ καταφυγόντες sunt miseri, qui ad illam spem propositam confugiunt, eamque, veluti βωμὸν (*Euripid.* Iphig. in Aul. v. 911.) supplices apprehendunt. Neque supplendum est ἐπὶ τὸν θεόν, confugiunt enim ad hanc ipsam spem propositam, qua nondum potiti sunt; neque comparari potest cum ἀποφυγεῖν (2 Petr. II, 20.) imo iungendum est καταφυγόντες κρατῆσαι, uti saepe infinitivus iungitur cum verbis motum aut studium significantibus, etiam in N. T. v. c. *Matth.* XI, 7. 8. 9. Itaque κρατῆσαι h. l. non est retinere, sed apprehendere, plane ut in Actis XXVII, 13. δόξαντες τῆς προθέσεως κεκρατηκέναι putabant se iam potitos esse proposito. In priori loco IV, 14. eadem vis verbo κρατεῖν inest: ἔχοντες οὖν ἀρχιερέα μέγαν — κρατῶμεν τῆς ὁμολογίας. Nam ὁμολογία non denotat religionem, quam profitemur, sed pactionem, seu id quod pactum est. Supra enim III, 1. Iesus dicitur ἀπόστολος καὶ ἀρχιερεὺς τῆς ὁμολογίας, i. e. μεσίτης τῆς διαθήκης, non quod religionis doctor est, sed quod instar pontificis curat et efficit, ut τὸ ὁμολογούμενον [gratiam dei et salutem], consequamur, de quo in toto hoc loco disputatur. Est igitur κρατῆσαι τῆς ὁμολογίας non retinere τὴν ὁμολογίαν, seu constantem esse in confessione nostra (fide) ut vulgo interpretantur, sed

omni studio hoc agere, ut istis beneficiis, quorum vindex est ὁ ἀρχιερεύς, vere potiamur, a κρατῆσαι τῆς προκειμένης ἐλπίδος. Quae si subtilius quam verius quibusdam dicta videantur, hoc certe mihi largituros esse eos quos arbitros credo, ut quum illi in crisi altiori ingenium exerceant suum, mihi vicissim in verbis explicandis eodem iure uti liceat.

Sed nunc quidem in his subsistendum est. Indicenda sunt enim Vobis sacra natalicia Domini nostri Iesu Christi, quae quoties diebus tristissimis, ut inter tenebras coelestis stella, redeunt, ab omnibus Christianis non ita tantum celebrari par est, ut annorum praeterlapsorum tenerrima gaudia repetentes doloris praesentis sensum leniamus; sed ut perpetuae laetitiae in omne aevum augendae verissimas causas fructusque saluberrimos capiamus. Hoc igitur agamus, *cives carissimi*, et laetissimis, qui instant, diebus ita utamur, ut κρατήσωμεν τῆς προκειμένης ἐλπίδος. Habemus enim ἰσχυρὰν παράκλησιν, neque est quod animum despondeamus. Adeste igitur frequentes sacris publicis, atque ad spem immortalem, quae his diebus olim primum illuxit generi humano, animos vestros attollite, mentemque puram, castam, certam coelestique lumine nutritam, divino beneficio alite et conservate.

P. P. Dom. IV. Advent. a. Dom. cIɔIɔcccxxvi. in Univ. Lips.

CAP. VII.

Quum particularum, quibus lingua Graeca abundat, recta observatio difficillima sit, tum in iis potissimum, quae, quod relationis, cui significandae inserviunt, communem quandam aut affinem notam habent, inter synonyma iure numerantur. Quamquam enim discrimen, quo differunt, nonnunquam ita subtile est, ut ab hominibus, qui minus accurate et eleganter scripserunt, vix observatum esse omnibus locis videatur, tamen nullo modo negligendum est, si veram scriptorum sacrorum sententiam investigare velimus. Nam scimus quidem, magna cautione opus esse, ne istorum virorum orationem ad elegantissimorum scriptorum rationem temere componamus, aut verba eorum ex grammaticorum regulis emendemus: sed tamen in usu verborum tanta vis est, ut vel indocti homines ei obtemperare, tamquam tyranno, cogantur, ideoque operae pretium faciunt, qui singularem particularum usum proprium diligenter observant. Quod ut exemplo quodam ostendamus, utamur praepositionibus

ἄνευ· χωρίς.

quae tam parum differre videntur, ut nihil intersit, utra quoque loco ponatur, si rei unius ab altera separatio aut absentia cogitanda sit. Nam sine dubio in eo conveniunt, quod eam relationem indicant, qua obiectum a subiecto (quod aiunt,) separatum aut abesse dicitur. Veluti quum iubeo aliquem facere quidquam *ἄνευ γογγυσμῶν* (1 Petr. IV, 9.), volo, procul abesse *τοὺς γογγυσμούς*, aut quum Dominus plerumque loquutus esse dicitur *οὐ χωρὶς παρα-*

βολῆς (Matth. XIII, 24.) eodem fere modo cogitari posse videtur, eum non loquutum esse sine parabolis, ideoque fuerint fortasse, qui putent, scribi isto loco potuisse οὐκ ἐλάλει ἄνευ παραβολῆς. Sed differunt tamen sic, quod χωρίς ad subiectum, quod ab obiecto seiunctum est, refertur, ἄνευ autem ad obiectum, quod a subiecto abesse cogitandum est. Ergo quum dico, fieri aliquid ἄνευ τινός, cogito, id fieri, quum is non adsit; sed quum cogito, id ipsum, quod factum est, non adfuisse rei alicui, dicendum est, illud factum esse χωρίς τινός. Itaque recte dictum est (Matth. X, 29.), ἓν ἐξ αὐτῶν οὐ πεσεῖται ἐπὶ τὴν γῆν ἄνευ τοῦ πατρὸς ὑμῶν, i. e. ne passer quidem moritur ita ut non adsit pater, i. e. inscio et invito patre (vid. Ducker. *ad Thucyd.* IV, 78.). Si scriptum esset χωρὶς τ. π. ὑμ. sententia prorsus inepta fieret haec: ne passerem quidem abesse a patre, quum in terram decidat. Eodem modo ἄνευ λόγου dicitur 1 Petr. III, 1. Contra scribendum erat χωρὶς ἡμῶν (1 Cor. IV. Hebr. XI, 40.) χωρὶς πίστεως (Hebr. XI, 6. VII, 7. 20.). Nam ἄνευ πίστεως esset, sine fide accedente aut opitulante; sed dicere voluit, si quis est remotus a fide; ut χωρὶς ἡμῶν non est, quum nos non adessemus vobis, sed quum vos essetis a nobis seiuncti. Et Hebr. XI, 40. si scriptum esset ἵνα μὴ ἄνευ ἡμῶν τελειωθῶσι, sententia falsa orietur, illos homines non sine nobis, i. e. non sine ope aut voluntate nostra beari. Sed dicere voluit, eos beatos fuisse non secus ac nos, sed per fidem et pietatem, qua et nos beati sumus s. per calamitates. Est enim χωρίς, seorsim, separatim. Manifesta est ratio in illo loco Ioh. XV, 5: χωρὶς ἐμοῦ οὐ δύνασθε ποιεῖν οὐδέν, i. e. a me seiuncti, ἐὰν μὴ μείνητε ἐν ἐμοί, v. 4. 6. (conf. Ioh. I, 3.) Similiter Eph. II, 12. scriptum est: ἦτε χωρὶς Χριστοῦ, i. e. vos eratis procul a Christo, quod sequentia docent, ἀπηλλοτριωμένοι τῆς πολιτείας τοῦ Ἰσραήλ. ἄνευ Χριστοῦ ἦτε esset: Christus non aderat vobis. Itaque neque illud: οὐκ ἐλάλει χωρὶς παραβολῆς mutari potest in ἄνευ παραβολῆς, nam hoc ad ipsum v. παραβολῆς referendum

esset, χωρὶς autem ad loquentem pertinet, et ἄνευ παραβολῆς λαλεῖν (si quidem sic dici posset) significaret, loqui nulla praesente parabola. Neque repugnat χωρὶς κηρύσσοντος (Rom. X, 14.). Nam dici quidem posset ἄνευ κηρύσσοντος, sine doctore, sed tota formula requirit, quod scriptum est: πῶς δὲ ἀκούσουσι χωρὶς κηρύσσοντος, i. e. seiuncti ab eo, qui doceat, οὐ πιστεύσαντες τῷ κηρύσσοντι. [Haec enim sententia Apostoli esse videtur, non, ut plerumque interpretantur, si nullus adsit doctor.] Sed ἀκούειν ἄνευ κηρύσσοντος esset, audire solum, non cum ipso doctore.

Praeterea luculentum, nisi omnia me fallunt, illius discriminis documentum in eo deprehenditur, quod χωρὶς non solum cum genitivo, sed etiam simpliciter, adverbii loco, dicitur, ἄνευ autem semper adiunctum habet genitivum rei, quae abesse cogitatur. Nam quum χωρὶς ad subiectum, ἄνευ autem ad obiectum referatur, necesse est, ut particulae ἄνευ semper addatur obiectum, sed χωρὶς per se plenam relationis cogitationem efficit, ideoque non opus est, ut obiectum notetur. Quare dici quidem potest χωρὶς εἶναι, aut χωρὶς ποιεῖν τι (*allein*), sed non potest dici ἄνευ εἶναι et ἄνευ ποιεῖν (quasi nos diceremus *ohne seyn*). Neque dixerunt Graeci ἄνευ ποιεῖν, ut sit privare (quemadmodum visum est quibusdam), sed ἄνευ τινὸς ποιεῖν τινα, ut in illo, quem afferunt, Platonis loco: τοὺς μέλλοντας ἑστιᾶσθαι ἄνευ ὄψου ἂν πάνυ γενναίον ποιήσειν. Ita etiam in N. T. (Ioh. XX, 7.) simpliciter χωρὶς, non autem ἄνευ, dicitur.

Sed quoniam verendum est, ne quis in gravioribus certe locis N. T. explicandis huius discriminis observationem non ita necessariam esse putet, quasi parum intersit, utrum quis abesse ab aliqua re cogitetur, an ea res ab illo seiuncta sit, unum exemplum addere liceat. Scilicet verba illa multum iactata χωρὶς νόμου, et χωρὶς ἔργων (Rom. III, 21. 28. IV, 6. VII, 8. 9. Iacob. II, 20.) constat multos ita interpretatos esse, quasi Paulus dixisset, solam fidem hominis sufficere, etiamsi is vixerit

pessime, ideoque hominem, etiamsi fecerit τὰ ἔργα τοῦ νόμου, tamen propter solam fidem probari deo. Quae sententia non solum luculento Apostoli dicto repugnat, sed etiam Iacobo, cu[illegible] severitatem non mirum est ipsi Luthero displicuisse, [illegible]m qui dixit (Rom. II, 13.), οἱ ποιηταὶ τοῦ νόμου δι[illegible]ωθήσονται, is non potuit paucis interiectis scribere, δικαιωθήσεται ἄνθρωπος etiamsi desint τὰ ἔργα: Iacobus autem, quasi refutaturus hanc sententiam, scripsit: ἐξ ἔργων δικαιοῦσθαι ἄνθρωπον καὶ οὐκ ἐκ πίστεως μόνον. Sed salva res est, modo vim propriam particularum, de quarum discrimine agitur, diligentius observemus. Etenim si Paulus scripsisset ἄνευ ἔργων, vere inesset verbis eius ista sententia, et repugnaret ei dictum Iacobi. Nam si verum est, hominem δικαιοῦσθαι ἄνευ ἔργων, i. e. vel deficientibus s. absentibus operibus, sequitur, opera non desiderari, sed abesse posse salva salute, ideoque falsum esse, quod ipse Paulus scripsit, τοὺς ποιητὰς τοῦ νόμου δικαιοῦσθαι. Falsum vero etiam esset, quod Iacobus dixit, τὴν πίστιν χωρὶς τῶν ἔργων νεκρὰν εἶναι. Sed scriptum est χωρὶς ἔργων, ut non cogitandum sit, abesse posse τὰ ἔργα ab eo qui habeat fidem, sed τὸν δικαιωθέντα seiunctum fuisse ἀπὸ τῶν ἔργων, i. e. eum τὰ ἔργα non fecisse. Itaque quemadmodum primo loco (III, 21.) recte dicitur: νυνὶ δὲ χωρὶς νόμου δικαιοσύνη θεοῦ πεφανέρωται, i. e. manifestata est divina indulgentia seorsim a lege (quasi non coniuncta cum lege; per legem enim, violatam ab omnibus, non δικαιοσύνη, sed ira dei manifestatur), ita etiam altero loco (lib. 28.) recte scripsit Apostolus δικαιοῦσθαι πίστει ἄνθρωπον, χωρὶς ἔργων νόμου, i. e. illam δικαιοσύνην seiunctam esse ἀπὸ τῶν ἔργων νόμου, ideoque contingere homini non propter ἔργα τοῦ νόμου, quae fecerit, (non fecit enim), sed per fidem. Non scripsit enim: δικαιοῦσθαι ἄνθρωπον πίστει χωρὶς ἔργων, i. e. τῇ οὐκ ἐχούσῃ τὰ ἔργα, ut est apud Iacobum, sed δικαιοῦσθαι χωρὶς ἔργων, πίστει, ita ut τὸ δικαιοῦσθαι non sit coniunctum cum ἔργοις νόμου (quasi quis propterea, quod fecit τὰ ἔργα τοῦ

νόμου, consequutus sit τὴν δικαιοσύνην), sed per fidem, quum hucusque alienus fuerit ἀπὸ τῶν ἔργων. Quare recte dixit tertio loco (IV, 6.) ᾧ ὁ θεὸς λογίζεται δικαιοσύνην χωρὶς ἔργων, i. e. quum destitutus est operibus s. quum peccavit, addit enim τὸν μακαρισμόν· μακάριος ἀνὴρ ᾧ οὐ μὴ λογίσηται κύριος ἁμαρτίαν. Contra Iacobus loquutus est de πίστει, quae χωρὶς τῶν ἔργων sit νεκρά, i. e. καθ' ἑαυτὴν, ἐὰν μὴ ἔργα ἔχῃ. Nam πίστις χωρὶς τῶν ἔργων, est fides seiuncta ab operibus, ἡ οὐ συνεργοῦσα τοῖς ἔργοις, ut scripsit Paulus (Rom. VII, 8. 9.) χωρὶς νόμου ἁμαρτία νεκρά· ἐγὼ δὲ ἔζων χωρὶς νόμου ποτέ. Si scriptum esset ἄνευ νόμου, utrumque falsum esset: nam νεκρά est ἡ ἁμαρτία, non quia non adest lex, sed quia ἁμαρτία est sine lege, neque lex causa est ἁμαρτίας, est enim ἅγιος ὁ νόμος: deinde non vixit ἄνευ νόμου, i. e. quum lex non adesset; aderat enim, sed vixit ignorans legem. Ut ἄνευ νόμου ποιεῖν τι est, contra legem quidquam facere, ita etiam ζῆν ἄνευ νόμου est, vivere contra legem, aut non curare legem, quasi nulla adsit. Dicit autem Apostolus, fuisse tempus, quo viveret nondum obstrictus legi, atque eo tempore τὴν ἁμαρτίαν fuisse νεκράν, sed quum intellexisset legis praeceptum: οὐκ ἐπιθυμήσεις, tunc exarsisse vim vitiositatis. Male Chrysostomus, quem pro more suo Theophylactus sequutus est, intellexit tempus, quo nondum lex adesset. Vere igitur Paulus scripsit: ἐξ ἔργων νόμου οὐ δικαιωθήσεται πᾶσα σάρξ ἐνώπιον αὐτοῦ· πάντες γὰρ ἥμαρτον, sed πεφανέρωται νῦν χωρὶς νόμου δικαιοσύνη θεοῦ, non adstricta legi, nulla ratione legis; nam si legis rationem haberet deus, non largiretur δικαιοσύνην, sed puniret; itaque χωρὶς ἔργων νόμου δικαιοῦται ἄνθρωπος. Sed verissime etiam Iacobus dixit: τὴν πίστιν χωρὶς ἔργων, i. e. vacuam operum, νεκρὰν εἶναι. Nam uti πάντες ὑστεροῦνται τῆς δόξης τοῦ θεοῦ, ideoque non ἐξ ἔργων δικαιοῦνται, sed per fidem, ita etiam fides debet συνεργεῖν τοῖς ἔργοις, et veram vim suam exserere factis et demonstrare. Atque haec est ecclesiae nostrae

sententia, ut omnium optime docuit Melanchthon in Apologia.

Quae quum ita sint, monendi sunt tirones, qui vulgaribus lexicis utuntur, ne eiusmodi particulas idem significare putent, quia in lexicis eodem plerumque vocabulo latino explicantur. Quamquam enim, ut haec pauca addamus,

οὔπω et μήπω

vertuntur *nondum*, tamen dubitari non potest, quin differant. Nam ut *οὐ* et *μή* differunt (de quo discrimine subtilissime Hermannus noster ad Vigerum exposuit) ita etiam *οὔπω* et *μήπω*, cum reliquis compositis, *οὐκέτι*, *μηκέτι*, *οὐδέποτε*, *μηδέποτε* etc. differre necesse est. Neque casu factum esse putemus, quod Matth. XXIV, 6. scriptum est, *οὔπω ἐστὶ τὸ τέλος*, et Ioh. II, 4. *οὔπω ἥκει ἡ ὥρα μου*, sed Rom. IX, 11. *μήπω γὰρ γεννηθέντων μηδὲ πραξάντων τὶ ἀγαθὸν ἢ κακόν*, et Hebr. IX, 8. *μήπω πεφανερῶσθαι τὴν τῶν ἁγίων ὁδόν*. Nam in illis negatur, rem futuram iam nunc adesse, in his autem indicatur, factum esse quidquam prius quam res aliqua, ad quam illud ipsum pertinet, adesse cogitaretur. Itaque si scriptum esset (quamquam sic dici vix potest), *μήπω ἥκει ἡ ὥρα μου*, incertum esset, an venturum esset illud tempus, quod iam adesse mater Domini putabat; sed certum id erat, neque dubium erat, an iam adesset, imo certum erat, non adesse; negatur igitur id ipsum, adesse tempus. Contra non potuisset Paulus scribere: *οὔπω γὰρ γενηθέντων αὐτῶν ἐῤῥέθη*. Noluit enim indicare, illud dictum esse, quum nondum nati essent, quasi iam nati essent, sed dictum esse sic, ut nondum nati cogitarentur, *μηδὲ πράξαντες τὶ ἀγαθὸν ἢ κακόν*. Nam in eo est vis argumenti, quod in decreto illo dei omnis fortuitarum rerum ratio abesse cogitatur. Quare si scripsisset Apostolus *οὔπω γεννηθέντων*, dixisset quidem, eos nondum natos fuisse, quum istud diceretur, scivisse tamen deum, eos nascituros esse et bene aut male vitam acturos, ideoque deum de hominibus

nondum natis, tamquam nati essent, decretum illud cepisse; quae sententia a mente Apostoli aliena, tristibus illis de praescientia (προγνώσει) dei disputationibus locum dedit. Scripsit igitur μήπω γεννηθέντων, ut negatio referretur ad cogitationem ipsam dei. Eadem causa est, cur in altero loco μήπω πεφανερῶσθαι, non οὔπω scriptum sit. Non negatur enim, introitum tunc patuisse, sed dicitur spiritus hoc docuisse, ideoque negatio non ad ipsam rem, quae abfuerit, sed ad cogitationem referenda est: monet enim spiritus, ne patuisse introitum putemus. Si scriptum esset, οὔπω πεφανερῶσθαι, notio futuri temporis inesset, quasi monuisset spiritus, tunc quidem non apertam fuisse τὴν τῶν ἁγίων ὁδόν, sed postea apertum iri, quod noluisse Apostolum dicere manifestum est. Praeterea, ut οὐ rem ipsam simpliciter negat, μὴ ut cogitatam (Hermann. ad Viger. p. 807.), ita etiam οὔπω et μήπω eodem modo differunt, ut, si dicam, οὔπω τοῦτο factum est, negem quidem, id nunc factum esse, sed cogitem tamen, postea futurum esse, sin dicam μήπω, ut non solum cogitem non factum id esse, sed etiam dubitem, aut non curem, an futurum sit. Quare vereor quoque ut dici possit in illis locis, μήπω ἐστὶ τὸ τέλος, et μήπω ἥκει ἡ ὥρα μου, nam per μήπω tollitur ipsa rei olim futurae cogitatio. Itaque apud Xenophontem (*Memor.* IV, 4. 23.) sibi opponuntur τὰ ἀκμάζοντα, τὰ μήπω ἀκμάζοντα et τὰ παρηκμακότα. Non scripsit τὰ οὔπω ἀκμάζοντα, quia non cogitatur tempus futurae ἀκμῆς, ideoque statim post scriptum est: τὰ τῶν μὴ ἀκμαζόντων οὐ σπουδαῖα. Sed mittamus haec et ad alia veniamus.

Aliquoties iam monuimus, in verbis compositis explicandis errari a Lexicographis, qui, quoniam eadem communis notio verbi simplicis inest compositis, haec nihil differre putent. Quamquam enim nonnunquam parum interesse videtur, quo verbo composito scriptor loco quodam usus fuerit, saepius tamen necesse est, ut reputemus, quae propria sit cuique potestas. Sic

καταφρονεῖν· περιφρονεῖν· (ὑπερφρονεῖν) promiscue verti solent despicere, contemnere, et conveniunt etiam in eo, quod utrumque contemtum significat. Sed quum contemtus aliorum duplex causa et modus sit, aut quod alios minoris, quam par est, momenti ducimus, aut quod nobis ipsis plus iusto tribuimus, illud quidem v. καταφρονεῖν, hoc v. περιφρονεῖν exprimitur. Huic proxime cognatum est ὑπερφρονεῖν, ut patet ex illo Aristophanis loco (Nubb. v. 226. 227.) ubi Socrati dicenti: ἀεροβατῶ καὶ περιφρονῶ τὸν ἥλιον, Strepsiades maligne regerit haec: ἔπειτ' ἀπὸ ταῤῥοῦ τοὺς θεοὺς ὑπερφρονεῖς. Nam ille dixerat, se περιφρονεῖν, quod, ut ait Scholiasta, διπλοσήμαντόν ἐστι, καὶ ἀντὶ τοῦ περισκοπῶ, καὶ ἀντὶ τοῦ ὑπερφρονῶ. Suggerit igitur Strepsiades ὑπερφρονεῖς, ἵνα διαβάλλῃ τὸν Σωκράτην ὑπερφρονοῦντα τῶν θεῶν ut alter Schol. dicit. Nam qui περιφρονεῖ, i. e. studiose et cum ambitione quadam quaerit res divinas, is parum saepe abest, quin plus sapere quam ipsi dii sibi videatur, i. e. ὑπερφρονεῖ. Dicitur enim ὑπερφρονεῖν de iis, qui sibi sapientiores aut prudentiores aliis esse videntur. Si simpliciter dicitur, ut Rom. XII, 8. μὴ ὑπερφρονεῖν, παρ' ὃ δεῖ φρονεῖν, significat, plus sibi sapere quam par est; nam verba παρ' ὃ δεῖ φρονεῖν, explicant v. ὑπερφρονεῖν, ita ut, nisi librorum consensus obstaret, pro glossemate haberi possint; pauci enim Codd. omittunt. Contrarium est σωφρονεῖν, unde Hesychius: περιφρονεῖς· περισωφρονεῖς· ὑπερφρονεῖς. Itaque Tit. II, 15. scriptum est: ἔλεγχε αὐτοὺς μετὰ πάσης ἐπιταγῆς, μηδείς σου περιφρονείτω, i. e. mone eos gravissime (omni qua polles auctoritate) ne quis se superiorem admonitione eaque non indigere putet. Nam qui tantum κατὰ συγγνώμην monet (1 Cor. VII, 6.) ei verendum est, ne auditores eius admonitionem ad se non pertinere putent, eamque non magnopere curent. Sic etiam apud Aeschinem (Axioch. fin.) est: ἤδη περιφρονῶ τοῦ ζῆν. Stultus est enim, qui contemnit vitam; neque haec fuit sententia Socratis. Sed ille ex huius viri sapientissimi sermonibus intellexerat,

ὅτι, ἢ κάτω, ἢ ἄνω, εὐδαιμονεῖν δεῖ τὸν βεβιωκότα εὐσεβῶς, ideoque iam nunc se sentiebat et voluptatibus vitae et metu mortis superiorem, ἅτε εἰς ἀμείνω οἶκον μεταστησόμενον. Sed paulo ante scripserat: καταφρονῆσαι ὑπερβαλλόντων θηρίων βίας. Contra Paulus ad Timotheum (1 Ep. IV, 12.) scripsit: μηδείς σου τῆς νεότητος καταφρονείτω, i. e. nemo iuventutem tuam despiciat, ἀλλὰ τύπος γίνου. Falsum est, quod dicunt καταφρονεῖν h. l. per metonymiam esse, causam contemnendi habere. Manifesta est propria verbi vis in illo loco: ἢ ἑνὸς ἀνθέξεται, καὶ τοῦ ἑτέρου καταφρονεῖ (Matth. VI, 24.), i. e. alterum posthabebit, negliget. Sic etiam Rom. II, 4. τῆς μακροθυμίας τοῦ θεοῦ καταφρονεῖς, spernis, ignorans ὅτι τὸ χρηστὸν τοῦ θεοῦ εἰς μετάνοιάν σε ἄγει. In loco 1 Tim. VI, 2. eodem sensu dicitur, sed omisso obiecto: οἱ πιστοὺς ἔχοντας δεσπότας μὴ καταφρονείτωσαν, ὅτι ἀδελφοί εἰσιν, ἀλλὰ μᾶλλον δουλευέτωσαν. Sententiam recte expressit Lutherus; sed in edit. Koppiana (Vol. VII. p. 88.) miro errore omissa sunt verba: ὅτι — δουλευέτωσαν. Denique quum Hebr. XII, 2. dicitur Iesus αἰσχύνης καταφρονήσας, manifestum est, non hoc dici, Dominum se superiorem habuisse contumelia, sed eum τὴν αἰσχύνην non tanti duxisse, quin ὑπομείνῃ τὸν σταυρόν, quae est illius verbi vis propria.

Addamus aliud exemplum verborum

ἀπαλλάττειν· διαλλάττειν· καταλλάττειν· ἀποκαταλλάττειν·

Haec verba, composita ab eodem v. ἀλλάττειν, quod est proprie mutare (quasi aliud facere), sive res ipsa, sive externa eius conditio et locus mutetur, in eo quidem conveniunt, quod haec ipsa vis mutandi statum vel animum inest omnibus, sed quoad modum cogitandi differunt, ideoque pro synonymis iure haberi possunt.

Nam ἀπαλλάττειν proprie est removere, et ἀπαλλάττεσθαι ἀπό τινος est ab aliquo liberari, ideoque dicitur (Hebr. II, 15.) de eo, qui causa quadam liberatur et

absolvitur, sive pactione quadam amica, sive sententia iudicis, inprimis de creditore aut accusatore, qui debitorem aut reum dimittit. Sic Luc. XII, 58. ἐν τῇ ὁδῷ δὸς ἐργασίαν ἀπηλλάχθαι ἀπ' αὐτοῦ, i. e. ut vulgo explicant, da operam, ut ab eo dimittaris, ne ius suum persequatur. Discernitur ab ἀφεῖναι, apud *Demosthenem* pro Phorm. (p. 952. Reisk.) καὶ ὅσα τις ἀφῆκεν ἢ ἀπήλλαξεν et adv. Pantaen. (p. 966.) περὶ ὧν ἄν τις ἀφεὶς καὶ ἀπαλλάξας δικάζεται· (vid. VV. DD. ad *Harpocrat.* v. ἀφείς). Dignum est observatione, ἀπαλλάττειν dici non solum eum, qui creditor est, quum dimittit reum, sed etiam debitorem, qui creditori satisfacit: quod multis exemplis docuerunt *Raphelius* et *Elsnerus* ad illum locum, et *Dresigius* de verbis mediis p. 180. sq. Itaque apud Lucam l. c. ἀπαλλάττεσθαι de debitore intelligendum est, qui, priusquam ad iudicem ventum fuerit (ἐν ὁδῷ) studet quovis pacto satisfacere creditori, ut hic eum missum faciat, ideoque lucrum ei potius concedit, quam ius experiatur. Non dubito enim, quin iis accedam, qui verba: δὸς ἐργασίαν non explicant ex latinis, da operam (quo sensu ἐργασίαν dici non memini) sed de lucro vel foenore, quo accepto creditor acquiescat. Eadem sententia inesse videtur, nisi fallor, in loco parallelo Matth. V, 25. ἴσθι εὐνοῶν τῷ ἀντιδίκῳ σου. Recte haec verba Zonaras (p. 920. et Phavorinus) explicat ex veteri commentatore καταδέχου μᾶλλον ἀδικεῖσθαι. Ex his intelligitur, in v. ἀπαλλάττειν non proprie inesse notionem reconciliandi s. placandi, nisi quod cogitari possit, cui satisfactum fuerit, eum etiam placatum esse. Sed haec notio luculentius apparet in verbis

διαλλάττειν et καταλλάττειν.

Differunt tamen: nam διαλλάττειν plurium est, καταλλάττειν unius. Est enim διαλλάττειν efficere, ut quae fuit inimicitia *mutua*, ea esse desinat, ut apud Xenophontem: διαλλάττειν τὰς πολεμούσας πρὸς ἀλλήλους πόλεις. Sic semel in N. T. dicitur (Matth. V, 24.) διαλλά-

γηθι τῷ ἀδελφῷ σου. Non hoc enim dicitur, fac, ut ille tecum in gratiam redeat, sed: hoc age prius, ut invicem in gratiam redeatis. Non sufficit enim, ut ille non irascatur amplius, sed ut ipsi potius animum placatum habeamus, necesse est. Hinc διαλλακτής est, qui partes inimicas reconciliat. Vide *Hemsterhusium ad Thomam Mag.* v. διηλλάγη. Contra καταλλάττειν proprie est facere, ut *alter* inimicum animum deponat. Accurate igitur illo Matthaei loco διαλλάγηθι non καταλλάγηθι scriptum est, hoc enim unius partis est, illud utriusque. Neque obstat locus apud Thucydidem (IV, 59.) ubi Schol. τὸ δὲ καταλλαγῆναι τὸ διαλλαγῆναι. Non dixit enim simpliciter, sed πρὸς ἀλλήλους καταλλαγῆναι, quod vere idem est quod διαλλαγῆναι. Hinc καταλλαγή proprie (singulari numero) non est mutua reconciliatio, sed alterius. Neque temere Aristophanes (Avib. v. 1597.) scripsisse nobis videtur περὶ πολέμοιο καταλλαγῆς, non, ut Grammatici praecipiunt, καταλλαγῶν. Nam πόλεμος collective cogitatur, tamquam una dimicantium inimicitia, quae quum componitur, cessat bellum et διαλλάττονται οἱ πολεμοῦντες. Certe ne potuisset quidem scribere περὶ πολέμοιο διαλλαγῶν, ut recte scripsit v. 1539. et v. 1584. Eodem modo ad Rom. XI, 15. ἡ ἀποβολὴ τῶν Ἰουδαίων dicitur καταλλαγὴ κόσμου, repudiatione Iudaeorum factum est, ut reliquis contingeret καταλλαγή, non autem, ut quidam interpretantur, repudiatio Jud. exstitit causa consociationis paganorum et Iudaeorum in republ. christiana, quae interpretatio et per se sensu caret, et est a mente Apostoli aliena. Neque duobus locis reliquis Rom. V, 11. et 2 Cor. V, 18. 19. καταλλαγή est remissio peccatorum, quasi deo placato mutua sit restituta dei et hominum gratia et amicitia. Imo priori loco καταλλαγή est ipsa hominum reconciliatio per mortem Christi: nam nos quidem ἐχθροὶ ὄντες κατηλλάγημεν, non deus κατηλλάγη τῷ κόσμῳ, in altero loco διακονία τῆς καταλλαγῆς non est munus tradendi doctrinam de remissione peccatorum s. de expiatione, sed hoc ipsum munus, quo fun-

gitur Apostolus eodem loco, monendi, hortandi, obsecrandi Christianos, καταλλάγητε τῷ θεῷ, i. e. muneris efficiendi τὴν καταλλαγήν. Neque enim Deus erat inimicus hominum (Ioh. III, 16.) neque efficiendum erat, ut reconciliaretur, sed ut homines, ἐχθροὶ τοῦ θεοῦ, redirent in gratiam cum deo, i. e. ut, quum peccatis adversati fuissent sanctitati divinae, et inimicum erga deum animum habuissent (Rom. VIII, 7. τὸ φρόνημα τῆς σαρκὸς ἔχθρα εἰς θεόν) ideoque metuere sibi a sanctissimo numine debuissent (ut par est eos facere, qui τῷ νόμῳ τοῦ θεοῦ οὐχ ὑποτάσσονται, sciuntque ὅτι θεῷ ἀρέσαι οὐ δύνανται), nunc ipsi redeant in gratiam cum deo, i. e. (ut bene b. Morus noster explicuit,) ut desinant non solum metuere sibi a deo, sed desinant quoque ei adversari. Sciunt omnes, quantopere obscurata fuerit doctrina evangelii, quod interpretes verba scripturae sacrae non satis accurate distinxerunt; sed huius verbi καταλλάττειν exemplo luculentissime intelligitur, quam necesse sit, ut propria verborum vis diligentius obseruetur. Neque enim confundenda sunt verba ἱλάσσειν et καταλλάττειν, nam ἱλασμὸς est causa, cur homines possint et debeant καταλλαγῆναι τῷ θεῷ. Neque Christus dicitur ὁ καταλλάσσων (quasi διαλλάσσων deum et homines) sed ipse deus; nimirum θεὸς ἦν ἐν χριστῷ κόσμον καταλλάσσων ἑαυτῷ, μὴ λογιζόμενος αὐτοῖς τὰ παραπτώματα αὐτῶν. Quare non erat, quod haec dicta putarent ἀνθρωποπαθῶς, nihil enim magis dictum est θεοπρεπῶς, i. e. magis dignum sanctitate et sapientia numinis optimi maximi, quam quod inest verbis, nisi notionem irae divinae placatae temere immisceamus. Sed ut verbi καταλλάσσειν significatio et sensus, quo differt a διαλλάσσειν, proprius ex illis locis N. T. luculentissime intelligitur, ita etiam apud reliquos scriptores graecos, quantum quidem scimus, diligenter observatur. Sic apud *Xenophont.* Exped. Cyri VI. 6. 2. dicitur Orontes καταλλαγεὶς Κύρῳ. Nam antea Cyro bellum intulerat. Sed nunc ἐπιβουλεύει Κύρῳ simulatque, se ei esse amicum; Cyrus autem aperto dolo

queritur: δεξιὰν ἔλαβον καὶ ἔδωκα. *Iosephus* Ant. Iud. VI, 7. 4. παρακαλεῖν ἤρξατο τὸν θεὸν, καταλλάττεσθαι τῷ Σαούλῳ καὶ μὴ χαλεπαίνειν. VII, 8. 4. τῷ σαυτοῦ παιδὶ καταλλάγηθι καὶ τὴν πρὸς αὐτὸν ὀργὴν ἄφες· opp. ἀπέχθεσθαι τῷ παιδί. Idem III, 15. 2. dicit, Iudaeos rogasse Mosen ut esset καταλλακτὴς αὐτῶν πρὸς τὸν θεόν, sed hunc negasse, quod Deus non temere, sed merito irasceretur. Sed apud *Demosthenem* p. 189. 16. ed. Reisk. τοὺς Ἕλληνας ὁρῶν δεομένους διαλλακτοῦ, i. e. qui discordes conciliaret. *Euripid.* Iph. in Aul. v. 1157. οὐ σοὶ καταλλαχθεῖσα περὶ σὲ καὶ δόμους. conf. Helen. v. 1251. Et apud *Sophoclem* Ajac. v. 744. θεοῖσιν ὡς καταλλάχθῃ χόλου. Schol. ὅπως τὴν ἔχθραν ἀπόθηται. — Dicuntur de Ajace, qui per insaniam diis irascebatur. Pluribus exemplis non opus est. Restat ἀποκαταλλάττειν, quod bis tantum occurrit in N. T. Ephes. II, 16. καὶ ἀποκαταλλάξῃ τοὺς ἀμφοτέρους ἐν ἑνὶ σώματι τῷ θεῷ. et Coloss. I, 20. καὶ δι' αὐτοῦ ἀποκαταλλάξαι τὰ πάντα εἰς αὐτόν. Prioris loci sententiam ipse Apostolus explicat v. 15. ὁ ποιήσας τὰ ἀμφότερα ἕν, in posteriori autem, εἰρηνοποιήσας, in utroque inest notio eadem, quam diximus propriam esse v. καταλλάττειν. Nam *mutuae* simultatis notio non in verbo sed in tota formula inest, ut etiam e v. 22. intelligitur. Sed in v. ἀποκαταλλάττειν maior quaedam vis inesse, quam in v. καταλλάττειν videtur; nam καταλλαγέντες sunt, qui in gratiam cum aliquo redierunt, sed ἀποκαταλλαγέντες, qui ita deposuerunt inimicitiam, ut amicitia successerit, neque quidquam reliquum sit, quin concordes vivant ἐν ἑνὶ σώματι, cuius est unum caput Christus, ut Eph. I, 10. ἀνακεφαλαιώσασθαι τὰ πάντα ἐν τῷ Χριστῷ. Quamquam enim in verbis, quae duabus aut pluribus praepositionibus composita sunt, non emphasis, quam dicunt, quaerenda est *), tamen

*) Emphasis est, ut ait Quintilianus IX, 2. quum plus significatur, quam dicitur, seu ut idem dicit VIII, 3. altiorem praebens intellectum, quam quem verba per se ipsa declarant. Rectissime

cavendum est, ne temere eiusmodi verba posita quasi idem significantia putemus. Habet autem praepositio ἀπό hanc vim, ut, si verbo composito addatur, eius vim augeat, remque ipsam, quae hoc verbo cogitatur, aut prorsus absolutam, aut maiorem in modum factam esse indicet. Sic ἀπεκδέχεσθαι est constanter exspectare, non solum per tempus aliquod, sed ad finem usque, donec res, quam exspectes, eveniat. Rom. VIII, 19. 1 Cor. I, 7. etc. Eadem ratio esse videtur verbi ἀποκαραδοκεῖν, quod a simplici καραδοκεῖν non differre copiose demonstrare studuit Fischerus (de Vit. Lex. N. T. p. 128. sq.). Nam concedimus quidem, non emphasin esse quaerendam, et utrumque verbum reddi posse eodem verbo latino *exspectare*, sed negamus tamen utriusque verbi eandem prorsus vim et significationem esse, neque Polybio, quoties scriberet ἀποκαραδοκεῖν, quum aliis locis plurimis scripserit καραδοκεῖν, temere illud excidisse putamus. Certe in illis locis, qui afferuntur, manifestum esse videtur, ἀποκαραδοκεῖν dici de

---

Ernesti (Instit. Interpr. N. T. I. 1. 1. §. 15.) Est emphasis quaedam ad *solitam* verbi significationem accessio; deinde §. 16. addit, nullum verbum habere emphasin per se, propterea, quod unumquodque verbum habeat per se certam vim, indiceque certam quandam ideam rei, in qua emphasis esse non pot[illegible] Itaque emphasis non est quaerenda, nisi ubi appareat, ex mente dicentis ad solitam verbi significationem, aliquam vim cogitatione addendam esse, seu, scriptorem plus significasse, quam ipsum verbum per se denotet. Ergo, quum verba comparantur, v. c. καραδοκεῖν, ἀποκαραδοκεῖν· ἐνδέχεσθαι, ἀπεκδέχεσθαι· ὁρίζειν, προορίζειν· γινώσκειν, προγινώσκειν, non emphasis quaeritur in compositis, sed an composita per se plus, quam simplicia, significent. Sed tota de emphasibus fabula nata est ex verborum compositorum male intellectorum ratione, ut alio loco demonstravimus (Diss. de vi praeposit. in verbis compos. in N. T. rectius diiudicanda). Emphasis non est in verbo, quod plus per se, quam aliud significat, sed in verbo, quo qui usus est, plus significavit quam ipsum verbum per se significat.

homine, qui *eventum exspectat*, quod nos dicimus *abwarten*. Sic in illo loco apud Zonaram et Suidam, v. ἀποκαραδοκία, qui Polybio tribuendus videtur: ὁ δὲ καθῆστο ἐν τῇ παρεμβολῇ, ἀποκαραδοκῶν, ὅποι καὶ τύχης χωρήσοι τὰ πράγματα. Et in Excerpt. de Legat. s. n. 9. (p. 23. ed. Ursin.) συνεβούλευον αὐτῷ, πρεσβευτὰς πέμπειν εἰς τὴν Ῥώμην ὑπὲρ συμμαχίας, ἵνα μὴ δοκῇ τοῖς καιροῖς ἐνεδρεύων ἀποκαραδοκεῖν τὴν Ἀντιόχου παρουσίαν· et ibidem (n. 32. p. 65.): ἀπεκαραδόκει τοὺς ἐκ τῆς πόλεως, ἐπὶ τίνος ἔσονται γνώμης. In quibus locis illa, quam diximus, notio manifesta est. Item apud *Polyb.* XVI, 1. ἀπεκαραδόκει τὸν κίνδυνον. (conf. *Ioseph.* B. I. III. 7. 26.) Sed καραδοκεῖν, quod proprie est caput (oculos) aliquo intendere (ut apud *Aristophanem* Equit. v. 660. ἐκαραδόκησεν εἰς ἐμ' ἡ βουλὴ πάλιν. Schol. ἀπέβλεψεν) per se est, ut nobis quidem videtur, diligenter observare, quid fiat aut eventurum sit, deinde exspectare. Itaque Hesychius: καραδοκεῖ· προςδοκεῖ, ἐκδέχεται, ἢ ἐπιτηρεῖ τὸ κεφάλαιον τοῦ πράγματος. Consentiunt *Zonaras*, Etymol. M. Suidas et Timaeus. Unde etiam διακαραδοκεῖν, quod restituit Diphilo apud Suidam v. καραδοκεῖ Toupius (Emendd. in Suid. P. II. p. 310.) τὴν νύκτ' ἐκείνην διεκαραδοκήσαμεν, i. e. noctem illam totam exspectando transegimus. Hoc sensu apud ipsum Polybium aliosque dicitur καραδοκεῖν· sed omnes intelligunt, fieri vix posse, quin cogitando addamus notionem, quam dixi v. ἀποκαραδοκεῖν propriam esse, exspectandi eventum rei cuiusdam: nam cuius interest, quid eventurum sit, is diligenter, quod fit, observat; neque tamen *exspectat*, eo quidem sensu, quo dicitur προςδοκεῖν (i. e. ut praestoletur, quid eventurum sit, nos *erwarten*), sed sensu *observandi*, ut deinde consilium capiat, sive hoc sive illud evenerit. Simpliciter dicitur apud *Philonem* (de vita Mos. p. 604. ed. Paris.) de sorore Mosis: μικρὸν ἄποθεν ἐκαραδόκει τὸ ἀποβησόμενον, quod *Clemens* Alex. expressit: ἐπετήρει τὸ ἀποβησόμενον. (vid. *Diodor. Sic.* XIX, 16. *Xenoph.* Mem. III, 5. 6.). Sed apud *Herodo-*

tum VII, 168. καραδοκέοντες τὸν πόλεμον ᾗ πεσέεται. Vid. ibi *Valckenar*. i. e. ut *Diodorus Sic*. de eadem re loquutus scripsit, καραδοκοῦντες τὰς τοῦ πολέμου ῥοπάς. Differre προςδοκεῖν et καραδοκεῖν, clarissime intelligitur ex *Euripid*. Rhes. v. 144. σάλπιγγος αὐδὴν προςδοκῶν καραδόκει. Legitur autem ἀποκαραδοκία bis in N. T. Philipp. I, 20. κατὰ τὴν ἀποκαραδοκίαν καὶ ἐλπίδα μου, et Rom. VIII, 19. ἡ ἀποκαραδοκία τῆς κτίσεως. In utroque loco inest illa notio exspectati eventus. Nam in priori loco dicit Apostolus, etiamsi pessime se quidam gerant, tamen se bono animo esse, quod sciat, ὅτι τοῦτο αὐτῷ ἀποβήσεται εἰς σωτηρίαν, atque hunc prosperum eventum appellat ἀποκαραδοκίαν καὶ ἐλπίδα. In altero autem loco ne potest quidem ἀποκαραδοκία esse idem quod προςδοκία, aut simplex exspectatio. Frigidum esset enim quod dicitur: ἡ ἀποκαραδοκία τῆς κτίσεως τὴν ἀποκάλυψιν τῶν υἱῶν τοῦ θεοῦ ἀπεκδέχεται, quasi diceremus: exspectationem τῆς κτίσεως exspectare. Est potius sollicita et anxia in rebus tristissimis futuri exitus cura et desiderium, quod exspectat τὴν ἀποκάλυψιν. Scite Lutherus: *das ängstliche Harren*. Monendi sunt autem tirones, ne Lexicographorum veterum explicationibus in eam se sententiam induci patiantur, ut verba omnia, quae adiecta sunt, idem plane significare putent: illi enim synonymis plerumque ad glossam explicandam utuntur. Male igitur Fischerus, ut καραδοκίαν et ἀποκαραδοκίαν non differre ostenderet, Hesychii auctoritatem attulit, qui ἀποκαραδοκίαν dixerit esse προςδοκίαν et ἀπεκδοχήν. Sed redeamus ad v. ἀποκαταλλάττειν. Celebratur in illo loco magna et gravissima rerum humanarum conversio, quam deus per Christum efficere decrevit, ut omnes populi, superbia, avaritia, variòque rerum inanium studio dissociati, tandem, καταλλαγέντες τῷ θεῷ, una spe salutis erecti, eandemque ab uno servatore vitam aeternam quaerentes, in unam coirent societatem ἐν ἑνὶ σώματι, cuius caput est ipse Dominus, ὃς παρεδόθη διὰ τὰ παραπτώματα ἡμῶν καὶ ἠγέρθη διὰ

τὴν δικαίωσιν ἡμῶν. Quodsi hoc summo beneficio nondum omnes populos, ne christianos quidem, mactos beatosque conspicimus, imo πᾶσαν τὴν κτίσιν videmus συστενάζειν καὶ συνωδίνειν ἄχρι τοῦ νῦν, tanto constantius teneamus illam Apostoli ἀποκαραδοκίαν καὶ ἐλπίδα, rebusque nostris non superbius quidem confisi, neque tamen de felici exitu desperantes, ἀπεκδεχώμεθα τὴν υἱοθεσίαν, τὴν ἀποκάλυψιν τῶν υἱῶν τοῦ θεοῦ. *Εἰ γὰρ ἐχθροὶ ὄντες κατηλλάγημεν τῷ θεῷ, διὰ τοῦ θανάτου τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ, πολλῷ μᾶλλον καταλλαγέντες σωθησόμεθα ἐν τῇ ζωῇ αὐτοῦ.* Olim enim πᾶσα ἡ κτίσις ἀπαλλαγήσεται τῆς ματαιότητος per eum, per quem decrevit Deus ἀποκαταλλάξαι τὰ πάντα εἰς αὐτόν.

Quod quum omni tempore Christianos grato animo reputare par sit, tum his, qui instant, laetissimis diebus potissimum, quibus indicandis sufficit quidem illa solemnis salutatio, qua Graeci, quotquot superstites sunt, inter clarissimorum maiorum aequaliumque sepulcra errantes, hos quoque dies festos celebrabunt: Χριστὸς ἀνέστη. Sed rogamus tamen Vos, *cives carissimi*, ut id sedulo faciatis, animumque vestrum spe immortali imbuatis. Quod Vos facturos esse speramus et confidimus.

P. P. Dom. Palmarum a. Dom. CIƆIƆCCCXXVII.
in Univ. Lips.

CAP. VIII.

Vocabulorum, quae synonyma habentur, in Graeca lingua tanta est copia, ut quo longius in his disputationibus progredior, eo minus me sperare posse intelligam, fore, ut ad finem perducam omnia: nam et aetas me monet, et inter manus crescit opus, neque huiuscemodi libellorum angustiae istam rerum multitudinem capere videntur. Sed nolo tamen deesse iis, quibus hunc laborem meum non prorsus displicuisse intellexi, ideoque dum licebit, in explicandis synonymis N. T. pergam. Dicam autem nunc de genere synonymorum, quod patet latissime, sed difficultates habet plurimas, quia vocabulorum singulorum, quae in eo continentur, diversitas usu vitae communis ita plerumque obliterata est, ut saepe dubitandum sit, an vel elegantiores scriptores Graeci synonymorum discrimen semper observaverint. Synonyma dico verborum, quae a sensibus rebusque, quae in sensus incidunt, ducuntur, cuiusmodi sunt verba sentiendi, videndi, audiendi, et alia, quae quum ad animi ipsiusque rationis munera transferuntur, diversissimos colores induunt. Constat enim, in omnibus linguis notiones rerum, quae ad ipsum tantum animum eiusque officia pertinent, exprimi verbis, quae a variis sensuum muneribus orta sunt. Sed quum omnibus perceptionibus triplex modus insit, aut obiecti, quod percipitur, aut subiecti, quod afficitur, aut cogitationis, quae ex utriusque relatione in animo oritur, sequitur, ut verba, quae a sensuum muneribus vel rerum externarum rationibus petita sunt, quum ad animum transferuntur, toti-

dem fere modis dicantur, quibus animus afficitur, licet illi modi plerumque in eadem perceptione coniuncti reperiantur. Ex quo fit, ut eiusmodi verba promiscue dici posse videantur, neque in [illegible] permutatione aliquid amplius quam variationis qu[illegible]m elegantia et oblectatio quaeratur. Sic v. c. quum Socrates apud Xenophontem (Memor. I, 4. 17.) dixisse narratur: τὸ σὸν μὲν ὄμμα δύνασθαι ἐπὶ πολλὰ στάδια ἐξικνεῖσθαι, τὸν δὲ τοῦ θεοῦ ὀφθαλμὸν ἀδύνατον εἶναι ἅμα πάντα ὁρᾷν· pauci fortasse fuerint, qui ὄμμα et ὀφθαλμόν ita differre putent, quin scribi potuerit ὄμμα θεοῦ et ὀφθαλμὸν ἀνθρώπου, quamquam certissimum est mihi, non elegantiae causa Xenophontem sic scripsisse, ne idem vocabulum repeteret, sed quod propria utriusque vocabuli vis ita postularet. Potest enim ὀφθαλμός quidem tribui τῷ θεῷ, sed ὄμμα hominum tantum proprium est. Sed nunc exemplis nonnullis utamur.

βλέπειν· ὁρᾷν· ἰδεῖν· ὄπτεσθαι· θεᾶσθαι· (θεωρεῖν.)

Quum oculi non solum ὁ λύχνος τοῦ σώματος sint, sed etiam ipsius animi seduli ministri atque satellites, non mirum est, Graecos tot habere vocabula, quae ad usum oculorum proprie referenda sint. Et Germanica quoque lingua, Graecae simillima, eadem verborum copia gaudet, quibus amplissimum oculorum munus designatur. Quae in N. T. occurrunt, eo ordine, quo mihi subiecta esse videntur, quomodo differant, videamus.

βλέπειν latissime patet. Est enim proprie nihil aliud, quam uti oculis, videre. Qui visum habet, βλέπει. Ita etiam de iis dicitur, qui βλέπουσι, postquam visum recuperarunt, Luc. VII, 21. Matth. XV, 31. Ioh. IX, 7. Et saepe in N. T. τὰ βλεπόμενα sunt, quae oculis cernuntur, quae videmus. (Sed ὁρατά sunt, quae *possunt* oculis cerni). Hinc Matth. V, 28. βλέπειν γυναῖκα simpliciter est, videre, conspicere mulierem, non autem, quod volunt, lascivis oculis intueri. Nam lasciviae nota est in illis, quae adiiciuntur: πρὸς τὸ ἐπιθυμῆσαι αὐτῆς,

i. e. ita ut turpi cupidine eius incendatur, μετ᾽ ἐπιθυμίας. Qui oculos aliquo convertunt, ut videant, εἴς τι βλέπειν dicuntur, ut in illo loco Luc. IX, 62. οὐδεὶς ἐπιβαλὼν τὴν χεῖρα αὐτοῦ ἐπ᾽ ἄροτρον, καὶ βλέπων εἰς τὰ ὀπίσω, εὔθετός ἐστιν εἰς τὴν βασιλείαν τοῦ θεοῦ. Quem locum vulgo interpretantur: qui aratro manum admoverit ac *deinde reversus fuerit.* Dicunt enim, βλέπειν εἰς τὰ ὀπίσω esse, reverti, retro contendere, et provocant usum linguae hebraicae, in qua verba videndi haud pauca de iis, qui iter faciunt, dicantur, inprimis ad Genes. XIX, 26. ubi verbum ותבט, et respexit, de ipso reditu intelligendum esse dicunt, non solum ob rem ipsam, sed etiam ob explicationem Luc. XVII, 32. Sed quamquam probabile est, uxorem Lothi non tantum respexisse, sed vere reversam, atque in ipso reditu suffocatam esse, tamen non sequitur, formulam βλέπειν εἰς τὰ ὀπίσω significare reverti, et verbum βλέπειν dici de iter facientibus, quo nihil magis est ἀπροσδιόνυσον. In isto autem loco redeundi notio neque requiritur, neque admitti posse videtur. Primum enim inserenda est, quod illi quidem faciunt, nota temporis (ac *deinde*) quae non inest in verbis, quorum compositio postulat, ut tempus idem cogitetur, quo et manum imponat arator et retro videat. Deinde iuvenis ille dixerat quidem, optare se, ut sibi, priusquam Dominum sequeretur, liceret valedicere familiaribus suis; quod ut facere posset, necesse omnino erat, ut nunc quidem rediret domum; sed erat ei tamen animus deinde revertendi ad Dominum eumque sectandi, ut alteri, de quo in antecedentibus narratur, v. 59. 60. Ergo non inconstantia hominis vituperari poterat; dixerat enim sine haesitatione: ἀκολουθήσω σοι κύριε, sed animus mollis et segnis, qui eum, in tanto ausu, non patiebatur oblivisci rerum, quibus a regno dei appetendo abstraheretur. Quare non poterat Dominus dicere, illum iuvenem iam opus adgressum esse (quem dicunt esse sensum verborum ὁ ἐπιβαλὼν τὴν χεῖρα αὐτοῦ ἐπ᾽ ἄροτρον) ac deinde reverti, i. e. opus inceptum

relinquere voluisse, quasi noluisset redire; imo neutrum conveniebat in illum adolescentem bonae indolis: neque enim manum iam admoverat, et voluit redire ad Dominum, ut eum constanter sequeretur. Sed usus est, ut nobis quidem videtur, Dominus imagine rustici, qui manu aratro imposita, retro respicit, neque pergit alacriter, sed cessat opus facere. Quamobrem huius loci sententia haec mihi esse videtur: non aptus est ad regnum dei, qui cessat, rerumque, quas post se relinquere ipsum oportet, curam et rationem habet. Nam βλέπειν εἴς τι proprie nihil aliud denotat, quam oculos convertere aliquo; ut Xenoph. Anab. IV, 1. 15. βλέψον εἰς τὰ ὄρη, καὶ ἴδε ὡς ἄβατα πάντα ἐστί. Sed saepius denotat, aliquid studiose et cupide observare, ut Matth. XXII, 16. et Marc. XII, 14. οὐ βλέπεις εἰς πρόςωπον ἀνθρώπων. Vide de hac formula VV. DD. ad Lucian. I. M. D. p. 378. sq. Ad animum transferri eodem modo, satis constat. Sed sufficit tenere propriam verbi notionem, quae plane respondet nostro: *sehen*. Neque igitur mirandum est, βλέπειν, quum de ipso sensu visus dicatur (subiecto, quod vocant), non solum de iis rebus dici, quae nihil vident, neque percipiunt ea, quae obiecta sunt, quia earum facies veluti intenta est aliis, ut τῶν βλεπόντων esse vultus solet (Actor. XXVII, 12.), sed etiam adiungi hominibus rerum, quae aliis sensibus percipiuntur. Neque tamen recte dicunt, βλέπειν esse *audire*. Nam in eo loco: βλέποντας κωφοὺς λαλοῦντας, non est *audientes* loqui mutos; ita enim scribendum fuisset: βλέποντας κωφοὺς λαλεῖν, sed proprie est *videntes*: pertinet enim βλέποντας non solum ad κωφούς, sed etiam ad κυλλοὺς et reliquos. Itaque vertendum est: quum viderent *mutos*, qui loquerentur, *claudos*, qui pedibus uterentur etc. Afferunt etiam Apocal. I, 12. ἐπέστρεψα βλέπειν τὴν φωνὴν ἥ τις ἐλάλησε μετ' ἐμοῦ. Sed hic ne potest quidem βλέπειν sumi pro audire. Esset enim prorsus ineptum hoc, illum se convertisse, ut audiret vocem, quae cum eo loqueretur; audierat enim: sed convertit se, ut vide-

ret, *unde haec vox emissa esset.* Alieni sunt loci scriptorum graecorum, quos afferre solent. In his enim verba ὄπτεσθαι et ὁρᾶν, non denotant audire, sed percipere mente, sive visu sive auditu id fiat, ut in illo Aeschyli (Prom. vinct. v. 21.), ἵν' οὔτε φωνὴν, οὔτε του μορφὴν ὄψει (conf. Sophocl. Trach. v. 365.). Quod dixi βλέπειν tantum actum ipsum videndi denotare, nulla cogitatione rei, quae obiecta est visui, id, nisi fallor, etiam ex eo intelligitur, quod βλέμμα non id, quod videmus (ut ὅραμα), significat, sed oculum, seu aspectum, quo videmus. Hinc denique et illius formulae ratio cognosci videtur, quae bis occurrit in N. T. βλέπειν ἀπό τινος. Ibi dicunt βλέπειν esse idem quod cavere. Sed primum temere confundunt cum formula, βλέπε μή cuius est longe alia ratio, ut statim videbimus; deinde intelligi nullo pacto potest, quomodo βλέπειν ἀπό τινος esse possit, cavere sibi: nam qui cavere sibi ab aliqua re cupit, is non avertit oculos (ut struthionem narrant facere), sed diligenter intendit oculos ei rei, a qua sibi cavendum putat, βλέπει μὴ πάσχῃ τι. Sed uti βλέπειν εἴς τι est, aliquo convertere oculos (non sine habendi studio), ita etiam βλέπειν ἀπό τινος est, avertere oculos, quod est aversantium et fugientium. Itaque, ut nobis quidem videtur, in illa formula inest potius *aversandi* et *fugiendi* quam *cavendi* notio. Quod manifestum est in illo loco, Marc. VIII, 15. quem afferre solent: ὁρᾶτε, βλέπετε ἀπὸ τῆς ζύμης τῶν φαρισαίων. i. e. cavete, fugite illos: scilicet non bis dixit cavendum esse, sed noluit discipulos illorum hominum fucatam pietatem sectari, ut XII, 38. Et Matth. XVI, 6. legitur: ὁρᾶτε, προσέχετε ἀπὸ τῆς ζύμης τ. φ. Sed non caperent exempla haec paginae, si, quam saepe in Lexicis nostris omnes formulae commisceantur, vellemus ostendere. Itaque relictis illis pergamus.

Differt igitur, quod sequitur, ὁρᾶν, eo, quod videre quidem denotat, ita tamen, ut ad id, quod conspicitur, quodque obiectum est visui, referatur. βλέπειν

qui oculis utitur, etiamsi fortasse nihil conspiciat (βλέποντες οὐ βλέπουσι), ὁρᾷ, qui *conspicit* aliquid. Hinc ὅραμα est, quod conspicitur, visum, ὅρασις, species rei, quae in oculos incidit, ὁρατόν, quod subiectum est visui, quod potest conspici. Neque unquam ὁρᾶν absolute, quod dicunt, legitur, nisi si cogitari potest id, quod conspicitur. Sed quoniam eum, qui ab errore aut fraude cavere sibi cupit, diligenter circumspicere omnia et observare oportet, intelligitur, quomodo fiat, ut ὅρα, ὁρᾶτε, ὁρᾶτε μή simpliciter posita significent cura, vide ne, cavete. Eadem est ratio formulae illius Hebr. VIII, 5. ὅρα ποιήσῃς. Monetur enim Moses, ut opus exstruendum (tabernaculum) diligenter observet, ut id fiat κατὰ τὸν τύπον τὸν δειχθέντα αὐτῷ. Sed quum dicimus, ὁρᾶτε, ὁρᾶτε μή, iubemus eos, qui aliquid facturi sunt, aut facere possint, id caute ante examinare, ne quid fiat, quod ne fiat, providendum est. Quamquam autem in utroque: ὁρᾶτε μή et βλέπετε μή, inest notio cavendi, tamen differre videntur. Nam ut βλέπετε, si nulla negatio additur, nihil aliud significat, quam, utamini oculis vestris, ut recte cognoscere rem possitis (ut in illo: βλέπετε, ἀγρυπνεῖτε, 1 Cor. X, 18. Philipp. III, 2.), ita ὁρᾶτε hanc vim habet, ut oculos mentemve ad rem ipsam convertere iubeamus. Recte igitur Actor. XXII, 26. ὅρα τί μέλλεις ποιεῖν, nec poterat dici: βλέπε τί μ. π. Monetur enim centurio, ut videat, quid facturus sit, ne civem romanum virgis caedi iubeat. Contra Marc. IV, 24. dicitur: βλέπετε τί ἀκούετε, pro quo Luc. VIII, 18. est βλέπετε πῶς ἀκούετε. (ut Eph. V, 15. βλέπετε πῶς ἀκριβῶς περιπατεῖτε). Nam in illis locis propria vis verbi translata est ad mentis intentionem, ideoque coniungi potest βλέπειν cum ἀκούειν, sed non poterat dici: ὁρᾶτε τί ἀκούετε, quia ὁρᾶν semper refertur cogitatione ad obiectum, quod conspicitur, neque ullum scriptorem bonum sic dixisse legimus. Inesse autem verbo ὁρᾶν proprie vim eam, quam diximus (obiectivam), etiam ex eo intelligitur, quod cum iis tantum praepositionibus con-

iunctum reperitur, quibus cogitatio refertur ad id, quod conspicimus. Nam in composito *ἀφορᾶν* duplex praepositionis notio inest, una, qua tollitur vis verbi, et significatur, *τὸν ἀφορῶντα οὐχ ὁρᾶν* i. e. aliorsum spectare, ut in illo loco Cyrop. VII, 1. 36. *καίουσιν ἀφορῶντας* (terga enim Aegyptiorum caedebantur), altera, quae indicat rem ipsam a subiecto, ad quod verbum refertur, esse remotam. Sic Herodot. VIII, 37. *ἀπώρεον τὸ ἱρόν.* Nam Delphis quidem, non autem templo appropinquaverant, ut e sequentibus intelligitur. Itaque licet dici possit *βλέπειν ἀπό τινος*, tamen prorsus ineptum foret *ὁρᾶν ἀπό τινος*. Quod si quis in N. T. interpretatione eiusmodi subtilitatibus non opus esse dicat, hunc apud se reputare velim, quid sit, cur ipse sentiat, ineptum futurum fuisse, si scriptum esset: *βλέπειν τὸν θεόν, βλέπειν τὸν πατέρα* (de deo) *βλέπειν ἑαυτόν* (aliud est, *βλέπειν εἰς αὐτόν*) aut cur Graeci de situ regionis etc. semper *βλέπειν*, nunquam *ὁρᾶν* usurpent.

Sequitur *ἰδεῖν*, quod ab *ὁρᾶν* ita differt, ut referatur potius ad mentem eius, qui videt, ut, quum *ὁρᾶν* ad obiectum spectet, illud ad subiectum referri cogitatione debeat. Hanc propriam esse vim v. *ἰδεῖν*, nemo negabit, qui usum eius diligenter observaverit. Hoc loco pauca sufficient. Nam quae alia causa est, cur v. *ἰδεῖν*, ne apud antiquissimos quidem scriptores, in praesenti occurrat, sive videre sive cognoscere denotet, nisi quod ei insit propria notio rei praeteritae, ex qua id ipsum ortum sit, quod nunc esse cogitatur, i. e. vidisse aliquid aut cognovisse, ideoque nunc scire et compertum habere: unde fit, ut *οἶδα, ἰδού, ἰδών*, habeant notam temporis praesentis. Neque vereor, ne quis Homeri aliquot loca obtendat, in quibus praesens tempus legitur. Nam in his aut futuri notionem habet, ut Iliad. θ, v. 18. *ἵνα εἴδετε πάντες.* σ, v. 53. *κλῦτε – ὄφρ' εὖ πᾶσαι Εἴδετ' ἀκούουσαι.* Odyss. ι, v. 17. *ὄφρα καὶ ὑμεῖς Εἴδετ'.* aut vim passivam, ut cogitari debeat non videre aliquem rem quandam, sed eam rem ei apparere s. videri, ut

Iliad. α, v. 228. τὸ δέ τοι κὴρ εἴδεται εἶναι, ϑ, v. 559. πάντα δέ τ' εἴδεται ἄστρα. ν, v. 98. νῦν δὴ εἴδεται ἦμαρ. ξ, v. 472. σὺ μέν μοι κακὸς εἴδεται. ω, v. 197. τί τοι φρεσὶν εἴδεται εἶναι. Hinc etiam εἶδος non id, quod videmus, τὸ ὅραμα, sed rei imaginem, speciem s. formam, quae menti offertur, denotat. Eodem sensu εἶδος πονηρόν accipiendum videtur 1 Thess. V, 22. ἀπὸ παντὸς εἴδους πονηροῦ ἀπέχετε, quae verba nonnulli sic interpretantur: *ab omni genere improbitatis abstinete.* Sed recte Lutherus: *meidet allen bösen Schein.* Nam dici quidem potuisset illo sensu ἀπὸ παντὸς εἴδους πονηρίας (*Ioseph. Ant. Iud.* X, 3. 1. vid. WETSTEN. ad illum locum.) sed dici debebat, ἀπὸ παντὸς εἴδους τοῦ πονηροῦ. Est autem εἶδος πονηρόν forma, species inhonesta, improba, ut εἶδος αἰσχρόν apud Euripidem forma invenusta. Contra 2 Cor. V, 7. verba διὰ πίστεως περιπατοῦμεν, οὐ διὰ εἴδους commode quidem quoad sensum expressit Lutherus: *wir leben im Glauben nicht im Schauen.* Et dicunt interpretes, εἶδος h. l. idem esse quod ὄψιν. Sed dubitari tamen potest, an non εἶδος propriam suam vim habeat, non solum quod εἶδος nunquam pro ὄψει dicitur, sed etiam quod aliena videtur a mente Apostoli haec sententia: nos nunc credimus haec tantum, sed nondum videmus s. consequuti sumus. Iubet enim bono animo eos esse et confidere deo, τῷ δόντι ἡμῖν τὸν ἀῤῥαβῶνα τοῦ πνεύματος, quippe qui sciant, se nunc quidem peregre abesse a domino, ideoque cupiant potius ἐκδημῆσαι ἐκ τοῦ σώματος, καὶ ἐνδημῆσαι πρὸς τὸν κύριον. Denique περιπατεῖν διὰ πίστεως differre videtur ab illo περιπατεῖν ἔν τινι, quod aliquoties occurrit. Non dubito enim, quin haec verba explicanda sint ex usu Graecorum, quem subtilissime exposuit *Valckenarius* ad *Euripid. Phoenissi* (pag. 177. ad v. 482. conf. ad v. 1555.) ita ut περιπατεῖν διὰ πίστεως sit πιστεύοντα περιπατεῖν, i. e. vivere. Sic apud *Aeschylum Prom.* v. 120. τὸν πᾶσι θεοῖς δι' ἀπεχθείας ἐλθόντα, i. e. diis omnibus invisum (vid. Abresch.), et apud *Euripidem Hippol.* v. 1164. δι' ἔχθρας μῶν τις

ἦν ἀφιγμένος, i. e. inimico animo, et Orest. v. 765. διὰ φόβον γὰρ ἔρχομαι. Sic etiam in ep. ad Romanos IV, 11: τῶν πιστευόντων δι' ἀκροβυστίας, et XIV, 20. τῷ διὰ προςκόμματος ἐσθίοντι. Eadem ratione explicandus videtur locus difficilis 2 Petr. III, 5. δι' ὧν ὁ τότε κόσμος ὕδατι κατακλυσθεὶς ἀπώλετο (vid. Markland. ad. Lysiam p. 329. ed. Reisk.). Est autem εἶδος rerum externa forma et species, ut satis constat; itaque δι' εἴδους περιπατεῖν est ita vivere, ut τό εἶδος sit veluti comes vitae, i. e. externa rerum specie captum vivere. Sed non decet Christianos rebus externis inhiare, aut earum vana specie teneri, imo altiora eos oportet quaerere, ideoque θαῤῥοῦσι μᾶλλον ἐκδημῆσαι ἐκ τοῦ σώματος καὶ ἐνδημῆσαι πρὸς τὸν Κύριον. Quare sententiam loci hanc esse puto: vita nostra immortali illa spe, non harum rerum vana specie regitur, quin malimus discedere ex hoc corpore, ut ad Dominum veniamus.

Inter ὁρᾶν et ἰδεῖν medium est ὄπτεσθαι. Nam simul ad obiectum, quod offertur oculis, et ad subiectum, quod videt aut conspicit, referendum est. Hinc intelligitur, quae causa sit, cur in passivo tantum et medio usurpatum fuerit, neque in tempore praesenti reperiatur. Nam quum non denotet actionem videndi, sed statum eius, cuius oculis aut menti oblatum est, quod is videt aut intelligit, non convenit ei vis activa, ideoque aut in passivo aut in medio ponendum est; in passivo quidem, quum dicitur offerri quidquam aut menti nostrae apparere, in medio autem, quum cogitatur, aliquid oblatum et veluti infixum esse oculis aut menti ut intelligamus. Quare aut in praeterito, aut in futuro ponitur, quoniam propria verbi notio requirit, ut aut factum id aut futurum cogitetur, quo efficiatur, ut cognoscamus. Est enim haec vis verbi, ut non actionem videndi, sed statum seu affectionem mentis, cui res quaedam oblata est, denotet. Differt igitur a. v. βλέπειν et ὁρᾶν, quae actionem videndi denotant, et ab ἰδεῖν, quod

tantum ad subiectum refertur. Neque desunt in N. T. loci, in quibus haec propria verbi vis manifesta est. Recte dicitur ὄψονται τὸν θεόν, Matth. V, 8.: non hoc enim dicitur, videbunt deum, quod fieri non potest, sed intelligent vere, atque cognoscent, ut 1 Ioh. III, 2. ὀψόμεθα αὐτὸν καθώς ἐστι, et Hebr. XII, 14. χωρὶς ἁγιασμοῦ οὐδεὶς ὄψεται τὸν κύριον. Dubitamus enim, an in verbis ὄψονται τὸν θεόν, quaerenda sit notio familiaritatis et consuetudinis arctioris cum deo, ut in Lexicis vulgo traditur: sed putamus, summam eorum felicitatem describi, qui verius intelligunt sapientiam, sanctitatem et amorem dei, quae felicitas potest omnino contingere tantum his, qui sunt καθαροὶ τῇ καρδίᾳ. Nam verissime Callimachus dixit (in Apoll. v. 7. 9.) ὁ θεὸς οὐκ ἔτι μακράν, sed tamen οὐ παντὶ φαίνεται, ἀλλ' ὅ, τις ἐσθλός. Itaque Pentheus ille impius apud Euripidem (Bacch. v. 501.) quum interrogasset, ubi esset deus, merito hoc responsum tulit: παρ' ἐμοί· σὺ δ' ἀσεβὴς αὐτὸς ὢν, οὐκ εἰσορᾷς. (ubi εἰσορᾶν idem est quod ὄπτεσθαι, *inne werden*). Acute etiam Plutarchus (de Ei apud Delph. init.) Apollinem Πύθιον esse dixit τοῖς ἀρχομένοις μανθάνειν καὶ διαπυνθάνεσθαι, Δήλιον δὲ καὶ Φαναῖον, οἷς ἤδη τι δηλοῦται καὶ ὑποφαίνεται τῆς ἀληθείας. Verissime Homerus: οὐ γάρ πω πάντεσσι θεοὶ φαίνονται ἐναργεῖς. (Odyss. π, v. 161.) Negari quidem non potest, verba ὄπτεσθαι et ὁρᾶν nonnunquam permutari, ita ut ὄπτεσθαι nihil aliud quam ὁρᾶν denotare videatur. Sic apud Xenophontem (Cyneg. 5, 31.) βαδίζοντα δὲ οὐδεὶς ἑώρακεν οὐδ' ὄψεται. Et in N. T. saepius pro ὁρᾶν ponitur, v. c. Matth. XXIV, 30. XXVI, 64. Ioh. I, 51. 52. XI, 40. Act. XX, 25. al. Sed hinc non sequitur, ὄπτεσθαι idem prorsus significare, quod ὁρᾶν, ἰδεῖν, βλέπειν· ita ut omnibus locis, ubi ὄπτεσθαι scriptum est, unum ex his poni potuerit. Neque vereor, ne quis dicat, ὄπτεσθαι ponendum esse, quia tempus futurum ab eo mutuent verba affinia, ὁρᾶν et εἰδεῖν. Quaeritur enim, cur futurum ab ὁρᾶν inusitatum sit, quemadmodum idem verbum

aoristo destitutum est *). Est autem amplius quid in verbo ὄπτεσθαι, quia, ut diximus, non solum ad obiectum, sed simul etiam ad subiectum refertur cogitatio. Potest igitur nonnunquam ὄψει poni, ut in illis locis: μείζονα τούτων ὄψει· ὄψει τὴν δόξαν τοῦ θεοῦ, quum nihil aliud cogitandum est, quam conspici aliquid. Sed Matth. XXVII, 4. et Actor. XVIII, 15. σὺ ὄψει et ὄψεσθε αὐτοί scribendum erat. Aliud est enim σὺ ὅρα, aliud σὺ ὄψει. Nam σὺ ὅρα est, ut supra vidimus, tu rem accurate perspice, intuere, perpende, sed σὺ ὄψει est, ut latinum „tu videris“ (a quo formula „tu vide“ differt) tuum est, ut haec perpendas, iudices, cures. Qui dicit σὺ ὅρα, is iubet id facere, sed qui dicit σὺ ὄψει, is tantum permittit ut alter hoc faciat, negatque se id facturum. Quare semper σύ, aut αὐτοί, aut aliud pronomen additur, si hoc sensu ponitur, ut non nostrum id esse dicamus, ut curemus aliquid, v. c. ὄψονται οἱ ἄλλοι, εἰ λυσιτελεῖ αὐτοῖς παρὰ φύσιν ἔχειν, apud Arrianum diss. I, 17. Plene exprimitur haec sententia Act. XVIII, 15. εἰ ζήτημά ἐστι περὶ λόγου — ὄψεσθε αὐτοί· additur: κριτὴς γὰρ ἐγὼ τούτων οὐ βούλομαι εἶναι. Nunquam autem formula σὺ ὅρα hoc sensu reperitur.

Restant θεᾶσθαι et θεωρεῖν. Utrumque ab illis, de quibus dictum est, ita differt, ut ipsius animi intentionem denotet, qua quis intuetur quidquam aut spectat vel contemplatur. Itaque θεᾶσθαι et θεωρεῖν plerumque ponuntur, quum studium videndi et contemplandi cogitandum est. Sic Matth. XI, 7. τί ἐξήλθετε θεάσασθαι, i. e. τί ἐξελθόντες ἐθέλετε ὁρᾶν. Matth. XXII, 11. Et Ioh. XIV, 17. ὅτι οὐ θεωρεῖ αὐτὸ οὐδὲ γινώσκει αὐτό, non simpliciter est, videt, cognoscit, intelligit (quod est in

*) Qui putant, causam, cur plura verba quibusdam temporibus deficiant, in solo usu loquendi quaerendam esse, hi mihi quidem valde errare videntur.

γινώσκειν, falsum est enim, quod dicunt nonnulli, h. l. γινώσκειν et θεωρεῖν permutari), sed, non studiose et attente contemplatur, ideoque οὐδὲ γινώσκει, non intelligit. Nam Matth. VI, 1. πρὸς τὸ θεαθῆναι αὐτοῖς (et Matth. XXIII, 5.), non est conspici, sed cum studio et admiratione. Sunt quidem loci, in quibus θεᾶσθαι nihil amplius denotare videatur, quam conspicere, ut Matth. XVI, 11. Luc. V, 27. Sed tamen alii sunt, in quibus manifesta est propria verbi vis; semper enim adiunctam habet notionem studii, intentionis animi eius, qui aliquid intuetur, ut conspiciat et cognoscat. Nam in illo ad Romanos loco XV, 24. ἐλπίζω διαπορευόμενος θεάσασθαι ὑμᾶς, Paulus non dicit tantum, se eos visurum, sed res eorum diligenter inspecturum esse. Sic Lucianus (Nigrin. 2. I. p. 40.) βουλόμενος ἰατρὸν ὀφθαλμῶν θεάσασθαί τινα, i. e. convenire. Apud Xenophontem Cyrop. V, 5. 1. θεασάμενος τὸ στράτευμα, et VII, 5. 4. τεθεάμεθα κύκλῳ τὴν πόλιν. ἑωράκαμεν κ. τ. πόλιν esset, conspeximus urbem, quod alienum est. Idem in Hierone 2. 5. διὰ γνώμης θεᾶσθαι μᾶλλον ἢ διὰ τῶν ὀφθαλμῶν. Euripides in Oreste v. 909. θεᾶσθαι δ᾽ ὧδε χρὴ τὸν δεσπότην ἰδόντα. De v. θεωρεῖν satis constat, quid veteres grammatici praeceperint. Sed quamquam verum est, θεωρὸν et θεωρίαν plerumque de pompis sacris dici, tamen multis exemplis demonstrari potest, v. θεωρεῖν ab elegantissimis scriptoribus atticis de quolibet spectaculo, usurpatum fuisse, ut iam VV. DD. ad Xenophontem et ad Ammonium docuerunt. Sic etiam in N. T. aliquoties dicitur, ita tamen, ut uno tantum loco (Act. IX, 7. μηδένα θεωροῦντες) simpliciter pro ὁρᾶν dictum videatur. In reliquis omnibus inest notio contemplandi cum attentione aut admiratione, et in illo quoque loco Act. VII, 56. θεωρῶ τοὺς οὐρανοὺς ἀνεῳγμένους, licet laetitiae aut voluptatis notio, quam nonnulli interpretes h. l. quaerunt, aliena esse videatur. Neque obstat locus Ioh. VIII, 51. θάνατον οὐ μὴ θεωρήσῃ εἰς τὸν αἰῶνα, quem comparare solent cum formula, de qua supra dictum est, ζωὴν οὐκ

ὄψεται. Nam in illo loco θεωρεῖν non simpliciter denotat experiri, consequi, sed dicitur θεωρεῖν εἰς τὸν αἰῶνα. Neque poterat dici ὄψεσθαι θ. εἰς τὸν αἰῶνα, quum ὄψεσθαι vel unius momenti sit; quid enim esset hoc in omne aevum experiri? Sed quum θεωρεῖν non unius temporis sit (nam quae θεωροῦμεν, ea diutius contemplamur), recte hoc verbum coniunctum est cum verbis εἰς τὸν αἰῶνα. Non recte enim verba illa verti videntur: nunquam morietur. Moriuntur enim etiam hi, qui doctrinae coelesti obsequuntur, sed illa mors non est εἰς τὸν αἰῶνα. Sed nunc quidem in his subsistendum est.

Restat, ut Vos omnes, *Cives carissimi*, ad sacra pentecostalia, quae proxime instant, pie celebranda, more maiorum observanter invitem. Agite igitur, hosque dies festos, ecclesiae, spiritualibus bonis et virtutibus exstructae memoria laetissimos, ita celebrate, ut in summo iustissimoque luctu publico gaudiorum aeternorum, ad quae FRIDERICI AUGUSTI purissima anima evolavit, sensum verissimum percipiatis.

P. P. Dom. Exaudi a. Dom. CIƆIƆCCCXXVII.
in Univ. Lips.

CAP. IX.

Quemadmodum multae affectiones et conditiones animi ita cognatae sunt, ut parum inter se differre videantur, praesertim quod modus, quo se exserunt produntque, nonnunquam simillimus est, ita etiam verba, quibus eiusmodi mentis animique conditio exprimitur, non solum promiscue usurpantur ab his, qui non accuratius scribere aut loqui consueverunt, sed etiam a Lexicographis plerumque sine omni discrimine, quasi idem plane significent, iisdem verbis latinis explicantur; unde fit, ut talia verba a tironibus pro verbis idem significantibus habeantur. Sed quum sint synonyma, eorum diligens observatio negligi non debet; est enim ad veram scriptorum N. T. sententiam recte intelligendam valde utilis et necessaria: quamquam negari non potest, in sermone vulgari, quo illi scriptores usi sunt, eiusmodi verborum discrimen non semper observari, potissimum in iis, quae eiusdem affectionis diversos gradus significant. Nam quo quis ipse solet commoveri vehementius, eo fortioribus etiam verbis utitur, ut aliorum animi motum aut habitum indicet, quae valde erraret, qui stricto sensu interpretaretur. Sed tanto magis propriam cuiusque verbi vim tenere oportet, ut, quae cuique loco significatio conveniat, tanto certius possit diiudicari. Saepe etiam, quum scriptor verbum quoddam significatione sua propria usurpavit, veram eius sententiam non assequimur, quia similes tantum earundem rerum notiones animo nostro obversantur. Denique in iis verbis, quae vitium quoddam denotant, maximopere cavendum est, ne ea,

quae mentis labem significant, cum iis commisceamus, quibus animi voluntatisque vitium notatur. Quare, hac scribendi opportunitate oblata, huius generis synonymorum nonnulla exempla proferamus, et initium quidem a duobus verbis faciamus, quae inter omnia, quibus animi affectio exprimitur, latissime patent.

Frequentissime occurrunt in N. T.

θέλω. βούλομαι.

De his verbis etsi ad Homerum subtiliter disputavit Buttmannus (Lexilogus I. p. 26.) liceat tamen mihi quoque nonnulla addere, quae ad N. T. pertineant. Conveniunt haec verba in eo, quod *velle* denotant, neque, si Lexica Theologorum consulas, differre videntur. Sed quantum decretum mentis, quo constat, quod velimus (meram *volitionem* Scholastici dixerunt), ab ea propensione differt, qua fit, ut animum ad eam rem, quam volumus, adiiciamus, tantum etiam θέλειν et βούλεσθαι differunt. Nam θέλειν nihil aliud est, quam simpliciter velle, neque in se habet notionem voluntatis propensae ad aliquam rem; sed βούλεσθαι denotat ipsam animi propensionem. Hinc fit, ut latissime quidem pateat v. βούλεσθαι, quum sint diversissimi modi, quibus animus ad id, quod mens decrevit, intendatur, sed semper fere, certe apud scriptores elegantiores, illud discrimen observatur. An quis putet temere, et variandi tantum, quod dicunt, studio, Platonem scripsisse in Gorgia init. εἰ μὲν δοκεῖ, νῦν· ἐὰν δὲ βούλῃ, ἐςαῦθις. — οὐκοῦν ὅταν βούλεσθε παρ' ἐμὲ ἥκειν οἰκάδε — παρ' ἐμοὶ Γοργίας καταλύει καὶ ἐπιδείξεται ἡμῖν. — Εὖ λέγεις. ἀλλ' ἆρα ἐθελήσειεν ἂν ἡμῖν διαλεχθῆναι; βούλομαι γὰρ πυθέσθαι παρ' αὐτοῦ κ. κ. Imo de Gorgia recte dixit ἐθελήσειεν, dubitabat enim Socrates de mera voluntate Sophistae (*wird er auch wollen?*) sed ἐὰν δὲ βούλῃ est, si lubet, ὅταν βούλεσθε, si placuerit, βούλομαι πυθέσθαι παρ' αὐτοῦ, velim ex eo rescire (*ich wünsche von ihm zu hören*). Xenophon Cyropaed. I, 4. 10. ταῦτα λαβὼν

διαδίδου ὅτῳ σὺ βούλει, καὶ τῶν ἄλλων ὁπόσα ἔθελεις. Et IV, 5. 12. (31.) σοὶ ὑπάρχειν, οὐχ ὅπως ἂν ἐθέλωσιν, ἀλλ' ὅπως ἂν σὺ βούλῃ, χρῆσθαι αὐτοῖς. Et VII, 2. 4. (9.) ἀτὰρ, ὦ Κροῖσε, ἆρ' ἄν τι μοι ἐθελήσαις συμβουλεῦσαι; Καὶ βουλοίμην γ' ἂν, ἔφη, ἀγαθόν τι σοι εὑρεῖν. Est enim blandi quid aut verecundiae vel comitatis in Croesi responsione, sed in Cyri interrogatione nil nisi hoc: velisne. Quare fit, ut is, qui ad eiusmodi interrogationem respondet, se velle, plerumque, ut in locis allatis, non θέλειν se dicat, sed βούλεσθαι. Sed addam duos Euripidis locos, ex quibus differentia, quam dixi, manifesta est. Primus est in Iph. Aul. v. 338. ubi Menelaus Agamemnoni mutatos mores exprobrat, longe nunc quidem diversos ab illis, quos simulaverat, antequam imperio potitus esset: τῷ δοκεῖν μὲν οὐχὶ χρῄζων, τῷ δὲ βούλεσθαι θέλων. Alter est in Hippolyto v. 1329. 1330. οὐδεὶς ἀπαντᾶν βούλεται προθυμίᾳ τῇ τοῦ θέλοντος, ἀλλ' ἀφιστάμεσθ' ἀεί. Arrian. Diss. Epict. I, 12. 13. βούλομαι γράφειν τὸ Δέωνος ὄνομα ὡς θέλω. Sic Matth. I, 19. δίκαιος ὢν καὶ μὴ θέλων αὐτὴν παραδειγματίσαι, ἐβουλήθη λάθρα ἀπολῦσαι αὐτήν. Sed in ipsorum verborum usu exstant, nisi fallor, alia propriae utriusque verbi significationis vestigia. Primum enim satis constat, βούλεσθαι ἢ saepissime dici pro malle, ita ut μᾶλλον subintelligi debeat. Sed, quantum sciam, θέλειν ita dictum non reperitur. Nam loci, quos afferre solent, mihi quidem alieni esse videntur. Primus exstat, ut illis quidem videtur, in ipsis libris N. T. 1 Cor. XIV, 19. ἀλλ' ἐν ἐκκλησίᾳ θέλω πέντε λόγους διὰ τοῦ νοός μου λαλῆσαι, ἵνα καὶ ἄλλους κατηχήσω, ἢ μυρίους λόγους ἐν γλώσσῃ. Verum, si quid video, ἢ non referendum est ad θέλω, sed ad πέντε. *Volo in concione quinque potius perspicuis uti verbis, quam sexcentis, quae a populo non intelligantur.* Alter est apud Xenophontem, de mag. Equ. 9. 5. οἷς καθήκει τὸ ἱππικὸν, ἐθέλουσι τελεῖν ἀργύριον ὡς μὴ ἱππεύειν. Vertere solent: malunt, int. μᾶλλον. Sed non ἢ, sed ὡς μὴ sequitur, ut sensus sit: volunt solvere pecuniam,

ne equo mereant. Et potest etiam de illis locis dubitari, ubi μᾶλλον additum est. ibid. 2, 8. et 9. fin. Nam in utroque loco verti μᾶλλον potest lubentius, promtius pugnare, consilium dare, ut Cyrop. IV, 3. 1. μᾶλλον μάχοιντ' ἄν, εἰ τὰ φίλτατα παρείη, conf. Memorab. IV, 4. 17. Huius usus causa in ipsa utriusque verbi propria significatione quaerenda videtur. Nam quum θέλειν simpliciter velle denotet, ἤ, si additur, aut intelligitur, significat, velle aliquem hoc aut aliud, v. c. θέλεις μάχεσθαι ἢ φυγεῖν. Si μᾶλλον additur, non ad θέλειν referendum est, sed ad rem ipsam, quam quis vult, ut in locis, qui allati sunt. De duobus locis Homericis Iliad. Θ. 319. Od. α. 234. vid. Buttmannum l. c. p. 30. Iustin. Mart. Apol. II. θέλει γὰρ ὁ πατὴρ ὁ οὐράνιος τὴν μετάνοιαν τοῦ ἁμαρτωλοῦ, ἢ τὴν κόλασιν αὐτοῦ, ubi Sylburg. suppl. μᾶλλον, affertque vulgatum illud: θέλω τύχης σταλαγμὸν ἢ πίθον φρενῶν. vid. Eustath. ad Il. p. 1368. 42. — ed. Rom. Addam locum ex Epigr. Agathiae XXV. Anal. III. 43. — ἐπεὶ σέο μῦθον ἀκούειν Ἤθελον, ἢ κιθάρης κρούματα Δηλιάδος. Sed haec labantis Graecitatis sunt, ut plurima alia. Secundum propriae significationis documentum in diverso utriusque verbi usu reperiri videtur, ubi neutrum proprie velle denotat. Sunt enim multi quidem loci, in quibus ἐθέλειν idem quod δύνασθαι aut μέλλειν, aut simile quid significare videatur. Atticorum hoc esse dicit Gregorius Corinth. Neque de rebus animatis, sed tantum de inanimis hoc sensu usurpatur. Nam verissima est Buttmanni (Addend. ad Platon. Charm. p. 60. ed. Heind.) observatio, θέλειν pro μέλλειν aut δύνασθαι tantummodo de rebus inanimis neque nisi negatione addita dici. Loci enim, qui afferuntur, non probant, seriores scriptores ita dixisse. Certe non afferre debebat Reiskius (ad Constantin. Cerem. p. 96.) locum ex epigrammate Macedonii XXXVII. (Anal. Br. III. p. 121. Iac. IV. p. 91.) Ἔπταρον ἄγχι τάφοιο καὶ ἤθελον αὐτὸς ἀκοῦσαι, Οἷά περ ᾠϊσάμην, μοῖραν ἐμῆς ἀλόχου. Non sperabat ille enim, se mox auditurum esse mortem

uxoris, sed putabat, quum sternutasset, seipsum audivisse μοῖραν ἀλθοῦσαν, praesagium mortis (plane ut nos dicimus: er wollte das selbst gehört, gesehn haben). Itaque neque ille τῷ αὐτός sollicita[illegible]tur. Quare doctissimus Schaeferus dixit, apud G[illegible]ium (p. 135.) legendum esse οὐ δύνασθαι. Plato in Phaedr. p. 230. D. τὰ μὲν οὖν χωρία καὶ τὰ δένδρα οὐδέν μ' ἐθέλει διδάσκειν. Et apud Xenophontem Hist. Gr. V, 4, 61. τὰ πλοῖα ἐκεῖθεν οὐκέτι ἤθελε παραπλεῖν. Memor. III, 12. extr. οὐ γὰρ ἐθέλει αὐτόματα εἶναι. Sic etiam in N. T. οὐ θέλειν pro οὐ δύνασθαι dictum putant Ioh. VII, 1. et Matth. II, 18. Sed in neutro loco causa adest, cur a propria significatione recedamus. Nam in priori est: *noluit in Judaea versari*, ὅτι ἐζήτουν αὐτὸν ἀποκτεῖναι, in posteriori: *noluit consolationem admittere* (nos: *sie wollte sich nicht trösten lassen*), ut Genes. XXXVII, 35. οὐκ ἤθελε παρακαλεῖσθαι, λέγων: ubi in hebr. est: וימאן להתנחם i. e. recusavit consolationem. Θέλει sine negatione est potius solet, convenit, nonnunquam oportet. Herodot. VII, 50. 1. 2. μεγάλα πρήγματα μεγάλοισι κινδύνοισι ἐθέλει καταιρέεσθαι (ut nos: *wollen unternommen sein*); Callim. H. in Del. v. 4. Δῆλος δ' ἐθέλει τὰ πρῶτα φέρεσθαι Ἐκ Μουσέων. conf. Aristoph. Av. v. 532. et Raphel. ad Actor. II, 12. Observatum est quoque a pluribus, v. c. Valckenario Tom. II. Opusculorum p. 307. apud Marcum VI, 5. οὐκ ἠδύνατο dictum esse pro οὐκ ἤθελε, vel οὐκ ἐβούλετο. Dixerat jam H. Steph. App. de Dial. Att. p. 50. Atticorum esse, ut δύνασθαι pro βούλεσθαι dicatur. Sed quamquam sunt loci, ubi οὐ δύνασθαι quisquam dicitur, quia causa est, cur nolit id facere (quemadmodum etiam apud nos is, qui non vult, dicit se non posse) vereor tamen, ut ullo loco οὐ δύνασθαι idem sit quod οὐ θέλειν. Nam illud οὐ βούλεσθαι plane deprecandum est. Certe apud Marcum nulla causa est, cur a propria vi verbi recedamus. Verba sunt: καὶ οὐκ ἠδύνατο ἐκεῖ οὐδεμίαν δύναμιν ποιῆσαι. Scilicet quia fas est credere, dominum miracula ibi edere, si voluisset, potuisse, dicunt, οὐκ ἠδύ-

dictum esse pro οὐκ ἤθελε. Enimvero quod honeste et recte fieri non potest, id iure dicimus facere non posse virum honestum, etiamsi possit, si velit, facere. Itaque Dominus, licet [illegible] miracula patrandi nunquam non adesset, tamen apud istos homines ea uti non poterat. Non temere enim, neque apud pessimos quosque patrabat miracula, neque ut stuporem vel admirationem nihil profuturam excitaret. Itaque non poterat ibi miraculum edere, non poterat enim ita, ut sapiens ipsius moderatio postulabat: nam διὰ τὴν ἀπιστίαν αὐτῶν temere et sine omni effectu illud facturus fuisset. Noluit sane, sed quia non potuit, ut decebat. Eadem ratio est loci apud Xenophontem Exped. Cyr. VII, 2. 18. (33.) οὐκ ἠδυνάμην ἐξῆν εἰς ἀλλοτρίαν πράσσειν ἀποβλέπων, pudebat enim adolescentem. Ex eodem Xenophontis libro II, 2, 6. (13.) afferre solent haec: ἦν δὲ αὕτη ἡ στρατηγία οὐδὲν ἄλλο δυναμένη, ἢ ἀποδρᾶναι ἢ ἀποφυγεῖν. Hic dicunt δυναμένη esse pro θέλουσα, i. e. nihil aliud spectabat. Sed nihil obstat, quin propriam significationem retineamus. Nimirum quorsum spectaret ἡ στρατηγία, id iam dictum erat, scilicet ut clam evaderent et effugerent. Nunc narrat, factum esse, ut melius res eveniret. Dicit igitur: illa quidem στρατηγία, nihil aliud efficere poterat; sed fortuna κάλλιον ἐστρατήγησε. Denique ex Xenoph. Cyrop. VI, 4. 4. afferunt quoque: οὐ πρόσθεν ἐδύναντο θεάσασθαι αὐτόν, scil. quod omnes Pantheae pulchritudine caperentur. Sed haec ipsa impediebat, quo minus in maritum illius oculos converterent, ergo non poterant. Verum redeamus ad rem nostram. Itaque οὐ θέλειν quidem est nonnunquam idem quod οὐ δύνασθαι, sed βούλεσθαι nunquam pro δύνασθαι dicitur, imo βούλεσθαι et δύνασθαι saepissime sibi opponuntur. Plat. Hipp. mai. p. 1259. A. οὐχ οἷα βούλεταί τις, ἀλλ' οἷα δύναται. Lucian. II. Abd. 179. οὐ βούλομαι δυνάμενος, et μὴ βούλεσθαι, μὴ δύνασθαι, ibid. p. 182. Aristot. Polit. V, 5. 9. ὥστε καὶ βούλονται μᾶλλον καὶ δύνανται νεωτερίζειν, ibid. c. 8. Vid. Valckenar. ad Phalar. ep.

XCVI. p. 272. In N. T. perperam vertunt, *posse*, *valere*, Act. XVII, 15. κριτὴς γὰρ ἐγὼ τούτων οὐ βούλομαι εἶναι· ut Plat. Phileb. p. 38. C. βούλεσθαι κρίνειν. est enim potius *nolo*, eo sensu, quo nos dicimus: *ich mag nicht*; talia ζητήματα ad me non pertinent; si quaestio esset de facinore quodam (v. 14.), κατὰ λόγον ἂν ἠνεσχόμην ὑμῶν, i. e. aures vobis praeberem. Inest enim verbo βούλεσθαι potius notio animi cupientis, optantis et ad rem aliquam propensi. Optamus quidem saepe et desideramus res, quae fieri non possunt; sed velle τὰ ἀδύνατα non nisi stultissimi solent. Saepissime igitur βούλεσθαι nihil aliud est quam optare, ut in proverbio: ἄνθρωπος, ὃ βούλεται, τοῦτο καὶ οἴεται. Charit. III, 9. VI, 5. Platon. Ion. p. 532. D. βουλοίμην ἄν σε ἀληθῆ λέγειν. et in Euthyd. p. 278. E. βουλόμενοι εὖ πράττειν. Itaque nunquam βούλεσθαι de brutis dicitur, ut iam Ammonius observavit. Nam quum bruta animalia ratione carentia deliberare non possint, utrum res aliqua appetenda an fugienda sit, in quo τὸ βούλεσθαι cernitur (unde βουλῆ), sed coeco naturae aut consuetudinis impetu ferantur, dici βούλεσθαι non possunt. Utrumque tamen de rebus inanimis dicitur, praesertim in interrogatione, τί θέλει, τί βούλεται τοῦτο. Prius occurrit etiam in N. T. Act. II, 12. τί ἂν θέλοι τοῦτο εἶναι; Valckenar. ad Herodot. IV, 131. dicit, magis usitata esse τί τοῦτο βούλεται; et βούλεται λέγειν vel εἶναι. Sed modus tamen differre videtur, quo utrumque dicitur. Scilicet quum dicitur, τί θέλει τοῦτο εἶναι vel λέγειν, quaeritur, quid id ipsum esse vel dicere debeat aut possit, ut in illo Herodoti loco et in reliquis, quos Valckenarius laudavit: (*was soll das seyn* s. *werden*), fere ut τί μέλλει τοῦτο εἶναι; Sic in Euripid. Hippol. v. 865. ἴδω τί λέξαι δέλτος ἥδε μοι θέλει. Sed τί βούλεται τοῦτο etsi, ut illud, verti potest, quid hoc sibi vult, tamen hunc sensum habere videtur, ut potissimum de ipsius rei, quae βούλεσθαι dicitur, fine et quasi consilio quaeratur. Itaque si dicatur: τί βούλεται τοῦτο εἶναι; sensus fuerit: quorsum hoc; was soll das

vorstellen s. *bedeuten*. Ita enim saepe βούλεσθαι εἶναι dicitur de his, qui videri volunt, quod revera non sunt, ut apud Lucian. II. Alex. p. 214. de effoeta muliere ἐράσμιον ἔτι εἶναι βουλομένην, neque poterat scribere ἐθέλουσαν. Hinc etiam apparere videtur, cur dicatur, τί σοι βούλεται τοῦτο; nunquam, si recte memini, τί σοι θέλει τοῦτο. Inest enim huic interrogationi quaestio de rei fine et utilitate, ut apud Lucian. III. p. 427. τί βούλοιντο αὐτῷ τηλικαῦται κύλικες, τῶν κεραμέων ἴσα δυναμένων. et I. Dial. mort. p. 446. οὐχ ὁρῶ, τί σοι βούλεται τὸ ἐρώτημα, i. e. quorsum hoc interroges, si quo spectet haec interrogatio. Conf. ibid. Hermot. p. 754. — Quod dixi, βούλεσθαι propensionem et studium voluntatis denotare, id etiam illo loco Iacob. I, 18. confirmari videtur. Legitur: βουληθεὶς ἀπεκύησεν ἡμᾶς λόγῳ ἀληθείας. Affinis est locus apud Platonem Legg. IV. p. 712. Οἷον δή τι λέγειν βουληθεὶς φράζ' ἔτι σαφέστερον. Mirifice quidam βουληθείς dictum putat elliptice, pro βουληθεὶς ἐν ἡμῖν. Recte Wahlius comparat cum εὐδοκήσας, genuit nos pro benigna sua voluntate. Hinc etiam βούλεσθαι τά τινος dicitur, rebus alicuius favere. Thucyd. VI. 50. Scilicet decepisse illum virum videntur loci nonnulli graeci V. T., ubi θέλειν ἐν τινι dicitur, ubi in hebr. est חפץ. Sed nusquam reperitur βούλεσθαι ἐν τινι, est enim prorsus ineptum. Et in unico loco, 1. Sam. XVIII, 25. ubi hebraica אין חפץ למלך במהר satis inepte Alexandrinus vertit: οὐ βούλεται ὁ βασιλεὺς ἐν δόματι, desiderium, non benigna voluntas, exprimitur. Neque huc referenda videntur verba Apostoli Coloss. II, 18. μηδεὶς ὑμᾶς καταβραβευέτω θέλων ἐν ταπεινοφροσύνῃ καὶ θρησκείᾳ τῶν ἀγγέλων. Plerique interpretes coniungunt θέλων cum sequenti ἐν, vertuntque, affectans humilitatem in eaque sibi placens. Sed primum inaudita est haec barbara formula in N. T., deinde non opus est, ut soloecismorum numerus augeatur, si alia via pateat, denique quum praecesserit v. 16. μὴ οὖν τις ὑμᾶς κρινέτω ἐν βρώσει, convenit μηδεὶς ὑμᾶς

καταβραβευέτω ἐν ταπεινοφροσύνῃ. Nemo, inquit, vos aestumet ex rebus illis externis, aut decipiat et fraudet per illam ταπεινοφροσύνην et θρησκείαν. Itaque θέλων est, ut mihi quidem videtur, consulto, de industria vel ultro, ut apud Herodotum IX. c. 14. πυθόμενος δὲ ταῦτα ἐβουλεύετο θέλων, εἴκως τούτους πρῶτον ἕλοι. Est enim in v. θέλειν notio voluntatis propriae, neque adiuncta est notio deliberati et propensi animi. Qui θέλων aliquid facit, is sponte facit, sed qui βουλόμενος facit, is decrevit animum ad eam rem adiicere. θέλων ποιῶ. sponte, (deinde libenter) facio, πάσχω, mea culpa, ut 2. Petr. III, 5. λανθάνει αὐτοὺς τοῦτο θέλοντας. Sed ab eiusmodi loquutionibus differt, si θέλω ponitur cum infinitivo. ut θέλω ποιεῖν. Vertunt, ut φιλεῖν, solere, v. c. Ioh. VIII, 44. Hinc omnibus vocabulis cum θέλειν compositis inest notio τοῦ ἑκουσίου, sed quae sunt cum βούλομαι composita in iis est potius notio optionis et propensionis. Itaque apud Platonem de Legg. Lib. V. τὸ βουλητόν τε καὶ ἑκούσιον et τὸ ἀβούλητόν τε καὶ ἀκούσιον opponuntur. Notissima est formula: κᾂν θέλῃς, κᾂν μὴ θέλῃς. Sed nunquam κᾂν μὴ βούλῃ dicitur. Quare dubitare licet, an usquam in N. T. θέλειν denotet cupere, optare, studere, aut aliqua re delectari, ne in illis quidem locis Hebr. X, 5. θυσίαν καὶ προςφορὰν οὐκ ἠθέλησας, Matth. IX, 13. XII, 17. ubi ex hebr. חפץ repetere solent notionem desiderii et oblectationis. Scilicet ad hebraicam dicendi rationem Marcus Antoninus scripsit: (X. 8.) οὐ κολακεύεσθαι οἱ θεοὶ θέλουσιν, ἀλλ᾽ ἐξομοιοῦσθαι αὐτοῖς τὰ λογικὰ πάντα.

θυμός· ὀργή.

Haec vocabula synonyma esse iam Eustathius aliique observarunt. Neque in N. T. promiscue ea dici, ex iis locis intelligitur, in quibus iuxta ponuntur: Eph. IV, 31. Coloss. III, 8. Rom. II, 8. Apocal. XIX, 15. Legitur etiam θυμὸς τῆς ὀργῆς Apoc. XVI, 19. quae vulgo summam iram denotare dicuntur. Sed caveant

sibi tirones ab eiusmodi praeceptis, ne, quum duo nomina, substantiva coniuncta reperiuntur, quorum unum est in genitivo, ut ex altero pendeat, statim, aut meram periphrasin esse, aut eius verbi, quod in genitivo positum est, vim augeri altero temere opinentur. Quamquam enim saepissime nomen substantivum, ex quo genitivus pendet, non solum Graecis, sed in omnibus fere linguis, pro adiectivo ponitur, tamen vera talis dictionis ratio ex ipsorum nominum relatione aestumanda est; plerumque enim rei describendae et amplificandae potius, quam eidem notioni augendae inservit. Multa exempla, sed pleraque aliena, congessit Fischerus ad Welleri Gramm. Tom. III. p. 269. sq. Nunquam autem poterunt demonstrare, duo synonyma si ita iungantur, ut θυμὸς τῆς ὀργῆς, alterius, quod in genitivo ponitur, summum gradum indicari. Nam longe alia est ratio, quum duo nomina diversae notionis coniunguntur, ut alterius modus augeatur, ut ζῆλος πυρός Hebr. X, 27. Itaque θυμὸς τῆς ὀργῆς in illo loco nihil aliud est, quam aestus irae; ut nos dicimus *Hitze des Zornes.* Sed ad illorum vocc. differentiam redeamus. Vulgo, grammaticorum nonnullorum observationibus nimis confidentes, dicunt, ὀργήν et θυμόν ita differre, ut θυμός sit animi exacerbatio, ira nascens et modo existens, ὀργή autem iracundia et ira diuturna et inveterata. Monent, hanc differentiam non esse perpetuam; recte quidem, est enim falsa. Nam θυμός et ὀργή non diuturnitate differunt sed ipsius affectionis natura. Etenim quum θυμός proprie ipsum animum denotet, a spiritu, quem exhalamus, deinde ad omnem animi vehementiorem impetum transfertur, quasi exhalatio vehementior. Ergo θυμός dicitur ἀπὸ τῆς θύσεως καὶ ζέσεως τῆς ψυχῆς. vid. Platon. Cratyl. p. 419. e. Tom. III. 302. Bip. Ὀργή autem ipsam iram cum studio ulsciscendi denotat. Optime Zeno apud Diogen. Laert. VII. 113. ὀργή ἐστιν ἐπιθυμία τιμωρίας τοῦ δοκοῦντος ἠδικηκέναι οὐ προσηκόντως. Etsi igitur

θυμός saepe excedit in iram, i. e. in libidinem puniendi eum, qui videatur laesisse iniuria, tamen in v. θυμός per se non est notio irae aut iracundiae, uti v. ὀργή non habet notionem diuturnitatis. Vid. Nemes. de nat. hum. c. 21. Recte Xenophon περὶ ἱππ. 9. 2. ἔστι θυμὸς ἵππῳ ὅπερ ὀργὴ ἀνθρώπῳ. conf. §. 7. et de Venat. 10. 14. Hinc intelligitur, cur ὀργή saepissime de ipsa vindicta et de poenis in N. T. dicatur, θυμός nunquam. Sed θυμούς 2. Cor. XII, 20. dicunt *iras* esse. Junguntur ibi ἔρεις, ζῆλοι, θυμοί, ἐριθεῖαι, καταλαλιαί. Sed sunt θυμοί potius inimicitiae hominis acerbi, et iracundi (*Feindschaften, Erbitterungen*). Plutarchus de Coriolano (init. p. 59. ed. Tubing. Vol. II.) θυμοῖς δ' αὖ πάλιν χρώμενον ἀκράτοις καὶ φιλονεικίαις ἀτέρπτοις, οὐ ῥάδιον οὐδ' εὐάρμοστον ἀνθρώποις συνεῖναι παρεῖχεν. Et Aristoteles Problem. Sect. XXX. de melancholicis: ἐρωτικοὶ καὶ εὐκίνητοι πρὸς τοὺς θυμοὺς καὶ τὰς ἐπιθυμίας. Vbi quisque videt notionem irarum esse prorsus alienam. Reliqua vocabula synonyma, quae notantur a grammaticis, in N. T. non reperiuntur. Iam paucis dicamus de verbis

ἐπιθυμέω· ὀρέγομαι, (ἐπιθυμία· ὄρεξις.)

Utrumque cupiditatem denotat. Sed ἐπιθυμέω ipsum potius affectum animi denotat, ἐπιθυμία ipsam internam lubidinem et concupiscentiam, ὀρέγομαι rei externae appetitum et desiderium. In ἐπιθυμίᾳ tantum lubido animi cogitatur (*die Begierde selbst*), sed ὄρεξις adiunctam habet notionem rei alicuius, quae appetitur (*Verlangen nach etwas*). Unde fit, ut ἐπιθυμεῖν simpliciter dici possit v. c. Rom. VII, 7. XIII, 9. nunquam autem ὀρέγεσθαι. Et quamquam ὀρέξεις nonnunquam dicuntur appetitus, non addita rei, quae appetitur, notione, ut Herodian. VI, 1. 12. τὰς ὀρέξεις ἀκμαζούσας εἰς αἰσχρὰς ἐπιθυμίας, (conf. I, 6. 6.) tamen ὀρέγεσθαι simpliciter nusquam quantum sciam, reperitur. Eadem ratio est, cur ἐπιθυμεῖν τινός sit, alicuius rei cupidine et desiderio agi, sed genitivus, qui

additur substantivo ἐπιθυμία, sedem τῆς ἐπιθυμίας fontemque denotet, uti ἐπιθυμία σαρκός saepius in N. T. et in vexato quoque loco illo, Ioh. VIII, 44. Sed ὄρεξις τινός denotat rem, quae appetitur. ὄρεξις σαρκός esset desiderium edendi carnem, (*Verlangen nach Fleisch*). Nam unus ille locus Siracid. XXIII, 6. obtendi non potest, non solum quia talis viri dictio omni auctoritate caret, sed etiam quod ὄρεξις κοιλίας commode explicari potest de desiderio implendi ventrem. Satis enim constat, genitivos, si pendeant e substantivis, saepe obiectum, quod dicunt, non subiectum denotare: exempla recentiores grammatici congesserunt, rationem Hermannus demonstravit ad Viger. p. 877. Sed posset κοιλία h. l. eodem sensu sumi, quo in aliis Alexandrinorum locis dicitur, v. c. Iob. III, 11. XXXI, 15. Genes. XXV, 23. cui optime convenit συνουσιασμός. Ceterum obiter moneamus, ἐπιθυμεῖν et ἐπιθυμίαν, non semper de prava lubidine dici, sed etiam honestum et tenerum animi desiderium et rei bonae cupiditatem denotare, ut Luc. XXII, 15. Phil. I, 23. 2. Tim. III, 1. Denique ἐπιθυμεῖν κατά τινος, non est contrarium esse alicui, sed lubidine ferri contra aliquid, ut Gal. V, 17. ἡ σάρξ ἐπιθυμεῖ κατὰ τοῦ πνεύματος, τὸ δὲ πνεῦμα κατὰ τῆς σαρκός i. e. lubido carnis contra spiritum, cupido spiritus contra carnem fertur; ταῦτα ἀντίκειται ἀλλήλοις, haec sibi invicem adversantur, (scil. σάρξ καὶ πνεῦμα,) ita ut, quae velitis, facere non possitis.

ἐκπλήσσεσθαι. ἐκθαμβεῖσθαι· ἐξίστασθαι.

Similia sunt haec verba; denotant enim eam animi affectionem, quae ex re nova, inopinata, magna aut atroci menti oculisve oblata oritur, sed differunt non tantum gradu, sed ipso modo, quo afficitur animus. ἐκπλήσσεσθαι latius patet; dicitur enim de omnibus rebus, quibus animus vehementius afficitur, non tantum timore, tristitia, ira, sed etiam rebus iucundis et magnis, quarum adspectus suaviter commovet nos,

amore, verecundia, voluptate. Itaque saepissime ipsa res additur, qua quis ἐκπλήττεται. Sic apud Xenoph. Sympos. 4. 23. ὑπὸ τοῦ ἔρωτος ἐκπλαγέντα. Euripid. Hel. v. 1413. ἀνδρὸς χάρισιν ἐκπεπληγμένην. Rhes. v. 291. θάμβει ἐκπλαγέντες. Med. v. 8. ἔρωτι θυμὸν ἐκπλαγεῖσα. In libris N. T. saepissime dicitur de audientibus (ἐξεπλάγησαν ἐπὶ τῇ διδαχῇ αὐτοῦ.) et de parentibus Iesu Luc. II, 48. ἰδόντες αὐτὸν ἐξεπλάγησαν, scil. laetitia et admiratione, εὑρόντες αὐτὸν ἐν μέσῳ τῶν διδασκάλων. Sed ἐκθαμβεῖσθαι, quod apud Marcum tantum ter legitur, de iis potissimum dicitur, qui rei magnae aut atrocis adspectu vel cogitatione horrent animis, non solum, quod ea res timorem iniicit, sed etiam quia eius magnitudinem vix capit animus. Sic Marc. IX, 15. εὐθέως ὁ ὄχλος ἰδὼν αὐτὸν ἐξεθαμβήθη, i. e. percellebatur, ut solet fieri, quum is, de quo modo sermo fuerat, inopinato adstat. Admirationem cum timore denotat Marc. XV, 5. 6. Denique XIV, 33. de ipso Domino dicitur ἤρξατο ἐκθαμβεῖσθαι καὶ ἀδημονεῖν. (Matth. XXVI, 37. λυπεῖσθαι καὶ ἀδημ.) Lutherus: *zu zittern und zu zagen*; ad sermonis vulgaris consuetudinem potius apte, quam ad sensum verbi; neque illud conveniebat Domino, quem constat mortem proxime instantem dudum praescivisse et praedixisse. Sed quum tempus mortis adesset, fieri non poterat, quin rei non modo atrocis, sed gravissimae imo omnium maximae praesenti cogitatione animus eius percelleretur vehementius, non quod ipsam mortem aut dolores atque cruciatus anxie reformidaret, ut veteres theologi nonnulli putarunt. Etsi enim naturae humanae, vel fortissimae, hoc dandum esse videtur, ut animus in tanto discrimine commoveatur, tamen ab homine, sui officii sibi conscio, et supremi numinis sapientia freto, qui sciret, se a patre missum esse, ut pro salute generis humani mortem oppeteret, perturbatio et trepidatio ista alienissima habenda est. Quare aut inepte aut maligne agunt, qui ex eiusmodi locis coniiciunt, Domi-

num mortis suae necessitatem serius tantum intellexisse, quum videret, aut eam subeundam aut veritatem prodendam esse; alioqui eum non ita trepidaturum fuisse, nisi ab initio omnia felicius eventura esse sperasset. Sed hac de re alio loco dictum est. Denique ἐξίστασθαι de iis dicitur, qui re aliqua ita perturbantur, ut animi non compotes sint, et quid sentiant faciantque, nesciant. Hoc sensu saepius dicitur in N. T. atque in ipso illo loco Marc. III, 21. ἔλεγον γὰρ, ὅτι ἐξέστη, ubi non est, negabant Iesum sanae mentis esse, sed: putabant, (sic saepe ἔλεγον) eum turba hominum pressum non sui compotem esse (*ausser sich seyn.*) Neque enim erat haec inimicorum opinio, sed comitum, τῶν παρ' αὐτοῦ, ut verba ipsa docent: ἀκούσαντες οἱ παρ' αὐτοῦ — ἦθελον — ἔλεγον γάρ. Erat enim ei in media Galilaeorum, qui confluxerant, turba disputatio magna cum legis peritis, qui Hierosolymis eum sequuti fuerant, v. 22—30. Verebantur igitur amici (v. 31.) eius, ne quid mali ei accideret, ergo exibant foras ut eum reducerent, (κρατῆσαι) et multitudini eriperent. Singulari modo dici videtur 2. Cor. V, 13. εἴτε γὰρ ἐξέστημεν, θεῷ· εἴτε σωφρονοῦμεν, ὑμῖν. Ibi quum cogitari non possit homo, qui sui non compos est, vulgo dicunt, ἐξίστασθαι esse h. l. modum excedere, nimis gloriari. Ferri posset, quia opponitur σωφρονεῖν. Sed vix intelligi potest, quid sit ἐξίστασθαι τῷ θεῷ· nam quomodo poterat dicere, se si nimis glorietur aut nimium sibi tribuat, id se dei causa facere. Neque necesse est, ut quaeratur notio, quae sit opposita τῷ σωφρονεῖν. 1. Cor. XIII, 8. XV, 11. 2. Thes. II, 15. Suspicor igitur, ἐξίστασθαι h. l. esse cedere alicui, (via, loco), honore, se ipsum postponere alicui, quo sensu haud raro apud Graecos scriptores dicitur. Constat quid sit ὁδῶν ἐξίστασθαι. vid. Xenoph. Sympos. 4. 31. Sed manifeste Lucian. Sat. 7. III. p. 390. καὶ ἐξέστην τῷ Διΐ. Sensus igitur hic esse videtur: *Si cedo lubenter,* (ἐν καρδίᾳ) *dei causa id facio,* (nam quum omnia a

deo habeam, nihil mihi arrogo) si modeste me gero (ἐν προσώπῳ) vestrum causa, quibus unice prodesse cupio. (v. 15. 16.) Conf. not. ad Herodian. tom. 8, 8. 13.

φροντίζειν: μεριμνᾶν.

Vulgo non differre creduntur, utrumque vertunt: curare, sollicitum esse; nisi quod ob nonnullos locos N. T. dicant, μεριμνᾶν nonnunquam esse, *nimis* sollicite et anxie curare. Sed quamquam in utroque verbo inest notio *curandi*, differunt tamen. Nam φροντίζειν nihil amplius denotat, quam curare, i. e. studere, ut aliquid fiat vel adsit, meditari et operam dare. Sic semel dicitur in N. T. ad Tit. III, 8. ἵνα φροντίζωσι καλῶν ἔργων προΐστασθαι, i. e. curent, dent operam. Sed μεριμνᾶν est ita curare, ut sollicitus sis, ne res defutura sit in tempore. Quare recte monuit discipulos Dominus Matth. X, 19. μὴ μεριμνήσεται πῶς ἢ τί λαλήσετε· δοθήσεται γὰρ ὑμῖν τί λαλήσετε. Eodem modo Matth. VI, 25. μὴ μεριμνᾶτε τῇ ψυχῇ ὑμῶν, i. e. ne solliciti sitis, quasi res ad vitam sustentandam necessariae vobis defecturae sint, non autem, nimis anxie curate. Et v. 34. μὴ οὖν μεριμνήσετε εἰς τὴν αὔριον, ne de die crastino solliciti sitis, ut, quum nesciatis, quid eventurum sit cras, rebus vestris diffidatis et hodierni diei curam (τὴν κακίαν αὐτῆς) diffidentia vestra augeatis: ἡ γὰρ αὔριον μεριμνήσει τὰ ἑαυτῆς i. e. in crastinum diem prospicietur, ne rebus necessariis deficiatis. Nam cura futuri diei reprehendi non potest, ne sollicita quidem, sed diffidentia, quae quum ex vana superbia nata sit, non solum perturbat animum, sed etiam totam vitam timidis rerum terrenarum curis vindicat. Hae sunt μέριμναι τοῦ αἰῶνος, quae συμπνίγουσι τὸν λόγον. Itaque v. 32. dixit: πάντα ταῦτα τὰ ἔθνη ἐπιζητεῖ, i. e. tamquam res gravissimas et unice quaerendas, vos autem ζητεῖτε πρῶτον τὴν βασιλείαν τοῦ θεοῦ. Apud Themist. or. 26. iunguntur: φροντίσας

καὶ μεριμνήσας, καὶ πολλὰς νύκτας ἀΰπνους κατατελέσας. vid. Wettsten. ad Matth. X, 19. φροντίζειν est nostrum: *für etwas sorgen*, sed μεριμνᾷν, *sich um etwas kümmern.* Recte igitur in isto loco scriptum est: μὴ μεριμνήσετε· est enim hoc diffidentium, τῶν ἀπίστων καὶ μεμψιμοίρων. Sunt autem affectiones animi, quae his verbis significantur, ita cognatae, ut saepe unum verbum cum altero permutari videatur. Vid. Moerid. v. μεριμνᾷν ibique VV. DD. Sed haec hactenus.

Indicenda sunt enim Vobis, CIVES CARISSIMI, more antiquo sacra, quae instant, pentecostalia. Agite igitur et hos dies ita celebrate, ut, spiritu coelesti adiuvante, vestra quoque virtute, vitaeque vestrae sanctitate crescat indies vera ecclesia dei.

P. P. Dom. Exaudi a. Dom. cIↄIↄcccxxviii.
in Univ. Lips.

CAP. X.

Quum ex eo genere synonymorum, de quo nuper, quum sacra pentecostalia indiceremus, disputare instituimus, (Cap. IX.) nonnulla exempla supersint, de his, hac scribendi necessitate oblata, breviter dicemus.

σκληρός. αὐστηρός.

Haec parum aut nihil differre videntur multis: vertunt enim utrumque austerus, durus, asper moribus, inhumanus. Et conveniunt quidem in eo, quod neuter quod aequum est, curat, sed suo iure ita utitur, ut nihil remittat, neque lenitate, neque misericordia commotus. Sed differunt tamen ut nostra *streng* et *hart*. Nam αὐστηρός est, qui, etiamsi ab illo humanitatis sensu minime sit alienus, tamen eum reprimit, quia iustis rationibus ductus iure suo aut officio nihil cedendum esse putat; sed σκληρός est, qui tantum iure suo utitur, quia in eo sensus ille deest. Αὐστηρός vellet quidem remittere aliquid et indulgere, sed non licere sibi putat; σκληρός ne vult quidem ignoscere. Pater αὐστηρός reprehendi non potest, sed σκληρός pessimus est.

At vero Matth. XXV, 24. idem dominus a servo σκληρός appellatur, quem idem servus Luc. XIX, 21. αὐστηρός vocasse dicitur. Hinc colligunt utrumque idem significare. Sed caveamus, ne in eiusmodi locis parallelis, si eadem res diversis verbis narratur, haec verba non differre opinemur, quod est frequens Lexi-

cographorum vitium. Nam quum duo scriptores rem eandem ita narrant, ut diversis verbis utantur, quibus summa narrationis non mutatur, quo iure dicamus, ista verba idem significare? imo de eadem quidem re dicuntur et dici possunt, sed non idem significant. Neque ad sensum hominum, cuiusmodi ille homuncio fuit, multum differt dominus severus a duro et immiti. Homo σκληρός merito reprehenditur, ut apud Aristotel. Eth. IV, 8. αγριοι καὶ σκληροί et apud alios; sed αὐστηρός reprehendi non potest. Plutarch. Quaest. Gr. cap. 40. καλὸς δὲ ὢν καὶ δίκαιος, οὐχ ἧττον ἦν σώφρων καὶ αὐστηρός.

Opposita sunt:

πραΰς· ἤπιος· χρηστός· (πραΰτης· χρηστότης.)

Conveniunt autem in eo, quod animi lenitatem denotant, sed tamen differunt. Nam πραΰς est mansuetus, qui aequo animo omnia fert (*sauftmüthig*); ἤπιος est mitis, potissimum in aliorum vitiis ferendis (*gelinde*, *mild*). χρηστός, qui bene cupit et bene facere studet aequo animo. (*gütig*). Itaque βασιλεὺς πραΰς Matth. XXI, 5. non est rex benignus, sed mansuetus, lenis, ab omni superbiae ferocia alienus, ut apud Pindarum Pyth. III, v. 124. βασιλεὺς πραΰς ἀστοῖς, οὐ φθονέων ἀγαθοῖς. Conf. Matth. XI, 29. ὅτι πρᾶός εἰμὶ καὶ ταπεινὸς τῇ καρδίᾳ. Et 1. Petr. III, 4. πραῦ καὶ ἡσύχιον πνεῦμα est animus mansuetus et placidus. Denique Matth. V, 5. μακάριοι οἱ πραεῖς, alieni ab illa ferocia et superbia, qua factum est, ut Iudaei promissae felicitatis iacturam facerent; sed οἱ πραεῖς ea potientur, κληρονομήσουσι τὴν γῆν. vid. Wetsten. ad h. l. Quis sit ἤπιος, nisi aliunde constaret, hic unus docere locus posset 1. Thess. II, 7. δυνάμενοι ἐν βάρει εἶναι, ὡς χριστοῦ ἀπόστολοι, ἐγενήθημεν ἤπιοι ἐν μέσῳ ὑμῶν, ὡς ἂν τροφὸς θάλπῃ τὰ ἑαυτῆς τέκνα, ut apud Homerum: πατὴρ δ' ὡς ἤπιος ἦεν. πρᾶος ipsam animi lenitatem indicat, ἤπιος qui hanc lenitatem in aliis feren-

dia monstrat, *(gelinde, mild bey der Behandlung andrer.)* 2. Tim. II, 24. *δοῦλον δὲ κυρίου οὐ δεῖ μάχεσθαι* (de quaestionibus ineptis) *ἀλλ' ἤπιον εἶναι πρὸς πάντας* (mitem in aliorum opinionibus ferendis) *διδακτικόν, ἀνεξίκακον, ἐν πρᾳότητι παιδεύοντα τοὺς ἀντιδιατιθεμένους. ἤπιος* est, qui quantum potest, non molestiam aut dolores creat aliis, ut *ἤπια φάρμακα* dicuntur Iliad. δ. v. 212. et *ἤπια ἀκέσματα* apud Aeschyl. Prom. v. 481. Apud Herodot. III, 89. sibi opponuntur *ἤπιος* et *χαλεπός*. In v. *χρηστός* potissimum imperat notio benevolentiae et benignitatis. Ita ipsum deum (Dominus) dixit *χρηστὸν ἐπὶ τοὺς ἀχαρίστους καὶ πονηρούς* Luc. VI, 35. nam *χρηστός* bene cupit neque bonis tantum sed etiam malis. Praecesserant haec: *ἀγαπᾶτε τοὺς ἐχθροὺς ὑμῶν. ἀχάριστοι καὶ πονηροί* sunt, qui acceptorum beneficiorum immemores, pessime agunt, et *ἄχρηστοι* sunt omnibus. conf. Eph. IV, 32. et 1. Cor. XV, 32. ibique Wetsten. Saepe *χρηστοί* et *πονηροί* opponuntur. In egregio illo dicto Domini Matth. XI, 30. *ὁ ζυγός μου χρηστὸς καὶ τὸ φορτίον μου ἐλαφρόν ἐστι*, vulgo putant, *χρηστόν* esse suave, iucundum. Sed, nisi fallor, etiam h. l. *χρηστός* est benignus. Nam *ὁ τοῦ νόμου ζυγός*, praesertim ex traditionibus et commentis pharisaeorum erat *πονηρός*, (*φορτία δυςβάστακτα* Matth. XXIII, 4. Luc. XI, 46.) et tamen *ἄχρηστος*, sed *ὁ ζυγὸς τοῦ χριστοῦ* est *χρηστός*, benignus (*ein wohlthätiges Joch*): nam qui fert hoc iugum, is magis magisque se beatum sentit. Sed caveant tirones, ne *φορτίον ἐλαφρόν* sic intelligant, quasi officia christiana et praecepta sint facillima observatu, quo nihil magis absonum est: nam facilius est, ieiunare vel cibis quibusdam abstinere, quam *ζῆν κατὰ πνεῦμα*, omnem lubidinem imo se ipsum vincere, legibusque divinis, non metu poenarum neque spe futurae mercedis, sed solo recti honestique, ipsiusque sanctissimi numinis integerrimo amore ductum, constanter obtemperare. Et tamen est *ἐλαφρὸν τὸ φορτίον*, i. e. *εὔφορον καὶ εὐβάστακτον*, quod non deprimit

animum, sed auget quotidie et fortiorem reddit, ut indies fiat χρηστότερος καὶ ἐλαφρότερος. Multa sunt enim illiberali homini κοῦφα, praesertim si fuerint ἐπίχρυσα, sed ἀφόρητα ἐλευθέρῳ ἀνδρί, ut est apud Lucian. 1. Merc. cond. 18. p. 669. Sed redeamus. Ad Rom. II, 4. τὸ χρηστὸν τοῦ θεοῦ ipsam benignitatem dei denotare omnes concedunt; sed τὴν χρηστότητα dicunt in N. T. non solum esse benignitatem et beneficentiam, ut Rom. II, 4. XI, 22. 2. Cor. VI, 5. etc. sed etiam ipsum beneficium denotare, quod alicuius benevolentiae debemus: primum Eph. II, 7. πλοῦτον τῆς χάριτος αὐτοῦ ἐν χρηστότητι ἐφ' ἡμᾶς ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ. Sed h. l. χάρις potius, ut saepissime, ipsum beneficium denotat in nos dei benignitate per Iesum Chr. collatum. Item ad Tit. III, 4. ἐπεφάνη ἡ χρηστότης καὶ ἡ φιλανθρωπία τοῦ θεοῦ, ubi quisque videt χρηστότητα non beneficium, sed benignitatem denotare. — Si Lexicographos audimus, ἐπιεικής quoque non differt ab illis vv., de quibus modo dictum est: vertunt enim, mitis, clemens, indulgens, lenis, humanus, et ἐπιείκειαν clementiam, humanitatem. Verum in ἐπιεικής non est notio animi moderati, mitis, mansueti, quae illa tria vocc. synonyma reddit, sed ἐπιεικής est, qui commodum se praebet omnibus, facilis, non obstinatus, (*gefällig, nachgiebig.*) opp. χαλεπός. Sed haec inter omnes nota sunt.

νήπιος· ἄφρων· ἀνόητος· ἀσύνετος·

cum substantivis

ἄνοια· ἀφροσύνη· μωρία.

Haec omnia vocabula in eo quidem conveniunt, quod intellectus quendam defectum, sive is cogitando sive agendo se prodat, denotant, sed valde tamen differunt.

V. νήπιος proprie aetatis est, ideóque per se non vitium denotat, neque de homine tantum dicitur, ut apud Homerum, sed saepe incautum, ingenuum, nihil mali suspicantem, quae simplicitas etiam placere in pueris

solet. Sed quoniam in homine adulto merito reprehenditur, si non supra puerilem aetatem sapit, de iis quoque dicitur, qui puerorum [illegible] cogitant, agunt et sentiunt, quum pro aetate deberent esse perfectiores. Sed in N. T. plerumque sine reprehensionis nota dicitur. Sic Matth. XI. 25. Luc. X, 21. Gal. IV, 3. Rom. II, 20. Hinc νήπιοι ἐν Χριστῷ 1. Cor. III, 1. Eodem modo νηπιάζειν dicitur 1. Cor. XIV, 20. μὴ παιδία γένεσθε ταῖς φρεσὶν, ἀλλὰ τῇ κακίᾳ νηπιάζετε. ut apud Xenophontem Ages. 1. 17. παῖδα τῇ ἀπάτῃ. Ephes. IV, 14. νήπιοι sunt, qui infantum more, imprudentes, facillime decipiuntur; opp. v. 13. ἀνὴρ τέλειος. conf. Hebr. V, 13.

ἄφρων autem est, qui mente non recte utitur. Neque enim hoc voc. in malam partem semper dicitur. Nam quod Lexicographi dicunt, denotare stultum, amentem, paganum, impium, scelestum, imo etiam ostentatorem, ad ceteras eorum nugas reiiciendum est. Respondet vernaculo *unverständig*, quod non solum de pueris, sed etiam de his, qui sine sua culpa recta rerum scientia destituuntur, sine omni reprehensione nonnunquam dicitur. In N. T. fere semper sine opprobrio dictum videtur. Nam Rom. II, 20. παιδευτὴς ἀφρόνων et διδάσκαλος νηπίων coniunguntur; et 2. Cor. XI, 19. ἡδέως γὰρ ἀνέχεσθε τῶν ἀφρόνων, φρόνιμοι ὄντες· ἄφρονες neque impii sunt, neque vani et insolentes iactatores, nam neutrum genus hominum suaviter ferat ὁ φρόνιμος, sed sunt homines vani, qui rebus levibus et vanis delectantur et gloriantur, ideoque ἄφρονες dicuntur, quia vanas esse eas res aut mox perituras non intelligunt. (Luc. XII, 20. 21.) Tales homines οἱ φρόνιμοι non tantum ferunt, sed etiam ἡδέως, i. e. sine indignatione. Hoc sensu se ipsum ἄφρονα dixit v. 16. quod in eo erat, ut illorum hominum more gloriaretur ἐν ἀφροσύνῃ, i. e. ὡς ἄφρων. Nam quum φρόνιμοι sint, qui rem quamque recte aestumant, eiusmodi homines, qui vana rerum specie decepti sese

iactant, saepe ἄφρονες dicuntur. Sic apud Xenophontem Apol. init. ἀφρονεστέρα ἡ μεγαληγορία. et Sympos. 4. 55. ἄφρονες dicuntur, qui hominis Siculi praestigiis delectabantur. 1. Petr. II, 15. iungitur cum ἀγνωσίᾳ, i. e. hominum, qui externa tantum specie capiuntur, inscitia. Vulgo calumnias intelligunt, fortasse quod legitur φιμοῦν τὴν τῶν ἀφρόνων ἀγνωσίαν. Sed φιμοῦν simpliciter est h. l. coercere.

Ab utroque differt ἀνόητος, i. e. *stultus*, *stolidus*, aut quod plane recta ratione destituitur, (*unvernünftig*) aut quod eam non ita habet excultam, ut, licet regulam quandam in agendo sequi sibi videatur, tamen perversis cogitandi agendique legibus utatur. Itaque Paulus Galatas (ep. III, 1. 3.) ἀνοήτους dixit, quod, quum satis sibi sapere viderentur, falsis decepti doctoribus ad veterem superstitionem rediissent. Recte τοῖς σοφοῖς opponuntur Rom. I, 14. et Tit. III, 3. ἦμεν γάρ ποτε καὶ ἡμεῖς ἀνόητοι i. e. perversam vivendi rationem sequebamur, (ut e sequentibus intelligitur) non autem idonea religionis cognitione destituti. Quum Iesus Luc. XXIV, 25. discipulos appellat ἀνοήτους καὶ βραδεῖς τῇ καρδίᾳ, quisque intelligit, optimum magistrum eos non dicere potuisse, insipientes et tardos ingenio; sed ἀνοήτους vocat, quod e scripturis falsam de Messiae fatis spem conceperant, ideoque animum nunc despondebant. Scite Lutherus vertit: *Thoren*. Neque, ut obiter hoc moneamus, βραδεῖς τῇ καρδίᾳ sunt tardi ingenio aut stupidi, neque βραδὺς τῇ καρδίᾳ per se est incredulus, sed tota formula, βραδεῖς τῇ κ. τοῦ πιστεύειν, incredulum denotat s. hominem, qui difficilius credit. Nam βραδύς quum ad animum hominis transfertur, quae tarditas intelligenda sit, e totius sententiae nexu cognoscendum est. Est enim alius βραδὺς εἰς τὸ λαλῆσαι, βραδὺς εἰς ὀργήν, (Iacob. I, 19.) alius εἰς τὸ συνιέναι, εἰς τὸ πιστεύειν. Per se nunquam tardum ingenio aut stupiditatem denotat. Recte Theophrastus ch. 14. (27.) ἀναισθησίαν dixit βραδυτῆτα ψυχῆς ἐν λόγοις καὶ πράξε-

σιν, quem locum afferunt ut βραδύς stupidus esse videatur. Ipse Polybius, quem (IV, 8. 7.) ἀχρήστους καὶ βραδεῖς dixisse affirmant Thessalos inutiles et stupidos, paulo ante dicit, eundem saepe hominem καὶ συνετώτατον εἶναι καὶ βραδύτατον. Imo in utroque loco tarditatem in agendo denotat. Sed discant tirones diffidere exemplis, quae ex aliis scriptoribus afferuntur: nos ad rem redeamus. Itaque quod 1. Tim. VI, 9. ἐπιθυμίας ἀνοήτους dixit apostolus, id non denotat cupiditates, quae insanum reddunt hominem, ut quidam interpretantur, sed quae ipsae dementes sunt et carent ratione, ut προθυμία ἄφρων apud Euripidem Herc. Fur. v. 310. conf. Schol. ad Aristoph. Nub. v. 426. ἄνοια plerumque dementiam denotat, ut Luc. VI, 11. et 2. Tim. III, 9. (non autem impietatem) sed cum propria significatione v. ἀνόητος convenire potius videtur ἀνοησία, cuius v. exempla dederunt VV. DD. ad Moerin v. ἠλίθιον.

ἀσύνετος denique ipsam mentis hebetudinem et ineptitudinem ad verum rectumque intelligendum significat. Dicitur enim quidem ἀξύνετος s. ἀσύνετος Graecis duplici sensu, et de eo, qui hebes est et stupidus, caretque acumine ingenii, et de iis, quae sunt difficillima intellectu, ut tantum ab hominibus acuta mente praeditis, τοῖς συνετοῖς, intelligantur. Posteriori sensu non dicitur in libris sacris: vid. Valckenar. ad Euripid. Phoen. v. 1510. sed sensu priori et in N. T. et ab aliis scriptoribus dicitur, etsi mirari aliquis potest, Graecos eodem vocabulo duplici sensu, et activo et passivo, usos esse. Iidem tamen etiam συνετός dicunt et de eo, qui acute res perspicit, et de re facili intellectu. Sunt, qui Rom. I, 31. et X, 30. ἀσύνετον improbum, vera religione carentem denotare dicant, sed nullo iure, nisi quod Suidas habeat ἀσυνέτους· τοὺς ἀσυνειδήτους. Sed in media singulorum vitiorum enumeratione I, 31. ferri non potest improbitatis commemoratio et X, 30. ἔθνος ἀσύνετον est gens, quam

Iudaei tamquam longe inferiorem (*οὐκ ἔθνος*) et stupidam contemnebant.

νήπιος est, qui nondum sapit, *ἄφρων*, qui mente et ratione non utitur, *ἀνόητος*, qui quamvis sapere sibi videatur, tamen perverse sentit agitque, *ἀσύνετος*, qui ob mentis hebetudinem verum rectumque perspicere non potest: *ἀφρόνων* est *ἀφροσύνη*, sed *τῶν ἀνοήτων μωρία*, in *νηπίοις ἁπλότης* est, in *ἀσυνέτοις ἀσυνεσία*. Sed nunc alia exempla brevius expediamus.

εὐσεβής· εὐλαβής· εὐσέβεια· εὐλάβεια.

Synonyma haec sunt, quum de *piétate* dicuntur, ut Luc. II, 25. *ἀνὴρ δίκαιος καὶ εὐλαβής.* Actor. X, 2. *εὐσεβὴς καὶ φοβούμενος τὸν θεόν.* Hebr. XII, 28. *μετὰ αἰδοῦς καὶ εὐλαβείας.* 1. Tim. II, 2. *ἐν πάσῃ εὐσεβείᾳ καὶ σεμνότητι.* Sed sunt tamen loci, in quibus propria eorum significatio diligentius observanda sit. Scilicet *εὐσεβής* et *εὐλαβής* ita differunt, ut *εὐσεβής* proprie reverentiam numinis denotet, quae in actionibus, inprimis in *cultu* dei sese exserit, sed *εὐλαβής* ipsum animum hominis indicet, qui metuit sibi cavetque, ne quid contra ius fasque faciat, ideoque diligenter curat, ut omnibus pietatis et humanitatis officiis satisfaciat. *εὐλαβής* est homo pius, qui sanctitatis divinae cogitatione regitur, semperque veretur, ne quid agat sentiatve, quod voluntati divinae adversetur, *gottesfürchtig*: sed *εὐσεβής* est, qui hanc pietatem agendo demonstrat, *fromm.* Hinc *εὐλάβεια* est pietas, quae ipsum animum regit, *Gottesfurcht*, *εὐσέβεια*, est vis pietatis in ipsa vita, vel externa vel interna, *Frömmigkeit*, *Gottseligkeit.* Recte Lutherus 1. Tim. VI, 6. in verbis: *ἔστι δὲ πορισμὸς μέγας ἡ εὐσέβεια μετὰ αὐταρκείας*, vertit *wer gottselig ist.* Habet enim vera pietas hanc vim, ut vita quamvis bonis externis destituta placeat, nosque vere beatos sentiamus, quippe divini numinis providentia unice acquiescentes. Haec est *εὐσέβεια μετ' αὐταρκείας.* Contra v. 5. miserrime falli dicuntur οἱ

νομίζοντες πορισμὸν εἶναι τὴν εὐσέβειαν; i. e. qui a pietate sua lucrum quodvis exspectant; imo vero lucrum affert pietas μετ' αὐταρκείας. Neque enim εὐσέβεια h. l. ipsam religionem christianam denotat, quippe quae ad pietatem ducat; (v. 13. ἡ κατ' εὐσέβειαν διδασκαλία est institutio ad pietatem), neque τὸ μυστήριον τῆς εὐσεβείας 1. Tim. III. v. 16. est, ut vulgo interpretantur, mysterium religionis i. e. doctrinae christianae, sed μυστήριον τῆς εὐσεβείας est ipsa doctrina s. res ad quam omnis pietas s. religio christiana referenda est, στύλος καὶ ἑδραίωμα τῆς ἀληθείας, nimirum: θεὸς ἐφανερώθη ἐν σαρκὶ κ. λ. Quod dixi, εὐσέβειαν potissimum dici, quae in ipsa vita se exserat, manifestum est ex illo loco Actor. XXII. 12. ἀνὴρ εὐσεβὴς κατὰ τὸν νόμον, uti apud Xenophontem, Hist. Gr. I, 7. 10. κατὰ τὸν νόμον, εὐσεβοῦντες καὶ εὐορκοῦντες, κρινεῖτε· conf. Actor. XVII, 23. 2. Tim. III, 5. Quamobrem Petrus 1. Ep. I, 6. hortatur christianos, ut in continentia patientiam, in patientia εὐσέβειαν, ἐν εὐσεβείᾳ φιλαδελφίαν ostendant.

Sed εὐλαβής, quum proprie timidum, cautum, denotet, de pietate dicitur ita, ut animi potius affectum, quam vitae piae rationem ostendat, uti modo dictum est. Hoc sensu in locis supra allatis dicitur. Sed sunt duo loci, in quibus putant τοὺς εὐλαβεῖς esse *proselytos portae*, qui aliis locis φοβούμενοι et σεβόμενοι τὸν θεόν dicantur. Scilicet Act. II, 5. leguntur haec: ἦσαν δὲ ἐν Ἱερουσαλὴμ κατοικοῦντες Ἰουδαῖοι, ἄνδρες εὐλαβεῖς, ἀπὸ παντὸς ἔθνους τῶν ὑπὸ τὸν οὐρανόν. Sed primum nulla causa est, cur h. l. de proselytis cogitemus, quum nihil de iis hominibus dicatur, quod non de omnibus Iudaeis dici possit: distincte enim tantum propterea οἱ κατοικοῦντες ἐν Ἱερ. ἄνδρες εὐλαβεῖς commemorantur, quod Iudaei, non solum in Palaestina nati, et hebraice loquentes, sed omnes, qui ex diversissimis provinciis se Hierosolyma contulerant, diversisque linguis aut dialectis patriis utebantur, ta-

men ἕκαστος ἐν τῇ ἰδίᾳ διαλέκτῳ αὐτῶν, ἐν ᾗ ἐγεννήθησαν, Apostolos, Galilaeos, loqui audirent. Nam quod dicuntur κατοικοῦντες ἐν Ἱερουσαλήμ, id nescio quo iure de proselytis illis intelligatur, qui גרי תושב dicebantur: hoc enim nomen habebant, non quod *Hierosolymis*, sed quod inter *Israelitas* habitare ipsis licebat. Hi enim *inquilini* non solum Hierosolymis sed per totam Palaestinam et inter Iudaeos per reliquas imp. Rom. provincias dispersos vivebant. Deinde Ἰουδαῖοι appellantur, quod nomen proselytis certe inquilinis non convenit, sed tantum proselytis foederis tribuebatur. Petrus ipse v. 14. eos appellat: ἄνδρες Ἰουδαῖοι καὶ οἱ κατοικοῦντες Ἱερουσαλὴμ ἅπαντες sed v. 22. ἄνδρες Ἰσραηλῖται v. 10. vero Ἰουδαῖοί τε καὶ προσήλυτοι distinguuntur. Denique tota demonstrandi ratio, qua Petrus usus est, non apta futura fuisset apud inquilinos, quos tradunt magistri Iudaeorum tantum praecepta Noachi servasse; usus est enim Petrus testimoniis, quibus tantum ii moveri poterant, qui totam legem essent amplexi. De proselytis *foederis* cogitari non posse, ex eo intelligitur, quod hi neque discerni ab Iudaeis hoc nomine, neque dici potuissent κατοικοῦντες. Hoc enim si quidem respondeat hebr, תושב, convenit tantum inquilinis, quibus tamen non conveniunt reliqua. Itaque mihi quidem videntur illi fuisse homines non in Iudaea quidem nati, sed gentis tamen iudaicae, qui Hierosolymis commorabantur, inter quos etiam proselytos fuisse e versu 10. cognoscitur. Nam v. κατοικεῖν de omnibus civibus Hierosolymitanis, non tantum de inquilinis illis, dici, ex Actor. I, 19. manifestum est. Alter locus exstat Actor. VIII, 2. ubi ἄνδρες εὐλαβεῖς Stephanum composuisse dicuntur. Sed nulla causa est, cur proselytos eos fuisse opinemur. Denique unus est locus Hebr. V, 7. ubi εὐλάβεια proprie de animi sollicitudine dicta videatur. Itaque verba: καὶ εἰσακουσθεὶς ἀπὸ τῆς εὐλαβείας vertunt: et exauditus et liberatus a sollicitudine. Sed

quum hac ratione manifesto interrumpatur series cogitationum, (ardentissimas preces faciens, liberatus, obedientiam praestitit et consummatus) malim pietatem intelligere, cuius ope exauditus est: hoc enim pietatis praemium tulit, quod id, quod precatus erat, consequeretur; non petierat autem, ut a morte liberaretur, sed in ea perferenda constantiam animi et virtutem, quam ei etiam contigisse diserte narrat Lucas XXII, 42. 43. Itaque verba haec omnia *Καίπερ ὢν υἱὸς ἔμαθεν — ὑπακοήν*, in parenthesi sumenda videntur, ut reliqua optime cohaereant: *δεήσεις προσενέγκας, εἰσακουσθεὶς — καὶ τελειωθεὶς ἐγένετο αἴτιος σωτηρίας*. Ceterum de illo usu praepos. *ἀπό* vid. Abresch. Dilucid. Thuc. p. 144. et Morus ad Isocr. Paneg. p. 55.

Vana est quorundam querela, quaedam vocabula in N. T. tam vago et indefinite adhiberi, ut ex variis, quam habent, notionibus quaenam in singulis locis iis tribuenda sit, non semper appareat. Unde fit, ut eidem vocabulo modo notionem generis tribuant, modo singularem quandam significationem inesse putent. Sed falsam esse hanc rationem quisque intelligit. Nam si quod vocabulum rem denotat, cuius plures formae, tamquam eiusdem generis partis communes specie diversae sunt, fieri quidem potest, ut vocabulum generis, quod illi dicunt, de singulari quadam eiusdem generis specie adhibeatur, sed ineptum tamen esset, si quis diceret, illud vocabulum res singulas, quae eiusdem generis sunt, denotare. Rideant omnes licet, si quis in lexico Germanico, inter notiones vocabuli *Holz* singulas rerum species, ligni, tamquam generis, communione similes, enumeret, dicatque *Holz* modo genus, modo res singulas, quae eiusdem materiae sunt, v. c. *Bauholz*, *Brennholz*, *Nutzholz*, et singulas arbornm species denotare: sed quid obstat, quin rideamus, quum in Lexicis N. T. vocabulo cuidam generis singularum rerum, quae ei generi communes

sunt, notiones tribui videamus. Aliud est, idem vocabulum de rebus pluribus dici, quia notio eius communis his rebus singulis convenit, aliud est, hoc vocabulum eas res singulas denotare. Innumerabilia fere sunt exempla, sed in hac disputatione pauca sufficiant.

ἀκαθαρσία· ἀσέλγεια· ἀσωτία·

Haec vocabula dicunt modo latius, modo latissime patere, modo omnem morum vitaeque improbitatem, modo singularem tantum communis improbitatis formam denotare, ita ut dubium nonnunquam sit, quae quoque loco eidem vocabulo notio subiicienda sit. Sed huius ambiguitatis et dubitationis causa non in scriptorum ipsorum negligentia aut incuria, sed in verae cuiusque vocabuli notionis ignorantia quaerenda est. Possunt autem illa vocabula pro synonymis haberi, quia singulis communis est notio impuritatis vitae, lubidinum intemperantia, tamquam sordibus, inquinatae, sed suam tamen quaeque notionem propriam habent, quam si recte teneamus, nunquam de singulis locis dubitabimus, quae cuique significatio tribuenda sit.

V. *ἀκαθαρσία* latissime patere videtur; denotat enim quamlibet vitae animique impuritatem; sed *ἀσέλγεια* et *ἀσωτία*, etsi sunt vera *ἀκαθαρσία*, tamen certam quandam *τῆς ἀκαθαρσίας* formam denotant, ut permutari non debeant, quasi idem sit, sive *ἀσέλγεια*, *ἀσωτία*, *πορνεία*, sive *ἀκαθαρσία*, *ἀνομία*, aut simile quid scriptum fuerit. Neque in N. T. temere permutantur. Nam *ἀκαθαρσία* quidem de quaque animi vitaeque impuritate et foeditate, non tantum de foeda lubidine et voluptatibus venereis dicitur. Sic 1. Thess. II, 3. *παράκλησις* facta dicitur *οὐκ ἐκ πλάνης, οὐδὲ ἐξ ἀκαθαρσίας, οὐδὲ ἐκ δόλου*, i. e. neque errore, neque *impuris consiliis*, neque dolo; et IV, 8. opponitur *τῇ δικαιοσύνῃ*. Et Rom. VI, 19. non est quidem syno-

nymum τῆς ἀνομίας, sed tamen de qualibet vitae impuritate dicitur. Sensus est: uti olim παρεστήσατε τὰ μέλη ὑμῶν δοῦλα τῇ ἀκαθαρσίᾳ καὶ τῇ ἀνομίᾳ impuritati et improbitati, εἰς τὴν ἀνομίαν, ut impiam et flagitiosam vitam ageretis, ita ea nunc consecrate probitati, honestati (τῇ δικαιοσύνῃ) εἰς ἁγιασμόν, ut vitam puram castamque agatis. Nescio, an verba εἰς ἀνομίαν et εἰς ἁγιασμόν iungantur rectius cum verbo παρεστήσατε, ut sensus sit: membra vestra, quae olim impuritati servientia, impietati consecrata fuerunt, nunc δοῦλα τῇ δικαιοσύνῃ conservate (offerte) sanctitati et castitati. Simillimus est locus Eph. IV, 19. οἵτινες παρέδωκεν ἑαυτοὺς τῇ ἀσελγείᾳ εἰς ἐργασίαν ἀκαθαρσίας πάσης ἐν πλεονεξίᾳ. Obstare tamen videtur, quod plerumque verbum παριστάναι cum dativo iungitur, ut v. 16. Sed ab ἀκαρθασία differt

ἀσέλγεια. Est enim ἀσελγής proprie petulans, procax, *protervus*, qui nullam verecundiae pudorisque rationem habet, sed immoderate et petulanter se gerit, rebusque utitur. Itaque ἀσέλγεια est proprie protervitas et impudens petulantia hominis ἀσελγοῦς, non obscoenitas aut foeditas lubidinis. Docent hoc innumerabiles loci, quos post H. Stephanum Lexicographi congesserunt et suppeditant magno numero Indices et Wetsten. ad N. T. Tom. I. p. 588. Hoc sensu iungitur 2. Cor. XII, 21. cum ἀκαθαρσίᾳ καὶ πορνείᾳ, ut apud Ciceronem pro Cael. 29. cap. 12. de corruptelis, de adulteriis, de protervitate, de sumtibus, immensa oratio est. Rom. XIII, 13. μὴ κοίταις καὶ ἀσελγείαις. et in isto vitiorum catalogo Gal. V, 19. sq. De foeda lubidine dicitur 2. Petr. II, 7. 18. sed protervam lasciviam significare videtur 1. Petr. IV, 3. Dubium visum est, quo sensu dictum sit Marc. VII, 22. κλοπαί, πλεονεξίαι, πονηρίαι, δόλος, ἀ σ έ λ γ ε ι α, ὀφθαλμὸς πονηρὸς, βλασφημία, ὑπερηφανία, ἀφροσύνη. De lubidine accipi non potest, iungitur enim cum vitiis

alius generis, et illa iam commemorata est v. 21. Itaque plerique interpretes per *iniuriam* reddunt, sed est potius *insolentia* hominum, qui suis tantum indulgentes cupiditatibus nullam iusti aequique rationem habent, et omne ius fasque proterunt, dummodo finem, ad quem feruntur, assequantur. Hoc sensu saepe occurrit quum apud alios, tum apud Polybium, et iis quoque in locis, quos cum loco Marci comparant: V, 28. VIII, 9. Similiter Philippo Demosthenes (Philipp. III. init.) exprobrat *ἀσέλγειαν καὶ πλεονεξίαν*. Idem iungit *δεσποτικῶς καὶ ἀσελγῶς*, *ἀσελγῶς καὶ προπετῶς*, sed etiam *ἀσελγῶς καὶ πολυτελῶς*, ut apud Aeschin. in Ctesiph. p. 78. 5. (560. R.) *διὰ τὴν ἀσέλγειαν τῆς δαπάνης*. Neque in epistola Iudae v. 4. a propria significatione recedendum est. Nam οἱ *ἀσεβεῖς, τὴν τοῦ θεοῦ ἡμῶν χάριν μετατιθέντες εἰς ἀσέλγειαν* non sunt omnino impii et improbi, sed protervi, insolentes, *οἱ τὸν κύριον Ἰησοῦν Χριστὸν ἀρνούμενοι*. Denique

ἀσωτία est proprie *nequitia* hominis, qui vitam perditam agit, uti homo *ἄσωτος* est homo *nequam*. (Vid. Cicer. Tusc. III, 8. et Gellium VII, 11.) Hinc potissimum de hominibus prodigis et dissolutis dicitur, quos ad vivum descripsit Cicero de Offic. II. 55. cap. 16. Sic *ἀσώτως ζῆν* dicitur de filio perdito, Luc. XV, 13. Et in Ep. ad Ephes. V, 18. *μὴ μεθύσκεσθε οἴνῳ, ἐν ᾧ ἐστιν ἀσωτία*, non de omnibus foedissimis sceleribus dicitur, quorum fons sit ebrietas, sed de ipsa nequitia et lascivia, i. e. *ἀσωτίᾳ*. (nos: *Liederlichkeit.*) Tales igitur non vult presbyteros eligi Paulus ad Tit. I, 6. qui habeant *τέκνα ἐν κατηγορίᾳ ἀσωτίας ἢ ἀνυπότακτα*. Et in loco Petri, quem modo laudavimus, 1. Ep. IV, 3. istorum vitiorum turpis societas *ἀνάχυσις ἀσωτίας* vocatur, veluti colluvies nequitiae. Conf. Wetsten. ad Luc. XV, 13. Tom. I. p. 758. Pluribus exemplis non opus est in re adeo

manifesta, ut mitti paucis verbis ista vox potuisset, nisi a propria eius vi nonnullis locis temere recederétur. Sunt enim duo veluti loci communes, ad quae in eiusmodi vocabulis explicandis haud pauci refugiunt: nam si de propria sententia scriptoris aliquo loco non satis constare videtur, aut foedam lubidinem, aut quodvis improbitatis et impietatis genus significari opinantur.

P. P. Dom. III. p. F. Trin. a. Dom. cIↃIↃcccxxviii.

INDEX

SYNONYMORUM IN NOVO TEST.

[E schedis meis pauca passim adscripsi, quae ad futurum usum, si licuisset, notaveram. Ferant ea viri eruditi. Quae uncis inclusa sunt, ea proprie quidem non esse synonyma videntur, sed tamen quia aut certis locis de eadem re dicuntur, aut vulgo prorsus non differre plurimis visa sunt (ut composita et simplicia) et tamen eiusdem rei notionem diversam indicant, non praetermittenda duxi. De *formulis synonymis* alio loco dicere, si deus dederit, animus est.]

Ἀγαθός· δίκαιος.
ἀγαθοεργεῖν· ἀγαθοποιεῖν.
ἀγαπᾶν· φιλεῖν.
ἁγιάζειν· ἁγνίζειν· ἅγιος· ἁγνός.
ἀγαπητός· ἐκλεκτός.
ἁγιοσύνη· ἁγνεία· ἁγνίζειν· ἁγνός· καθαρός· ἀμίαντος.
ἀγρυπνέω v. γρηγορέω.
ἀδημονεῖν v. ἐκπλήσσεσθαι.
ἀδικεῖν· ἀδικία v. ἁμαρτία.
ἄδικος· ἄνομος· ἁμαρτωλός.
ἀθετεῖν· ἀκυροῦν· καταργεῖν. ἐξαλείφειν. (κενοῦν)

ἀθετεῖν est irritum reddere, ἀκυροῦν auctoritate privare, καταργεῖν vim adimere.

ἀΐδιος· αἰώνιος.

αἰνέω· δοξάζω· μεγαλύνω. αἰνέω laudo. δοξάζω celebro. μεγαλύνω virtutes alicuius extollo. Recte Lutherus Luc. I. 46.

αἴρειν (ἁμαρτίαν) φέρειν. Illud est, e medio tollere peccatum cum malis ex eo oriundis, hoc est ipsas poenas suscipere et perferre.

αἰσχύνομαι· ἐντρέπομαι· αἰσχύνη. ἐντροπή. αἰδώς, Thuc. I. 84. αἰδὼς σωφροσύνης πλεῖστον μετέχει, αἰσχύνης δὲ ἡ εὐψυχία. Male h. l. intellexisse videtur Schol.

αἰών· χρόνος· ὥρα· καιρός.

αἰώνιος v. ἀΐδιος.

ἀκαθαρσία· ἀσέλγεια· πορνεία.

ἀκάθαρτος. ἄσωτος.

ἄκακος. ἀκέραιος.

(ἀκολουθέω· ἐξακολουθέω.) Posterius tantum in secunda ep. Petri legitur. Est *usque* sequi, sectari. Proprie non est synonymum.

ἀκυροῦν v. ἀθετεῖν.

ἀλαζόνες· ὑπερηφάνοι· ὑβρισταί.

ἀληθής· ἀληθινός. Non videntur synonyma, sed tamen distinguenda sunt. Nam ἀληθής in N. T. sensu morali tantum dicitur: θεὸς ἀληθής. Ioh. III, 33. Sed ἀληθινός est, qui non tantum nomen habet et speciem, sed veram naturam et indolem, quae nomini conveniat. Ioh. I, 19. φῶς ἀληθινόν. VI, 12. ἄρτον ἀληθινόν. XVII, 3. τὸν μόνον ἀληθινὸν θεόν. Occurrit tantum apud Iohannem et in ep. ad Hebraeos.

ἄλλος· ἕτερος. Illud denotat *alium*, nulla diversitatis, nisi numeri, ratione. ἕτερος non tantum alium

sed etiam diversum indicat. ἄλλος Ἰησοῦς — ἕτερον εὐαγγέλιον 2. Cor. XI. 4. sq.

ἀλλότριος· ἀλλογενὴς· ἀλλόφυλος.

ἅμα· ὁμοῦ. Utrumque societatem denotat; sed ἅμα temporis potissimum, ὁμοῦ loci et modi. Confunditur ἅμα cum ὁμοῦ. Rom. III, 12.

ἀμαθεῖς· ἀστήρικτοι· ἀσθενεῖς. ἄῤῥωστοι.

ἀμαθής· ἀσύνετος.

ἁμαρτάνειν· ἀδικεῖν.

ἁμαρτία· παράπτωμα. ἀνομία· ἀδικία (ἀδίκημα.)

ἁμαρτωλός; ἀσεβής.

ἄμεμπτος· ἄμωμος.

ἀμετάθετον· ἀπαράβατον· ἄτρεπτον· βέβαιον.

ἀμίαντος· καθαρός· ἁγνός.

ἀναγεννᾶσθαι· ἀνακαινοῦσθαι· ἀνανεοῦσθαι (ἄνωθεν γεννηθῆναι). Sensu morali de eadem re dicuntur.

ἀνακεφαλοῦν· ἀποκαταλλάττειν. ad Eph. I, 10. et Col. I, 20.

ἀναλογία· μέτρον. ad Rom. XII. 3. 6. Permutantur h. l. sed non idem significant.

ἀνάμνησις. ὑπόμνησις (ἀνα - ὑπομιμνήσκειν). Differunt ut nostra: *Andenken* et *Erinnerung*. μνήμη· μνεία.

ἄνευ v. χωρίς.

ἄνοια· ἄγνοια· μωρία· ἀφροσύνη.

ἀνομία v. ἁμαρτία.

ἀνοχή· μακροθυμία· κακοπάθεια. (χρηστότης·) ὑπομονή.

ἀνταποδιδόναι· ἀνταπόδοσις· ἐκδίκησις· ἐκδικεῖν. Illa in utramque partem dicuntur, haec ultionem denotant. Rom. XI, 35. XII, 19. Hebr. X. 30.

ἀνταποκρίνομαι· ἀντέπω· ἀντιλέγω.

ἀντιδιατιθεμένοι· ἀντιλέγοντες· ἀντιτασσόμενοι· ἀντικειμένοι· ἀντίδικος· ἐνάντιοι· ὑπεναντιοι. ἀντιδιατιθεμένοι, qui contrariam mentem habent, ἀντιλέγοντες, qui contra loquuntur, ἀντιτασσόμενοι, qui contrarias partes sequuntur, ἀντικείμενοι, qui contra moliuntur, ἀντίδικοι, qui lite (iniusta) contendunt c. al., obtrectatores. *Widersacher*. (ὁ διάβολος. 1. Petr. V, 8.) ἐνάντιοι hi omnes sunt, *Gegner*, adversarii (ὑπεναντιοι clandestini? certe convenit locis Coloss. II, 14. Hebr. X, 27.)

ἀξιοῦν v. τιμᾶν.

ἀπάτη· δόλος· πλάνη· (ψεῦδος).

ἀπέχει· ἀρκεῖ. ad Marc. XIV, 41. ἀπέχει· ἦλθεν ἡ ὥρα — ἐγείρεσθε, ἄγωμεν. ἀπέχει. Satis est, quod praeteriit: ἀρκεῖ, sufficit, quod adest.

ἀπείθεια· ἀπιστία, illud ad animum refertur, hoc ad mentem.

ἁπλότης. εἰλικρίνεια· ἀφλότης.

ἀποκαραδοκία· ἐλπίς.

ἀποκρίνομαι· ὑπολαμβάνομαι. Luc. X, 30. Illud est simpliciter, respondere, hoc est, excipere sermonem alterius, ut contradicas.

ἀποκαταλλάσσειν v. ἀνακεφαλοῦν.

ἀπολύτρωσις· ἄφεσις ἁμαρτιῶν.

ἀπορεῖσθαι· v. διστάζειν.

ἄρα· οὖν· τοίνυν. Recte Hoogeven. p. 1002. ἄρα est illativum, οὖν conclusivum, ἄρα argumentatur, οὖν accommodat. τοίνυν ab utroque differt; coniungit enim id quod *nunc* fiat aut fieri debeat, quoniam aliud quid factum est.

ἄριστον v. δεῖπνον.

ἀρχαῖος· παλαιός.

ἀρχή· δύναμις· ἐξουσία. δύναμις vim aliquid efficiendi denotat, ἐξουσία potestatem, ἀρχή imperium, quod exercet, qui illis utitur. κυριότης.

ἀρχηγός· αἴτιος. Comparanda sunt, quatenus in N. T. de Christo auctore et causa salutis dicuntur. Hebr. II, 10. V, 9.

ἀσεβής v. ἁμαρτωλός.

ἀσέλγεια v. ἀκαθαρσία.

ἀσθενής· ἀστήρικτος.

ἄσπονδος· ἀσύνθετος.

ἄστοργοι· ἀνελεήμονες.

ἀσύνετος· ἀμαθής.

αὐθάδης.

ἀφελότης· ἁπλότης.

ἀφροσύνη· ἄνοια· ἀνόητος.

ἀχρεῖος· ἄχρηστος. (ἀνωφελής.) ἀχρεῖος est, cuius nulla est necessitas, οὗ οὐκ ἔστι χρεῖα. ἄχρηστος est, qui non solum nullam utilitatem praebet, sed etiam damnum affert. ἀχρεῖοι δοῦλοι non sunt inutiles, mali, sed tales, quibus, peracto officio, non amplius opus habet dominus, ut praemium postulare non possint, quia tantum quod debebant, fecerunt.

ἄχρι· μέχρι.

(βαρεῖσθαι· βαρύνεσθαι.) De discrimine horum verborum vid. Gataker. ad Marc. Ant. p. 254.

βάρος· ὄγκος. βάρος ipsam gravitatem denotat, et saepissime sine molestiae notione dicitur 1. Thess. II, 7. 2. Cor. IV, 17. Sed ὄγκος est βάρος, quod molestum est, impedit etc. Semel Hebr. XII, 1.

βασιλεία θεοῦ· οὐρανῶν· χριστοῦ.

βέβηλος· ἀνόσιος.

βίος· ζωή. βίος est vita, quam vivimus, ζωή, qua vivimus. Hinc ζωή αἰώνιος, non βίος, in N. T.

βλέπειν· ὁρᾶν· ὀπτεσθαι· ἰδεῖν· θεωρεῖν.

βόσκειν· ποιμαίνειν. Hoc in universum est, curam gregis habere, ducere gregem; sed βόσκειν, pascere nutrire. Recte Ioh. XXI, 15, 17. βόσκε τὰ πρόβατα μου. Christus est ὁ ποιμήν.

βουλή· θέλημα.

βούλομαι· θέλω.

(βρῶμα· βρῶσις) differunt, ut nostra *Speise* et *Essen*. γάλα οὐ βρῶμα. 1. Cor. III, 2. βρώματα. 1. Tim. IV, 3. βρῶσις καὶ πόσις. Rom. XIV, 17.

(γενεὰ· γένεσις· γέννησις.)

γεννᾶν· τίκτειν. τίκτειν in N. T. semper de mare tantum dicitur, sed γεννᾶν bis etiam de feminis Luc. I, 13. Gal. IV, 24.

(γεννηθῆναι· γίνεσθαι.)

γνώμη· βουλή· δόγμα. γνώμην διδόναι 1. Cor. VII, 25. 2. Cor. VIII, 10. συμβουλεύειν.

γνωρίζω· δεικνύω.

γνῶσις· (ἐπίγνωσις·) v. σοφία.

γρηγορέω· νήφω· ἀγρυπνέω. Conv. quod non dormire denotant. Sed γρηγορεῖν est, interdiu non dormire, ἀγρυπνεῖν, noctu, νήφειν, vigilare, *wachsam seyn*.

γυνή· (χήρα.) Matth. I, 20. Luc. II, 5, 24.

(δαιμόνιον· δαίμων.)

δεῖ· v. χρή.

(δεικνύω· ἐπιδεικνύω.)

δεῖπνον· ἄριστον· δοχή. De prioribus vide Athenaeum I, 9, 10. In v. δοχή nulla est notatio temporis, sed notio excipiendi convivas. *Gastmahl*.

δεισιδαιμονία· εὐλάβεια. Act. XXV, 19. XVII, 22. In N. T. semper sensu bono dicitur.

δελεάζομαι· v. ἐξέλκομαι.

διαδιδόναι· διαρπάσαι. Luc. XI, 22. Matth. XII, 29.

διάκονος· v. δοῦλος.

(διαλλάττεσθαι· καταλλάττεσθαι.)

διασαφεῖν· διαγνωρίζειν· διαγγέλλειν· παραγγέλλειν. διαφημίζειν· ἐκλαλεῖν· ἐξηγεῖσθαι· κηρύσσειν.

(διασώζειν· σώζειν.)

διατάσσειν· διαστέλλεσθαι.

διδασκαλία· διδαχή. διδασκαλία est, quam quis accipit, διδαχή, quae traditur.

(διερωτᾶν· ἐρωτᾶν.)

διστάζειν· ἀπορεῖσθαι· (ἐξαπορεῖσθαι) dubium animum denotant. διστάζει, qui dubitat, e pluribus quid sequatur, sentiat etc. ἀπορεῖται, qui nescit omnino quid faciat.

δίψυχος· δίλογος· διπλόος. Incertum hominis ingenium denotant. Fallunt hi tres omnes; δίλογος dictis, διπλόος moribus quoque, vultu, factis etc. δίψυχος, quoniam ipse non constat sibi, sed mutat sententiam. Iac. I, 8. IV, 8.

δόγμα· v. γνώμη.

δοκεῖν· ἡγεῖσθαι.

δόλος· ἀπάτη. δόλος dolum denotat, quam quis struit alteri, ἀπάτη fraudem, qua alter decipitur. *Verführung.*

δόξα. τιμή.

δοξάζειν· v. αἰνεῖν.

δοῦλος· θεράπων. διάκονος· ὑπηρέτης.

δοχή· v. δεῖπνον.

δύναμαι· ἰσχύω. δύναται ποιεῖν τι ὁ ἰσχύων.

δύναμις· δόξα· ἐνέργεια· ἐξουσία· ἰσχύς vid. ἀρχή (κυριότης.)

δῶμα· ὑπερῷον.

δωρεά· χάρις· δῶρον.

δωρεάν· τῇ χάριτι. δωρεάν respondet nostro *umsonst*. δοῦναι, λαμβάνειν δωρεάν est, ita dare, vel accipere, ut nihil referas, nulla praegressa causa dandi vel accipiendi. Hinc δωρεὰν ἀπέθανε non est, frustra, temere, sine effectu, sed sine iusta causa. Gal. II, 21. Nam si διὰ τοῦ νόμου ἡ δικαιοσύνη, nulla erat causa moriendi.

ἐγκράτεια· σωφροσύνη.

εἴδω· γινώσκω· ἐπίσταμαι.

εἰκῆ· μάτην. Usurpantur promiscue. Nam qui εἰκῆ agit, is plerumque μάτην agit. Illud proprie est *temere*, hoc *frustra*.

εἴπω· λαλέω.

εἰσέρχομαι· εἰςπορεύομαι. Proprie differunt ut nostra *hereinkommen* et *hineingehen*.

εἴσοδος· προςαγωγή.

ἑκάστοτε· πάντοτε. Illud tantum de tempore (διαπαντός) veteres dixerunt. Seriores πάντοτε et de loco. Vide Thom. Mag. Moerid. et Phrynichum.

ἐκδέχομαι· (ἀπεκδέχομαι·) προςδέχομαι· προςδοκέω· καραδοκέω. (ἀποκαραδοκέω.)

ἐκδαπανᾶν· (δαπανᾶν.) ἀναλίσκειν.

ἐκδέχομαι v. ξενίζω.

ἐκδικέω v. ἀνταποδίδωμι.

ἐκεῖθεν· ἐντεῦθεν. Matth. IV, 21. προβὰς ἐκεῖθεν. Act. XX, 13. ἐκεῖθεν μέλλοντες ἀναλαμβάνειν. (non est *ibi* h. l.) Matth. XVII, 20. XVIII, 36. ἡ βασιλεία ἡ ἐμὴ οὐκ ἔστιν ἐντεῦθεν. vid. varr. Lect. Luc. XVI, 26.

ἐκζητέω· ἐξερευνάω· (ἐπιζητέω.)
ἐκκακεῖν· ἐκλύεσθαι.
ἐκκλάζω· ἐκκόπτω. Rom. XI, 17. 19. sq.
ἐκκλίνω. φεύγω.
ἐκκομίζω· ἐκφέρω. Illud de funere, semel Luc. VII, 12. Hoc latius patet.
ἐκλαλεῖν v. διασαφεῖν.
ἐκλέγεσθαι· ἐξαιρεῖν. In illo imperat notio optandi e pluribus (unde in medio): hoc habet notionem separandi.
ἐκλεκτός· ἀγαπητός· ἅγιος.
ἐκλελυμένοι· ἐῤῥιμμένοι ad Matth. IX, 36. (vid. Varr. Lectt.) Lutherus: languidi et dispersi. Imo soluti, vagantes et dispersi.
ἐκλύεσθαι v. ἐκκακεῖν.
ἐκπορεύομαι· ἐξέρχομαι v. εἰςέρχομαι.
ἐκταράσσω· ἐκπλήττω· ἐκφοβέω· ἐξίστημι.
(ἐκτείνω· προτείνω.) Act. XXII, 25. προέτεινεν αὐτὸν τοῖς ἱμᾶσι non est, caedendum tradidit, sed vinctis manibus protendi iussit ad caedendum. ἱμᾶς non est lorum s. flagellum, quo caeditur. conf. v. 29.
(ἐκτελέω· τελέω· ἐπιτελέω.)
ἐκτρέπομαι· φεύγω.
(ἐκφεύγω v. φεύγω.)
ἔκφοβος· ἔμφοβος· ἔντρομος. Hebr. XII, 21. ἔκθαμβος.
(ἔλεγξις· ἔλεγχος.) 2. Petr. II, 16. Hebr. XI, 1.
ἐλεέω· οἰκτείρω· ἐλεήμων· οἰκτίρμων.
ἑλκύω· σύρω.
ἔναντι· ἔμπροσθεν· ἐναντίον· ἐνώπιον.
ἔνδικος· δίκαιος. Illud est, *gesetzlich*, lege constitutus, legitimus, ἔνδικος κρίσις, lege promerita.

ἔνδυμα· ἔνδυσις· ἱμάτιον· ἱματισμός. ἐσθής· ἔσθησις.

ἐνδύομαι· περιβάλλομαι. Quamquam promiscue dicitur in N. T. ἐνδύεσθαι et περιβάλλεσθαι ἱμάτιον, tamen differentiam ostendunt loci ubi ἐνδύεσθαι tropice dicitur. Luc. XXIV, 49. etc.

ἐνέδρα· ἐπιβουλή. Utrumque tantum in Actis; sensu malo, quamquam posterius μέσον est.

ἐνέργεια· (ἐνέργημα) vid. δύναμις.

ἐνεργέω· ἐπιτελέω. Philipp. II, 13. Eph. I, 11. notanda vis propria v. ἐνεργεῖν praesertim propter formulam ἐνεργεῖν ἐν τινί.

ἐνέχω· ἐνεδρεύω· ἐπέχω. Postremum levissimum est; ἐνέχειν τινί est, observare occasionem alteri nocendi, ἐνεδρεύειν insidias ipsas struere.

ἐνισχύω· ἐνδυναμόω· (ἐπισχύω. Luc. XXIII, 5.) v. ἰσχύς et δύναμις. ἐνισχύειν est, vires reddere, reficere, restituere, ἐνδυναμοῦν vim dare. Luc. XXII, 43. Philipp. IV, 13.

ἐννεος v. κωφός.

ἔννοια· ἐνθύμησις. Hebr. IV, 12. Illud mentis est, hoc animi.

(ἐνοικέω· οἰκέω.)

ἔνταλμα· ἐντολή· ἐπιταγή· ἐντέλλομαι· ἐπιτάσσω. *Auftrag. Befehl. Gesetz. — Anordnung.*

ἔντευξις· εὐχαριστία ad 1. Tim. IV, 5.

ἐντρέπω· ἐντροπή v. αἰσχύνη.

ἐνώπιον v. ἔναντι.

(ἐξαγγέλλω· ἐπαγγέλλω.)

(ἐξακολουθέω· ἀκολουθέω· ἐπακολουθέω.)

ἐξαλείφω v. ἀθετέω. Coloss. II, 14. conf. Eurip. Iphig. Aul. v. 1486.

(ἐξαπατάω· ἀπατάω.)

ἐξάπινα· ἐξαίφνης· ἐξαυτῆς. ἐξάπινα, *repente*, (non exspectato) proprie, ἐξαπίνης, ἐξαπιναίως, vid. Thom. Mag. ἐξαίφνης, subito, *improviso*. ἐξ αὐτῆς statim post, *illico*.

(ἐξαπορέω· ἀπορέω.) 2. Cor. I, 8. IV, 8. ἀπορούμενοι, ἀλλ' οὐκ ἐξαπορούμενοι.

ἐξαρτίζω· τελειόω· πληρόω· (καταρτίζω.) 2. Tim. III, 17. Act. XXI, 5.

ἐξέλκω· δελεάζω. Iac. I, 14. Egregie Lutherus.

ἐξερευνάω v. ἐκζητέω. 1. Petr. I, 10. ἐξερευνᾷ, qui vestigia quaedam sequitur rei quam quaerit, ἐκζητεῖ, qui quaerit nec cessat quaerendo.

ἐξέρχομαι· ἐκπορεύομαι v. εἰσέρχομαι.

ἐξηγέομαι v. διασαφέω.

ἐξίστημι v. ἐκφοβέω.

ἐξομολογέω· εὐχαριστέω.

ἐξουθενέω v. καταφρονέω.

ἐξουσία v. ἀρχή.

(ἐπαγγελία· ἐπάγγελμα.)

(ἐπαγγέλλω· ἐξαγγέλλω· διαγγέλλω.) ἐπαγγελία· ἐπάγγελμα· respondent nostris; *ankündigen*, *verkündigen*.

(ἐπακολουθέω v. ἀκολουθέω.)

ἐπάν· ἐπειδάν· ἐπεί· ἐπειδή. ἐπειδήπερ vid. Hermann. ad Viger. p. 784. sq. ἐπεί propriam significationem habet etiam Rom. III, 6. Hebr. X, 2.

(ἐπαναπαύομαι· ἀναπαύομαι.) Rom. II, 17.

(ἐπεγείρω· ἐξεγείρω.)

ἐπέρχομαι· ἐπιγίνομαι.

(ἐπερωτάω v. ἐρωτάω· διερωτάω.)

ἐπέχω v. ἐνέχω.

ἐπιβάλλω· ἐπιτίθημι.

ἐπιβλέπω· ἐπισκέπτομαι. Illud studium, hoc operam designat.

ἐπίγειος· χοϊκός. ἐπίγειος est, qui *in* terra est, fit, nascitur etc. ἐπίγειος οἰκία τοῦ σκήνους. 2. Cor. V, 1. σοφία ἐπίγειος. Iac. III, 5. χοϊκός, qui ex terra est. 1. Cor. XV, 47. Ille *terrester*, hic *terrenus*.

ἐπιγίνομαι· ἐπέρχομαι.

(ἐπίγνωσις· γνῶσις.)

(ἐπιδημέω· ἐκδημέω· ἀποδημέω.) Posteriora significant, abesse a patria, prius est, in peregrina terra habitare.

ἐπιείκεια· χρηστότης.

ἐπιεικής v. εὐπειθής.

(ἐπιζητέω v. ἐκζητέω.) ἐπιζητεῖν studium rei indicat. Est potissimum flagitare, postulare.

ἐπιθανάτιος· θνητός. Ille est morti proximus (ad mortem iam damnatus,) 1. Cor. IV, 9. θνητός, natura sua mortalis.

ἐπιθυμία· ἐπιθυμοῦμαι· ὀρέγομαι· ὄρεξις.

ἐπικουρία· βοήθεια.

ἐπιλαμβάνομαι· βοηθέω. Act. IX, 27. ἐπιλαβόμενος non est *hospitio* excipere, de quo nusquam dicitur, sed: curam eius habuit, ut nos dicimus: *sich eines Fremden annehmen.* Hebr. II, 16. 17.

ἐπιποθέω v. ἱμείρομαι.

(ἐπινεύω· κατανεύω.)

ἐπισκέπτομαι v. ἐπιβλέπω.

ἐπίσταμαι· οἶδα. Intelligo (novi Act. XIX, 15.) — scio. Marc. XIV, 68. οὐκ οἶδα, οὐδὲ ἐπίσταμαι.

ἐπιστομίζω· φιμόω. Hoc est, efficere, ne quis ore suo utatur; illud est, efficere, ut *nolit* loqui.

ἐπισυναγωγή· (συναγωγή·) ἐπισύστασις.

ἐπιταγὴ v. ἐντολή.

(ἐπιτελέω v. ἐκτελέω.)

ἐπιτίθημι v. ἐπιβάλλω.

ἐπιτιμάω. ἀπειλέω.

ἐπιτυγχάνω. λαγχάνω. ἀπολαμβάνω. Differunt ut nostra: *erhalten*, *bekommen*, *empfangen*. Rom. XI, 7. ὃ ἐπιζητεῖ — οὐκ ἐπέτυχεν. Act. I, 17. ἔλαχε τὸν κλῆρον. Luc. XVI, 25. ἀπέλαβες τὰ ἀγαθά σου.

ἐπιφέρω v. ἐπάγω.

(ἐπουράνιος v. οὐράνιος.)

ἐργάζεσθαι· ποιεῖν· πράσσειν.

ἔργον· πρᾶγμα.

ἐρέω v. λαλέω.

ἐρίθεια: ἔρις (φιλονεικία.)

ἔρχομαι. ἥκω. ἔρχομαι venio, ἥκω, veni, adsum. Recte Lutherus Marc. VIII, 3. μακρόθεν ἥκουσι, *sind von ferne gekommen*. Conf. Luc. XV, 27. Ioh. VIII, 42. ἐκ τοῦ θεοῦ ἐξῆλθον καὶ ἥκω, non, natus vel missus, sed *adsum*. Hebr. X, 7. 9. (ex Psalmo XL, 7. hebr. באתי) eodem modo vertendum erat.

ἐρωτάω· διερωτάω· ἐξερωτάω· ἐπερωτάω· πυνθάνομαι.

ἐσθής v. ἱμάτιον.

ἐσθίω· φάγω. ἐσθίητε καὶ πίνετε — φάγωμεν, πίνωμεν.

ἕτερος v. ἄλλος.

ἔτος· ἐνιαυτός.

εὐδοκεῖν· συγκατατίθεσθαι.

εὐδοκία· ἀγάπη. Phil. I, 16. 17.

εὐεργεσία· εὐποιΐα.

εὔθετος. ἱκανός· χρήσιμος.

εὐθέως· εὐθύς· ἐξαυτῆς· ταχέως vid. ἐξάπινα.

εὐθύς et εὐθέως sunt nostrum: *gleich*, *sogleich*, statim, nulla mora. ταχέως fit, quod fit brevissimo tempore, *schnell*.

(εὐλογία· εὐχαριστία.) 1. Cor. X, 16.

εὐνοέω. Matth. V, 25. ἐπιεικής.

εὐπειθής· ἐπιεικής. Iac. III, 17. vide ibi Lutherum. Wettstenii exempla probant, εὐπειθής nusquam significare aliud quid quam *obsequiosum*.

εὐποιΐα· εὐεργεσία.

εὐρύχωρος· πλατύς. Matth. VII, 13. *weit und breit*.

εὐσεβής· εὐσέβεια· v. εὐλαβής.

εὔσημος· φανερός. 1. Cor. XIV, 9.

εὔσπλαγχνος· χρηστός. Eph. IV, 32. 1. Petr. III, 8.

εὐσχήμων· εὐχάριστος. decorus — acceptus et gratus ob morum castitatem. Coloss. III, 15.

εὐτραπελία· μωρολογία. Eph. IV, 5. αἰσχρολογία. Col. III, 8. εὐτραπελία est nugax dicacitas, μωρολογία fatua, αἰσχρολογία obscoena. Lex. Gr. Aug. §. 61.

εὐχαριστία· v. εὐλογία.

ἐφικνέομαι· παραγίνομαι· ἐφίσταμαι.

ἕως· μέχρι· v. ἄχρι. ἕως finem s. terminum indicat, sed comprehendit hunc ipsum terminum. Vide de loco Matth. I, 25. Vulgari explicationi obstat, quae praecedit, negatio, quae non est negligenda.

ζηλοῦν. φθονεῖν.

ζητέω: v. ἐκζητέω.

ζόφος· σκότος. Differre videntur ut nostra *Dunkelheit* et *Finsterniss*. ζόφος τοῦ σκότους. 2. Petr. II, 18.

ζωογονέω· ζωοποιέω. Act. VII, 19. Luc. XVII, 33. In priori loco ζωογονεῖσθαι est vivum conservari.

In posteriori, si lectio sana est, conservare vitam. Sed ζωοποιεῖν est vivum reddere.

ἡγοῦμαι· v. δοκεῖν.

ἥκω· v. ἔρχομαι.

ἡλίκος· πηλίκος· ὁποῖος. Priora proprie quantitatis notitiam inferunt, postremum qualitatis. πόσος, ποῖος, ποταπός.

ἤπιος· πραῦς.

ἤρεμος· ἡσύχιος.

θαμβέω.

θανατόω· ἀποκτείνω· νεκρόω. θανατωθεὶς — ζωοποιηθείς. νεκροῦν est pp. reddere νεκρόν, i.e. cadaver, viribus omnibus privatum. (πτῶμα.) Vivum cadaver, νεκρὸς τοῖς παραπτώμασι.

θάρσος· τόλμη.

θαῦμα· σημεῖον· τέρας.

θαυμάσιος. θαυμαστός. Proprie θαυμάσιος est, in quo est aliquid, quod possimus admirari, θαυμαστός, quem admiramur. *wunderlich* ὦ θαυμάσιε. *wunderbar* — Permutari tamen solent.

θεατρίζω· παραδειγματίζω.

θειότης· θεότης. Rom. I, 20. Coloss. II, 9. *Göttlichkeit* — *Gottheit.*

θέλημα. βουλή.

θέλω· v. βούλομαι.

θεραπεύω· ἰάομαι. differunt ut nostra *helfen* et *heilen.* θεραπεύεσθαι ἀπὸ τῶν ἀσθενειῶν. ἰᾶσθαι τοὺς ἀσθενοῦντας.

θεράπων· δοῦλος· οἰκέτης· ὑπηρέτης.

θεωρέω· v. βλέπω.

θησαυρίζω· συνάγω.

θλίβεσθαι· κακουχεῖσθαι. Hebr. XI, 37.

θλίψις· στενοχωρία· συνοχὴ καρδίας. Rom. II, 9. 2. Cor. II, 4.

(*θνήσκω. ἀποθνήσκω.*)

θνητός· νεκρός. θνητὰ σώματα. Rom. VIII, 4 Col. VI, 12. Nusquam *θνητός* est idem quod *νεκρός.*

θυμός· ὀργή.

θύρα· πύλη. Nusquam in N. T. permutantur, neque Actorum III, 10. vid. Hebr. XIII, 12.

ἰάομαι· v. *θεραπεύω.*

ἴδε· ἰδού. Vid. ad Lucian. Soloec. III, p. 572. et Thom. Mag. Iacobi III, 3. 4. 5.

ἴδιος· οἰκεῖος. 1. Tim. V, 8. vid. ad Act. IV, 23. XXIV, 23.

(*ἱερατεία· ἱεράτευμα.*) Illud functionem sacerdotis denotat; hoc sacerdotium in abstracto, i. e. indolem, dignitatem eorum, qui sacerdotio funguntur. *Priesteramt, Priesterthum.* 1. Petr. II, 5. 9.

ἱερόν· v. *ναός.*

ἱμάτιον· ἐσθής· ἔνδυμα.

ἱμείρομαι· ἐπιποθέω.

ἵνα· ὥςτε.

ἰσχυρός· v. *ἰσχύς· ἰσχύω.* vid. *δυνατός· δύναμις· δύναμαι.*

καθάπερ. ὡς· ὥςπερ. καθώς. καθό.

καθαίρω· καθαρίζω.

(*καθαρισμός· κάθαρμα.*) Illa est actio purgationis, hoc est, quo purgatur, piamentum. 1. Cor. IV, 13. vid. Phavorinus.

(*καθεύδω· εὕδω.*)

(*κάθημαι· καθίζω.*) Differunt ut nostra *sitzen* et *setzen.* *καθίζειν* semper transitive dicitur. Luc. XXII, 30. etc. Matth. XXV, 31.

καθίστημι· καθίσταμαι· γίνομαι ad Rom. V, 19. conf. Iac. III, 6. IV, 4.

καθὼς· v. καθάπερ.

καινός· νέος.

καιρός· v. αἰών.

(καίτοι· καίτοιγε.)

καίω· πυρόω. Illud est nostrum *brennen* active, hoc neutraliter.

κακία· πονηρία. κακός· πονηρός.

κακοπάθεια· ὑπομονή· μακροθυμία.

καλοποιέω· v. ἀγαθοεργέω.

καλός· ἀγαθός.

καλύπτειν· κρύπτειν· (κατακαλύπτειν.) Non confundenda sunt. 2. Cor. IV, 3. Luc. XVIII, 34. Hinc ἀποκαλύπτειν est revelare, ἀποκρύπτειν abscondere. Vis praepositionis eadem est, sed verborum diversa notio. Nam καλύπτειν est, rem, quae in conspectu est, tegere, ut conspici non possit, κρύπτειν, e conspectu eam subducere. κατακαλύπτεσθαι, non κατακρύπτεσθαι dicitur 1. Cor. XI, 6. 7. recte. Male Hesych. κατακαλύπτων· κατακρύπτων.

κάμνω· ἐργάζομαι.

καρδία· ψυχή.

καρπὸν φέρειν· (διδόναι) καρποφορεῖν· καρπὸν ποιεῖν. Utrumque Graeci elegantiores dixerunt, sed diverso sensu. καρπὸν φέρειν est, fructus ferre. Ioh. XV, 16. Sed καρπὸν ποιεῖν est, proferre, gignere fructus. Hinc Ceres apud Euripidem Rheso v. 964. καρποποιός non καρποφόρος appellatur, gignit enim fructus, non fert. Aristotel. de Plant. I, 4. et c. 7. τινῶν μὲν οἱ καρποὶ ποιοῦσι γάλα. Itaque elegantissime Matth. III, 8. ποιή-

σατε καρπὸν ἄξιον τῆς μετανοίας. conf. VII, 17. sqq. Aristot. de plant. II, 9.

(καταβαίνω· κατέρχομαι.)

καταγγέλλω· v. διαγγέλλω.

καταγινώσκω· κατακρίνω· μέμφομαι.

κατάγω· v. ἄγω.

κατάκειμαι· (κεῖμαι· ἀνάκειμαι) κατακλίνομαι. Illud et de convivis dicitur, et de aegrotis; hoc tantum de convivis, qui consederunt (ἐν κλίνῃ, sed recte κατακλιθῇς εἰς τὴν πρωτοκλισίαν, *sich auf den ersten Platz setzen*) ad cibum capiendum.

(κατάκριμα· κατάκρισις.) Rom. VIII, 1. 2. Cor. III, 9.

(κατακυριεύω· κυριεύω.)

καταλαλιά· καταλαλέω· καταλάλος· v. ψιθυρισταί.

(καταλαμβάνω· ἐπιλαμβάνω.)

καταλλαγή· v. διαλλαγή. ἀπαλλαγή.

καταλλάσσω· διαλλάσσω.

κατάλυμα· ξενοδοχεῖον· ξενία.

καταμανθάνω· κατανοέω. Illud semel Matth. VI, 28. conf. Luc. XII, 24. 27. Differunt tamen, Act. VII, 31. Iacob. I, 23. 24. Rom. IV, 19. conf. Alex. Hiob. XXXV, 5.

καταναρκάω· καταβαρέω. 2. Cor. XI, 8. 9. XII, 13. 14. 16. Hieronymus καταναρκᾷν Cilicum esse ait. vid. Wetsten. Tom. II, p. 206.

κατανεύω· v. ἐπινεύω.

καταργέω· v. ἀθετέω.

καταρτίζω· τελειόω· στερεόω· ἀναπληρόω.

κατασκευάζω· ποιέω. ad Hebr. III, 2. 3.

κατασύρω· v. ἑλκύω.

(κατατομή· περιτομή.) ad Philipp. III, 2. In con-

temtum Apost. τὴν περιτομὴν τῶν Ιουδαίων vocat κατατομήν, quasi mutilationem.

καταφέρω v. κατάγω.

(καταφεύγω· ἀποφεύγω· διαφεύγω· ἐκφεύγω· v. φεύγω.)

(καταφιλέω· φιλέω.) Praepositio non abundat. Matth. XXVI, 43. 49. Marc. XIV, 44. 45. Discrimine observato, quis non magis etiam sentiat Iudae perfidiam?

κατέναντι· κατενώπιον v. ἔναντι.

κατεξουσιάζω· κατακυριεύω. Matth. XX, 25. Marc. X, 42. Illud de imperio, hoc de potestate et auctoritate intelligendum. οἱ ἄρχοντες κατακυριεύουσι, καὶ οἱ μεγάλοι κατεξουσιάζουσι.

(κατεργάζομαι· ἐργάζομαι.)

κατέρχομαι· καταβαίνω.

(κατέχω· ἔχω.) 2. Cor. VII, 30. Quaeratur de locis, ubi vulgo dicunt, κατέχειν esse impedire, v. c. Rom. I, 18. Mihi sensus esse videtur: qui possidebant τὴν ἀλήθειαν cum improbitate, i. e. habuere veram cognitionem, et tamen improbe vixerunt, ut χαίρειν ἐν θλίψει, πλουτεῖν ἐν πενίᾳ et similia. Certe sententiae Pauli melius convenit haec interpretatio.

κατηχέω· διδάσκω. Differunt ut nostra: *unterrichten* et *lehren*. Tertio, quo nos utimur, *unterweisen*, Lutherus expressit v. σοφίσαι. 2. Tim. III, 15. λόγοι σεσοφισμένοι. 2. Petr. I, 16. non sunt fraude et astutia excogitati, sed qui *ab aliis* traditi sunt, opp. ἀλλ' ἐπόπται γενηθέντες.

κατοπτρίζομαι· ὁράω. 2. Cor. III, 18. semel. κατοπτρίζεσθαι neque est clare cognoscere, neque ex parte, sed quasi in speculo considerare aliquid et ὁρᾶν, conspicere. Artemidor. II, 7. κατοπτρίζεσθαι καὶ ὁρᾶν τὴν ἑαυτοῦ εἰκόνα. In glo-

ria domini retecta (v. 13.) nostram *δόξαν* conspicimus tamquam in speculo, et *τὴν αὐτὴν εἰκόνα μορφούμεθα ἀπὸ δόξης εἰς δόξαν.*

(*καύχημα· καύχησις.*) *der Ruhm, das Rühmen.*

κειρίαι· ὀθόνια. Utrumque vulgo male interpretantur: *fascias*, ut *σπαργανοῦν*, Luc. II, 7. 12. involvere fasciis. *κειρίαι* pp. de fasciis, quibus mortuorum pedes manusque constringebantur, *ὀθόνια* sunt lintea quibus, totum corpus involvebetur. *σπαργάνα* et *σπαργανοῦν* tantum de recens natis. *κειρίαι* sunt *τὰ ἐντάφια δεσμά.* (quamquam etiam *περὶ κλίνων*) non tantum ex *ὀθονίοις* facta. Etym. M. p. 508, 12. le Moyne ad Var. Sacr. p. 298. sqq.

κείρασθαι· ξυρᾶσθαι. 1. Cor. XI, 6. sq. differunt. vid. Dresig. de verb. med. v. *ξυρᾶσθαι.* Lex. August. §. 36.

κενός· μάταιος· κενῶς· ματαίως. differunt ut inanis et vanus. 1. Cor. XV, 14. 17.

κενοφωνία: ματαιολογία. Utrumque tantum in Epp. ad Tim. 1. VI, 20: 2. II, 16: 1. I, 6.

κενόω· καταργέω. Rom. IV, 14. v. *ἀθετεῖν.*

κηρύσσω v. *διασαφεῖν.*

κληρόω· λαγχάνω· τυγχάνω. Lex. Graec. August. §. 46. Vid. supra *ἐπιτυχάνω.*

κλίνη· κράββατος. Act. V, 15. vid. Phrynich. Thom. Mag. et Pollux Lib. X, cap. 7. s. 35.

κοινός· ἀκάθαρτος. de cibis utrumque Act. X, 14. vid. Marc. VII, 2.

κολάζω· τιμωρέω.

κολλοβιστής· τραπεζίτης. Recte posterius positum est Matth. XXV, 27. nam de foenore sermo est: sed illud suo loco legitur ibid. XXI, 12. Marc. XI, 15. Ioh. II, 15. differre eodem modo videntur Romanorum *nummularius* et *mensarius.*

κομίζω· φέρω. v. ἐκκομίζω.

κόπος· μόχθος· πόνος. 1. Thess. II, 9. 2. Cor. XI, 27. 2. Thess. III, 8. κόπος et μόχθος iunguntur.

κοσμέω· κατασκευάζω. Matth. XXV, 7.

κόσμος· αἰών. ἄρχων τοῦ κόσμου — τοῦ αἰῶνος.

κράββατος v. κλίνη.

κράζω· βοάω· κραυγάζω.

κραιπάλη· μέθη.

κραταιόω· ἰσχύω.

κρατεῖν τι et κρατεῖν τινός.

κράτος v. δύναμις.

κρῖμα· κρίσις. vide Ioh. IX, 39.

κρύπτω· v. καλύπτω.

κτάομαι· ἔχω. In N. T. κτᾶσθαι semper habet propriam significationem, acquirendi (lucrandi) et possidendi, etiam Act. I, 8. et Luc. XXI, 19. ἐν τῇ ὑπομονῇ ὑμῶν κτήσεσθε τὰς ψυχὰς ὑμῶν.

κτίζω v. ποιέω.

κτιστής· ποιητής.

(κτίσις· κτίσμα.)

κύλλος· v. χωλός.

κύριος· δεσπότης.

κυριότης v. ἀρχή.

κῶλον· σῶμα· πτῶμα.

(κωφός· ἄλαλος. (κωφὸς μογιλάλος. Marc. VII, 32.) Marc. IX, 25. τὸ πνεῦμα ἄλαλον καὶ κωφόν. κωφός neque in N. T. denotat mutum, sed surdum.)

λαγχάνω v. κληρόω.

λαλέω· λέγω· ἔπω· φημί· ἐρέω.

λαμβάνω v. ἐπιτυγχάνω.

λαός· ἔθνος.

λατρεία· δουλεία· λατρεύω· δουλεύω.

λέγω v. λαλέω.

λειτουργέω· ἱερατεύω· λειτουργός· ἱερεύς.

λογισμός· νόημα. 2. Cor. X, 4. 5. λογισμός ratiocinatio est, s. iudicium (mentis operatio) sed νόημα est sententia hominis, qui aliquid decernit. (κακὰ νοεῖν τινι.) Sic νοήμα semper apud Homerum. Recte νόημα opp. τῇ ὑπακοῇ τοῦ Χριστοῦ. Erat Apostolis dimicandum contra iudicia perversa hominum, et vanam superbiam sapientiae humanae, et contra lubidinem propria sententia, suo arbitrio vivendi. λογίσμους, ὕψωμα καθαιροῦντες, καὶ αἰχμαλωτίζοντες πᾶν νόημα εἰς τὴν ὑπακοὴν τοῦ χρ. ut non suo arbitrio, sed Christi vivant subiecti imperio.

λόγος· ῥῆμα.

λοιπόν· μέλλον. τὸ λοιπὸν καθεύδετε. Matth. XXVI, 45. Marc. XIV, 41. εἰς τὸ μέλλον Luc. XIII, 9. quod superest, restat, — postea. τὸ λοιπόν facere aliquid, est, facere usque ad finem, pergere facere. εἰς τὸ μέλλον est postea, in posterum. τὸ λοιπὸν καθεύδετε; (interrogative) num pergitis dormire? *schlaft ihr noch immer?* Aristophan. Eccles. v. 555. 557.

λούω· νίπτω. Ioh. XIII, 10. Differunt ut nostra: *baden* et *waschen*. Ergo νίπτεσθαι de quaque parte corporis dicitur, non tantum de pedibus manibusve; λούσασθαι de toto corpore. Act. IX, 37. col. Homer. Il. ω. v. 582.

λυμαίνομαι· βλάπτω· φθείρω.

λύω· λυτρόω. λύειν est solvere, liberare aliquem, λυτροῦν est facere (dare) aliquid ut alter liberetur. Tit. II, 14. 1. Petr. I, 18.

μακροθυμία v. ἀνοχή.

μαλακία· νόσος. Matth. IV, 23. illa est *aegritudo*, hic *morbus*.

μᾶλλον· πλεῖον. *μᾶλλον* est *magis, potius*; Matth. X, 6. Marc. VII, 36. X, 48. *πλεῖον* est *plus.*

ματαιολογία v. *κενοφωνία.*

μάταιος v. *κενός.* *ματαιότης.*

μάτην v. *εἰκῆ.*

μάχομαι· πολεμῶ.

μεγαλύνω v. *αἰνέω.*

μέθη v. *κραιπάλη.*

μεθίστημι· μετατίθημι· μεταίρω· μετακινέω.

μεθοδεία· τέχνη.

μελετάω· μεριμνάω· φροντίζω. (*μέλει μοι.*) *φροντίζει*, qui alicui rei prospicit ut recte fiat, *μεριμνᾷ*, qui dum curat, dubitat, veritus ne frustra curet; *μέλει μοι*, curo, rationem habeo, *μελετάω*, operam do, ut aliquid facere postea possim. Marc. XIII, 11. *μὴ προμεριμνᾶτε μηδὲ μελετᾶτε.* Luc. XXI, 14. *μὴ προμελετᾶν.*

μέμφομαι· μωμέομαι· vid. *ἄμεμπτος.*

μεριμνᾶν v. *μελετᾶν.*

μεστός· πλήρης· γέμων. *μεστός*, refertus, quum de hominibus dicitur pr. in deteriorem partem sumi videtur, *πλήρης* in meliorem ponitur. Sed in N. T. illud etiam in bonam partem dicitur. Rom. XV, 14. Iacob. III, 17. vid Hemsterhus. ad Lennep. v. *μεστός.* *γέμει*, qui ita *πλήρης* est, ut superfluat.

μετά· σύν. *μετά* comitatum denotat, *σύν* coniunctionem et unionem. Quamquam dicitur: *μετά τινος* et *σύν τινι εἶναι*, *μετὰ τῶν νόμων* et *σὺν τοῖς νόμοις*, etc. tamen differunt. Differentiam docet usus in compositis. *μεταλαμβάνειν*, *συλλαμβάνειν*, *μετέχειν*, *συνέχειν.* all. Dicitur *σὺν θεῷ*, non item eodem sensu, *μετὰ θεοῦ.* Nam quod affertur e Platone *μετὰ θεῶν βασιλέα στήσασθε*, Ep. VIII.

p. 395. fin. id non est, adiuvantibus diis, sed potius e sententia deorum, i. e. quem ipsi dii regem fieri volunt. Sic apud Xenoph. Oecon. XI, 20. *ἐῤῥωμένον ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ σὺν τοῖς θεοῖς*. Si scriptum esset, *μετὰ τ. θεῶν*, sensus esset: una cum diis. Convenit formula *σὺν θεῷ εἰρήσεται*, apud Aristoph. et illud Herodoti I, 86. *ὥς οἱ εἴη σὺν θεῷ εἰρημένον*. Vid. Valckenar. ad Herodot. III, 153. Xenoph. Cyrop. VIII, 6. 6. (12.) *ὑμᾶς δὲ — σὺν ἀγαθοῖς τοῖς μεθ' ὑμῶν, ἐμοὶ συμμάχους εἶναι*. Act. XIV, 27. *ὅσα ἐποίησεν ὁ θεὸς μετ' αὐτῶν*. v. 12. *δι' αὐτῶν*. opp. *ἄνευ τινός*. vid. Abresch. ad. Thucyd. I, 128. Dilucidat. 130.

μετακαλέω· v. *μεταπέμπομαι*.

μεταλαμβάνειν· v. *ἐπιτυγχάνειν*· (*ἀπολαμβάνειν*.) est percipere, participem fieri.

μετανοεῖν· *ἐπιστρέψεσθαι*· *μετάνοια*· *ἐπιστροφή*. Comparentur de vitae mentisque emendatione.

μεταπέμπομαι· *μετακαλέω*. Utrumque in Actis tantum legitur. VII, 14. *ἀποστείλας μετεκαλέσατο*. XX, 17. *πέμψας μετεκ*. X, 5. 32. XXIV, 24. 25. 26. Ibi non temere permutantur.

μετέχω· *κοινωνέω*. *μέτοχος*· *κοινωνός*.

μή· *οὐ*. *μηδέ*· *οὐδέ*. *μηδείς*· *οὐδείς*. *μηδέποτε*· *οὐδέποτε*. *μηκέτι*· *οὐκέτι*. *μήποτε*· *οὔποτε*. *μήπω*· *οὔπω*. *μήτε*· *οὔτε*.

μιαίνω· *μολύνω*. (*σπιλέω*.) Tit. I, 15. 1. Cor. VIII, 7. *μιαίνειν* est nostrum *verunreinigen*, *μολύνειν beschmutzen*, *σπιλοῦν beflecken*. *μιαίνειν* pr. est colore alieno tingere s. inficere (Iliad. δ. v. 141.) deinde contaminare, integritate nativa privare (violare Virgil. Aen. XII. v. 67.) unde *βίος καθαρὸς καὶ ἀμίαντος*, *γάμος ἀμίαντος*, apud Plutarch. et Paulum. *μολύνειν* est sordibus con-

spurcare, sordes contrahere e luto etc.*) σπῖλος pr. maculam denotat, unde σπιλοῦν potissimum de vestibus dicitur quae maculantur. Recte 2. Petr. II, 10. ἐπιθυμία μιασμοῦ, sed 2. Cor. VII, 1. μολυσμοῦ σαρκός.

μιμητής· ζηλωτής.

(μιμνήσκω· μνημονεύω.)

(μισθός· μίσθωμα.)

(μίσθιος. μισθωτός.)

μνεία· μνήμη. μνεία est *Erinnerung*, *Andenken*, recordatio. μνήμη *Gedächtniss*, memoria, v. ἀνάμνησις. vid. Thom. Mag. v. μνήμη. Valckenaer. ad Ammon. p. 95. Lex. Graec. August. §. 6. *).

μογιλάλος· ἄλαλος v. κωφός.

μόγις· μόλις. μόγις interpretatur Thomas Mag. μετὰ βίας, μόλις ἀντὶ τοῦ βραδέως. Vide ibi VV. Wassium ad Thucyd. I, 12. et Hemsterhus. ad Lucian. Tom. I. p. 86. Dorvill. ad Charit. L. III, c. 9.

μοιχάομαι· μοιχεύω. Thomas M. μοιχᾶται ὁ ἀνὴρ, μοιχεύεται ἡ γυνή. Non semper observatur hoc discrimen in N. T.

μολύνω· v. μιαίνω.

μορφή· σχῆμα. Phil. II, 6. 7. σχῆμα latius patet (μόρφωσις Gal. IV, 19. Rom. II, 20.)

μόχθος· v. κόπος.

μῦθος· λόγος.

μωμέομαι· μέμφομαι.

μωρία· ἀφροσύνη· ἄνοια. μωρός· ἀνόητος.

ναός· ἱερόν. In N. T. semper observatur discrimen

---

*) Quod edidit e Cod. Augustano Hermannus noster post Libr. de emendand. graec. gramm. ratione p. 319. sq.

hh. vv., ut ἱερόν sit, totus locus sacer, cum omnibus atriis, conclavibus, areis etc., sed ναός ipsa tantum aedes sacra, in duas partes divisa, (per τὸ καταπέτασμα τοῦ ναοῦ, Matth. XXVII, 51.) ἅγιον (ναόν) et ἄδυτον. In priori sedebat synedrium, Matth. XXVII, 8. hanc ingressus est Zacharias Luc. I, 9. Sed tota aedes haec sacra intelligenda Matth. XXVII, 51. Marc. XV, 38. Luc. XXIII, 45. De adyto non dicitur ναός in N. T. Recte Matth. XXIII, 35. Zacharias necatus dicitur μεταξὺ τοῦ ναοῦ καὶ τοῦ θυσιαστηρίου. Nam θυσιαστήριον erat ante τὸν ναὸν, ἐν ὑπαίθρῳ. Ioseph. A. I. VIII, 3. 3. Contra ἱερόν nunquam τὸν ναόν aut adytum denotat. Loci, quos Schleusnerus attulit, id ipsum demonstrant. Eodem modo Iosephus semper ναόν et ἱερόν distinxit. Insignis est locus Ant. Iud. XI, 4. 3. ubi Samaritanis petentibus negatur συγκατασκευάσαι τὸν ναόν, sed permittitur ἀφικνουμένοις εἰς τὸ ἱερὸν σέβειν τὸν θεόν.

νέος· καινός· νεώτερος (νεανικὸς) νεωτερικός· νεότης· καινότης.

νεφέλη· νέφος.

νήπιος· ἄφρων· ἁπλοῦς· ἀνόητος.

νήφω· v. γρηγορέω.

(νίκη· νῖκος.)

νίπτω· v. λούω.

νόημα· v. λογισμός.

νομίζω· οἴομαι· ὑπολαμβάνω. νομίζω arbitror, puto, censeo. (de sententia animi, νόμος) οἴομαι credo, opinor, existimo. ὑπολαμβάνω, suspicor. (plerumque de mala suspicione.)

νόμος· ἐντολή.

νόσος· v. μαλακία.

νοσφίζω· κλέπτω. Illud est pr. nostrum *unterschla-*

gen, partem rerum reddendarum ἰδιοποιεῖν. Act. V, 2. 3. Tit. II, 10.

νυστάζω· καθεύδω. Matth. XXV, 15. νυστάζειν statum dormientium potissimum denotat; hinc ad animum translatum (opp. τῷ νήφειν.) est, segnem tardum, socordem esse. 2. Petr. II, 3. Aristoph. Avib. v. 639.

ξενίζομαι· θαυμάζω. Recte Lutherus 1. Petr. IV, 12. μὴ ξενίζεσθε — *lasset euch — nicht befremden.* item v. 4. Non est i. q. θαυμάζω. Qui ξενίζεται, θαυμάζει quidem, sed ὡς ξένου τινὸς αὐτῷ συμβαίνοντος.

ξένος· καινός. vide supra καινός. In v. ξένος, non *novi* notio imperat, sed *peregrini*, quod aliunde venit, neque ad nos pertinet. 1. Petr. IV, 12.

ξένος· ἀλλότριος· παρεπίδημος. Hebr. XI, 13.

ὄγκος. v. βάρος.

ὁδεύω· ὁδοιπορέω· ὁδοιπορία· ὁδός. Conveniunt in eo, quod dicuntur de itinere, quod fit per terram. Sed ὁδεύειν latius patere videtur; dicitur enim de quocunque itinere terrestri, sive pedibus sive cum equo, fiat. ὁδοιπορεῖν autem de pedestri tantum itinere dictum videtur. Herodian. VII, 3. 9. ὁδεύειν curru. Sed tamen idem V, 4. 13. ὁδοιπορεῖν.

ὀδύνη· v. ὠδίν.

ὀδυρμός· κλαυθμός. Matth. II, 18. lamentatio — fletus.

οἰκεῖος· ἴδιος. 1. Tim. V, 8. εἰ δέ τις τῶν ἰδίων καὶ μάλιστα τῶν οἰκείων οὐ προνοεῖ. (οἰκιακός·) Christus εἰς τὰ ἴδια ἦλθε, καὶ οἱ ἴδιοι οὐ παρέλαβον αὐτόν. Non scribi potuit οἱ οἰκεῖοι. sed Christiani sunt οἰκεῖοι τοῦ θεοῦ. Eph. II, 19.

οἰκέτης· v. θεράπων.

(οἴκημα· οἴκησις· οἰκητήριον· οἰκία v. οἶκος.)

(οἰκοδομή· οἰκοδομία.)

οἰκτειρέω· οἰκτιρμός· οἰκτίρμων· πολύσπαγχνος v. ἐλέεω.

οἴομαι· v. νομίζω.

οἷον· δυνατόν. οἷον ἐστί, fieri *licet* (ob qualitatem) δυνατόν ἐστι, fieri *potest* (ob quantitatem.)

ὀκνηρός· ἀργός. ἀργός est, qui nihil facit, ὀκνηρός qui tarde facit, piger, quem piget laboris, *faul* — *verdrossen*.

ὀλίγος· μικρός. Illud et de magnitudine dicitur, μικρός potissimum de quantitate.

ὁλόκληρος· τέλειος· ὁλοτελής. ὁλόκληρος est integer suis partibus. 1. Thess. V, 23. τέλειος est perfectus, absolutus omnibus numeris, Iacob. I, 4. ὁλοτελής est omni ex parte perfectus, ut πνεῦμα καὶ ἡ ψυχὴ καὶ τὸ σῶμα ἀμέμπτως τηρηθείη. 1. Thess. V, 23.

ὀλολύζω· θρηνῶ.

ὅλος· πᾶς. ὅλος est, cui ad quantitatem nihil deest, πᾶς numeri plenitudinem denotat.

ὅλως· πάντως· εἰς τὸ παντελές. ὅλως est prorsus, πάντως omnino, εἰς τὸ παντελές plane, ut nihil desit. Luc. XIII, 11. Hebr. VII, 25. Posteriori loco etiam futuri temporis notitiam habet. παντελὲς πάντως iungitur ap. Aesch. Sept. c. Theb. v. 118.

ὄμβρος· ὑετός· βροχή. (Apoc. XI, 6. ἵνα μὴ βρέχῃ ὑετός.) imber, pluvia, nimbus.

ὄμμα· ὀφθαλμός· v. βλέπω.

ὅμοιος· ὁμοίως· v. ἴσως.

ὁμοίωμα· ὁμοιότης· (ὁμοίωσις.) Male dicunt haec tria idem significare. ὁμοιότης est ipsa similitudo, *die Aehnlichkeit*, ὁμοίωσις imago, ad quam aliquid conformatur, ὁμοίωμα ipsum simulacrum.

ὁμολογέω· συμφωνέω· σύμφημι.

ὄνειδος· αἰσχύνη. ὄνειδος est, quod ab aliis tibi exprobratur. Luc. I, 25. αἰσχύνη (αἶσχος) cuius te ipsum pudere oportet. *Schmach und Schande.* Sterilitas ὄνειδος erat inter Iudaeos.

ὄντως· ἀληθῶς. ὄντως dicitur, quum quid omnino *esse* cogitamus. ἀληθῶς, quum *tale esse* agnoscimus, quale esse cogitatur. Matth. XI, 32. ὅτι ὄντως προφήτης ἦν, revera est propheta. Luc. XXIII, 47. ὄντως ὁ ἄνθρωπος οὗτος δίκαιος ἦν, hic homo revera erat iustus. Sed Ioh. I, 48. ἴδε ἀληθῶς Ἰσραηλίτης, en verum Israelitam. Si scriptum esset ὄντως Ἰσρ. inepta sententia prodiret; *da ist wirklich ein Israelit.* Xenoph. Hist. Gr. III, 4. 17. IV, 8. 4. ὄντως refertur ad verbum, ἀληθῶς ad obiectum. (Vide de usitatiori τῷ ὄντι.) Lucian. III. Dial. mer. XI. 310. fin. ἀληθῶς συνῶμεν. Euripid. Alc. v. 805. ὁ βίος ἀληθῶς οὐ βίος. Iph. Aul. v. 1622. ἔχει ὄντως ἐν θεοῖς ὁμιλίαν. Ion. v. 223.

ὀξύς· ταχύς. ὀξύς est pp. qui aptus est (acutus), ut brevi tempore aliquo penetret, (δρόμος ὀξύς *ein scharfer Lauf.*) ταχύς, qui celeriter aliquo tendit. Illud motum indicat (*schnell*) hoc tempus (*geschwind.*)

ὀπή· σπήλαιον. Hebr. XI, 38. caverna — spelunca. vid. Valckenaer. ad Lennep. Etymol. L. Gr. p. 912.

ὁπότε· ὅτε. Non idem significant. ὁπότε respondet nostris: *damal als*, *wenn einmal*, ὅτε simplici *als* et *wenn.* Luc. VI, 3. ἐποίησε Δαβὶδ, ὁπότε ἐπείνασε, fecit tunc quum esuriret. Si scriptum esset, ὅτε ἐπείνασε, incertum esset an non saepius hoc fecerit, sed fecit semel tantum. Contra Matth. XXI, 34. ὅτε ἤγγισε ὁ καιρὸς τῶν καρπῶν, ἀπέστειλε τοὺς δούλους, scribi non poterat ὁπότε ἤγ-

γισε, i. e. quum *aliquando* adesset etc. Manifestum est discrimen in loco Homeri Iliad. o. v. 230. *Πῆ ἔβαν εὐχωλαὶ, ὅτε δὴ φάμεν εἶναι ἄριστοι, ἃς ὁπότ' ἐν λήμνῳ κενεαυχέες ἠγοράασθε.* vid. Hoogeveen. de Part. p. 827. Hermann. ad Viger. p. 916.

ὅπου· οὗ.

ὄπτομαι· v. βλέπω.

ὅπως· ὥςτε· ἵνα.

(ὅραμα· ὅρασις.)

ὁράω· v. βλέπω.

ὀργή· θυμός.

ὀρέγομαι· ἐπιθυμοῦμαι. ὄρεξις· ἐπιθυμία.

ὀρθρινός· πρωϊνός· (ὄρθριος· πρώϊμος· πρώϊος.)

ὁρίζω· τάσσω.

(ὁρκωμοσία· ὅρκος.) ὁρκωμοσία est solemnis affirmatio s. promissio, quae fit ὅρκῳ. Recte ponitur Hebr. VII, 20. 21. 28. Non est idem quod ὅρκος.

ὅσιος· ὁσιότης· ὁσίως. v. ἅγιος.

(ὅταν· ὅτε.)

οὐ· οὐχὶ et reliqua v. μή.

οὗ v. ὅπου.

ὀφειλέτης· χρεωφειλέτης. Illud latius patet. Rom. I, 14. VIII, 12. Gal. V, 3. etc.

(ὀφειλή· ὀφείλημα.)

ὀφθαλμός· ὄμμα v. βλέπω.

ὄψιμος· ὄψιος. *vespertinus, serus.* ὀψίας γενομένης — ὑετὸς ὄψιμος.

ὄψις. v. βλέπω.

παιδαγωγός· παιδευτής. Non in v. παιδαγωγός inest notio durioris disciplinae, (1. Cor. IV, 15. Gal. III, 24. 25.) sed potius in v. παιδευτής. Hebr. XII, 9.

παίω· v. τύπτω.

παλαιός· ἀρχαῖος. *παλαιός* est, qui dudum fuit, *vetus.* *ἀρχαῖος*, qui ab initio fuit, priscus, antiquus.

παλαιόω· ἀκυρόω. Hebr. VIII, 13.

πανουργία· ῥᾳδιουργία· δόλος.

παράβασις· παρακοή. Hebr. II, 2. Rom. IV, 15.

παραγγέλλω· v. *διασαφεῖν.*

παρακαλέω· παραμυθέομαι (*παρηγορία.*) 1. Thess. II, 11. Coloss. IV, 11.

παρακύπτω· ἐμβλέπω. Luc. XXIV, 12. Ioh. XX, 5. 11. Iacob. I, 25. Vix synonyma haberi possent, nisi plerumque illud iungeretur cum actione videndi. Sed proprie ei non inest notio visus. Ioh. VIII, 6: Neque inest ellipsis.

παράλιος· παραθαλάσσιος. Matth. IV, 13. Luc. VI, 17. ita differre videntur, ut *παράλιος* opponatur *τῷ μεσογείῳ*, et dicatur de regionibus maritimis, sed *παραθαλάσσιος* de iis quae sunt in litore maris, urbibus, hominibus etc. Thucyd. I, 5. *τῶν βαρβάρων οἱ ἐν ἠπείρῳ παραθαλάσσιοι,* conf. II, 56.

παραμυθέομαι· v. *παρακαλέω.*

παρανομία· παράβασις· παράπτωμα· ἀνομία v. *ἀδικία.*

παρασκευάζω· ἑτοιμάζω. Utrumque parare denotat: sed *ἑτοιμάζειν* est parare aliquid, ut adsit, *παρασκευάζειν*, ut aptum sit.

παραυτίκα· παραχρῆμα. *παραυτίκα* fit, quod in praesenti fit. Polyb. II, 35. *παραυτίκα μὲν ἔμειναν, μετὰ δὲ ταῦτα.* — 2. Cor. IV, 17. *τὸ παραυτίκα τῆς θλίψεως.* Thucyd. II, 64. IV, 54. *τὸ παραυτίκα καὶ τὸ ἔπειτα.* *παραχρῆμα* fit, quod statim fit, quum aliud quid factum est. Matth. XXII, 60. etc. Thucyd. I, 22. *ἐς τὸ παραχρῆμα ἀκούειν.* II, 17. conf. Polyb. III, 31.

παραφέρομαι· περιφέρομαι. Hebr. XIII, 9. Differunt sane, *hin und her — herum treiben.* Sic nos quoque de nubibus. Ep. Iud. v. 12.

παρεπίδημος· πάροικος· v. *ξένος.*

παρέρχομαι· παραπορεύομαι. vid. *ἔρχομαι.* Proprie dicitur Matth. VIII, 28.

πάρεσις· ἄφεσις. Illud uno tantum loco, Rom. III, 25. in reliquis *ἄφεσις.* Scite Alberti in Glossario p. 97. observavit, Apostolum studio hoc tantum loco adhibuisse videri vocem *πάρεσιν,* quam commode *praetermissionem* vertas. Errat, qui dicit, errare eos, qui differentiam statuant. Scilicet longe aliud est, de quo Ap. h. l. loquitur, quam quum *ἄφεσιν* celebrat. Nolo *δογματίζεσθαι* in interpretatione; sed nunquam credam, Apostolum, qui semper v. *ἄφεσις* utitur, etiam in ipsa ad Rom. epistola, hoc uno loco temere *πάρεσιν* scripsisse. Nimirum sententia Ap. haec est: deus *προέθετο ἱλαστήριον,* ad indulgentiam suam demonstrandam propter s. ob praetermissionem *τῶν προγεγονότων ἁμαρτημάτων,* i. e. ut praetermitteret, missa faceret peccata olim, i. e. sub lege, commissa. Non poterat autem locum habere haec *πάρεσις,* nisi per Christum: ergo ostendit *τὴν δικαιοσύνην αὐτοῦ διὰ τὴν πάρεσιν.* Non scripsit *διὰ τῆς παρέσεως,* sed *διὰ τὴν π.* Nam *ἡ πρώτη διαθήκη* sublata est per Christum. Hebr. IX, 15. Sed de his alias. In eiusmodi vv. saepe erratum est. Similia sunt, sed non idem significant.

παροιμία· παραβολή.

παροξύνομαι· παροργίζομαι.

πᾶς v. *ὅλος.*

πατάσσω· παίω· πλήσσω· v. *τύπτω.*

παχύνομαι· πωροῦμαι. Utrumque metaphor. de men-

tis animique hebetudine dicitur. Sed sic differre videntur, ut *παχύνεσθαι* indicet mentem, quae ipsa tarde se movere potest, *πωροῦσθαι* animum, qui quasi callo obductus, rebus aliis parum aut nihil movetur. *παχύς* est tardus. (opp. *πυκνός*) *πεπωρωμένος*, qui sensu caret, hebes. *πεπώρωνται οἱ ὀφθαλμοί* Iob. XVII, 7. quasi callo obducti. Hinc Suidas. *πώρωσις· τύφλωσις*.

(*πείθομαι· πιστεύω*.)

πειράω· πειράζω. *πειράζειν* plerumque in malam partem dicitur. (etiam Act. XVI, 7. de *irrito* consilio.) *πειραζόμενος* est, qui malis pressus ad peccandum incitatur, *πειρώμενος*, qui iam expertus est mala, iisque ferendis exercitatus.

πένθος· λύπη.

πένης· πτωχός. pauper. mendicus.

πέρας· τέλος. *πέρας* pp. loci est, *τέλος* temporis. *πέρας ἀντιλογίας* Hebr. VI, 16. Ad hunc locum spectat glossa Hesychii: *πέρας .. καὶ ἡ λύσις*, nec debet sollicitari.

περιαιρέω· ἀφαιρέω (*ἁμαρτίας*) vid. Hebr. X, 4, 11. sacrificia non possunt unquam prorsus tollere peccata, ideoque repetenda sunt.

περιβάλλω· v. *ἐνδύω*.

περιβόλαιον· v. *ἔνδυμα*.

περικάθαρμα· περίψημα. 1. Cor. IV, 23. Notandum erat, non simpliciter dici, sed addi *κόσμου* et *πάντων*, De hominibus, qui a plerisque tamquam pessimi contemnuntur, comparari possent nostra, *Auswurf* et *Abschaum*.

περιφρονεῖν· καταφρονεῖν.

πιστεύω. v. *πείθομαι*.

πλάνη· ἀπάτη· δόλος· ψεῦδος.

πλεονεξία· φιλαργυρία. Longe peior est ἡ *πλεονεξία*.

Coloss. III, 5. dicitur *εἰδωλολατρεία*, est aviditas, s. amor sceleratus habendi, *Selbstsucht*, verissima *εἰδωλολατρεία*. Apud Herodot. VII, 149. denotat arrogantiam, et *λόγος πλεονέκτης* eodem sensu ibid. c. 158.

πλῆθος· v. *ὄχλος*.

πλήν. De hac part., quam dicunt vulgo vicem sustinere diversissimarum particularum, *ἀλλά*, *ὅμως*, *ἄρα*, *μόνον* etc. vide Hoogeven.

πληροῦν· *τελειοῦν*.

πνεῦμα· *ψυχή*.

ποιέω· *πράσσω*· *ἐργάζομαι*.

πολεμέω· *μάχομαι*. *πόλεμος*· *μάχη*.

(*πολυμερῶς*· *πολυτρόπως*.) Hebr. I, 1. Recte Lutherus: *manchmal und mancherley Weise*. Glossar. Gr. Alberti *πολυμερῶς*· *διὰ πλειόνων* sc. *χρόνων*.

πολυτελής· *πολύτιμος*. Marc. XIV, 3. Ioh. XII, 3.

πονηρία· *κακία*· *πονηρός*· *κακός*.

πόσος· *ποταπός*.

πρᾶγμα· *ἔργον*· *πρᾶξις*.

πραότης· *πραΰτης*. v. *ἤπιος*.

πράσσω· *ποιέω*. Differunt fere ut nostra *thun* et *machen*. *agere* et *facere*. Quintil. II, 18. 1. Tertium est *ἐργάζεσθαι*, quod proxime accedere videtur ad nostrum *handeln*, eo sensu, quo significat *thätig seyn*. *ὁ πατήρ μου ἕως ἄρτι ἐργάζεται*. Dicitur sine obiecti notitia, illa non possunt. *εὖ* (*καλῶς*, *κακῶς* etc.) *ποιεῖν*, *πράσσειν* (*ἔχειν*) certissime differunt.

πρέπει, *χρή*· v. *δεῖ*.

προγινώσκειν· *προορίζειν*· (*ὡρίζειν*.)

προείδω· *προγινώσκω*.

προείπω: *προερέω*· *προλέγω* v. *λαλέω*.

προσδέχομαι· *προσλαμβάνω*.

προςδέχομαι· v. ἐκδέχομαι. Differunt ut nostra *erwarten* et *abwarten*.

προςευχή· v. δέησις.

προςέχω· v. φυλάττομαι.

πρόςκομμα· σκάνδαλον. Rom. XIV, 13. πρόςκομμα ἢ σκάνδαλον. v. 20. διὰ προςκόμματος ἐσθίειν; differunt ut nostra *Anstoss* et *Aergerniss*. v. 21. προςκόπτει ἢ σκανδαλίζεται.

πρόφασις· ἀφορμή. 1. Tim. V, 14. ἀφορμὴν διδόναι. vid. Valckenar. de Aristobul. p. 65. De v. πρόφασις recte Schol. Euripid. Hec. v. 43. proprie non est occasio s. causa. αἰτία est causa, ἀφορμή *Veranlassung*, *Anlass*, πρόφασις *Vorwand*, *Gelegenheit*.

πταίω· ἁμαρτάνω. πίπτω. Rom. XI, 11. μὴ ἔπταισαν ἵνα πέσωσι.

πτοέομαι· πτύρομαι. ἔμφοβος γίνομαι. Luc. XXIV, 37. πτόησιν φοβεῖσθαι, 1. Petr. III, 6.

πτωχός· v. πένης.

πύλη· (πυλών·) v. θύρα.

πυνθάνομαι· ἐρωτάω. Conveniunt in notione sciscitandi, sed differunt; nusquam permutari possunt. Neque temere πυνθάνεσθαι in medio tantum dicitur; *sich erkundigen*.

πυρόω· v. καίω.

ῥαβδίζω· ῥαπίζω. Hoc latius patet usu. κολαφίζω. Matth. XXVI, 67. Matth. V, 39. vid. Henr. Steph. in Append. de Dial. Att. c. 4.

ῥᾳδιουργία· δόλος. Act. XIII, 10. v. πανουργία.

ῥῆμα· λόγος. ῥῆμα *verbum* est, sed λόγος res ipsa, quae verbis inest, sermo, oratio. Manifestum est discrimen in usu pluralis. ῥήματα θεοῦ dicuntur non λόγοι τ. θ.

ῥομφαία· ξίφος· μάχαιρα. Proprie ita differre vi-

dentur, ut ξίφος sit, quo punctim, μάχαιρα, qua caesim hostis petitur. ῥομφαία secundum Hesych. fuit ensis longior Thracicus vid. Eustath. ad Iliad. N. v. 577. In N. T. μάχαιρα, *gladius*, suo loco ponuntur. μάχαιραν φορεῖν. Rom. XIII, 4. (ius gladii) ξίφος non occurrit, sed eius loco est ῥομφαία. Apoc. I, 6. ῥομφ. δίστομος. Luc. II, 35. τὴν ψυχὴν σοῦ διελεύσεται ῥομφαία.

ῥύπος· σπῖλος.

ῥύω· σώζω· ἐλευθερόω· λυτρόω.

σαίνω· κολακεύω. ad 1. Thess. III, 3. σαίνεσθαι ἐν θλίψεσι, est, in calamitatibus blanda vitae commodioris spe et desiderio pellici, ut deseras officium. Nunquam θορυβεῖσθαι (ut Chrysostomus) aut ταράττεσθαι denotat. Alieni sunt loci, qui afferuntur. Recte Elsnerus ad h. l.

σαλεύω· σείω· ταράσσω.

σαρκικός· ψυχικός. (σάρκινος.)

σείω v. σαλεύω.

σημαίνω· δεικνύω· σημειόω.

σημεῖον· τέρας· τεκμήριον.

σθενόω· στηρίζω· δυναμόω· ἐνισχύω.

σιγάομαι· σιωπάω. vid. Ammon. v. σιωπή. σιγᾶσθαι est *tacere*, σιωπᾶν *silere*. Luc. IX, 36. ἐσίγησαν, καὶ οὐδενὶ ἀπήγγειλαν. XX, 26. θαυμάσαντες ἐσίγησαν. Act. XII, 17. κατασείσας σιγᾶν. Luc. I, 20. ἔσῃ σιωπῶν καὶ μὴ δυνάμενος λαλῆσαι. Act. XVIII, 9. λάλει καὶ μὴ σιωπήσῃς. vid. Valckenar. ad Lennep. Etym. p. 883.

σκηνή· σκῆνος· σκήνωμα.

σκιρτάω· ἅλλομαι.

σκληρός· v. αὐστηρός.

σκοπέω. v. βλέπω.

σκοτία· (σκότος) v. ζόφος.

σοφία· γνῶσις· φρόνησις. Eph. I, 8. Aristot. Ethic. Lib. I. c. ult. Conf. Raphel. Ann. Polyb.

σοφὸς· συνετός. σοφία. σύνεσις.

σπῖλος· v. ῥύπος.

σπλάγχνα· οἰκτιρμοί.

σποδός· τέφρα. (κόνις.)

σπουδάζω· σπεύδω. σπεύδειν est *festinare* (de tempore) σπουδάζειν *properare* i. e. festinanter et sedulo aliquid *facere*. 2. Petr. III, 12. προσδοκῶντας καὶ σπεύδοντας, i. e. acriter et avide exspectantes, quod est festinantium. Recte Lutherus Eph. IV, 3. σπουδάζοντες τηρεῖν τ. ἑνότητα τ. πίστεως. *Seyd fleissig*, sedulo date operam. conf. 2. Tim., II, 5. Inest tamen etiam v. σπουδάζειν notio festinationis s. potius sedulitatis.

στενοχωρέομαι. θλίβομαι. 2. Cor. VI, 8. ἐν παντὶ θλιβόμενοι, ἀλλ' οὐ στενοχωρούμενοι. Quum metaphorice dicuntur, θλίβεσθαι dicitur, premi (undique) vexari malis, sed στενοχωρεῖσθαι de iis, qui ita in angustiis versantur, ut de exitu desperent. Egregie Lutherus 2. Cor. VI, 12. *sich ängsten*. Rom. VII, 9. θλίψις καὶ στενοχωρία, *Trübsal und Angst*.

στενοχωρία· θλίψις.

στερεόω· στηρίζω· σθενόω. *Solidum* reddere, *firmum* sistere, ponere collocare — *robustum* facere. στηρίζειν πρόσωπον αὐτοῦ, non est obfirmare faciem, quod nihili est, sed firme intendere faciem ad aliquid, *sich etwas fest vornehmen*. Luc. XIX, 51. quasi figere oculos aliquo, tamquam in metam. Apud Themist. Or. XIII. πρός σε ἀτενίζειν καὶ ἐπιστηρίζειν τὼ ὀφθαλμώ.

συγκρίνω· ἐγκρίνω. 2. Cor. X, 12.

συγχύω· ταράσσω, ἐξίστημι.

συμπαθέω· συνωδίνω· συστενάζω.

σύμψυχοι. ὁμόφρονες· τὸ ἓν φρονοῦντες.

συνεργέω· v. βοηθέω.

συνεσθίω· συμφάγω· (συνδειπνέω.) vid. simplicia.

συνετός· v. σοφός.

συνευδοκέω· συνήδομαι. In v. συνήδομαι inest non solum notio probandi, quae est in v. συνευδοκέω, sed etiam laetandi, voluptatem capiendi ex aliqua re. Paulus probaverat quidem caedem Stephani, iustam putaverat, ἦν συνευδοκῶν, Act. VIII, 1. sed non dicitur laetatus esse eo facinore. Contra ipse scripsit Rom. VII, 22. συνήδομαι τῷ νόμῳ, voluptatem ex ea capio . . Nescio, quibus exemplis demonstrent, in v. συνευδοκεῖν inesse etiam notionem oblectationis.

συνιέναι· νοεῖν. Differunt ut nostra: *verstehn* et *merken*. Marc. VIII, 17. οὔπω νοεῖτε οὐδὲ συνίετε. Eodem modo differunt ἀσύνετος et ἀνόητος, de quibus supra.

συντάσσω· προστάσσω· ἐντέλλομαι. προστάσσει, qui rem ipsam praecipit; συντάσσει qui etiam modum faciendi praescribit. Nam Matth. I, 24. ἐποίησεν ὡς προσέταξεν ὁ ἄγγελος, sensus est: fecit id quod iusserat ang. ut VIII, 4. προσένεγκε τὸ δῶρον, ὃ προσέταξε μωσῆς. Contra XXVI, 19. ἐποίησαν ὡς συνέταξεν. et XXVII, 10. manifesta est notio, quam dixi. Sed ἐντέλλεσθαι est dare mandatum et potestatem aliquid faciendi. Matth. XXVIII, 20. Vid. Hebr. IX, 20. Moses scilicet acceperat *mandatum* feriendi foederis, διαθήκης ἧς ἐνετείλατο πρὸς αὐτοὺς ὁ θεός, quod mandavit deus facere vobiscum. Nec putem, temere Apostolum pro v. διέθετο, quod habent Alex., et usitatiori, imo solemni in hac causa, scripsisse ἐνετείλατο.

(συντέμνω· συντελέω.) Rom. IX, 28. Sequutus est Ap.

Alexandrinos, qui toto coelo ab hebr. aberrarunt. Sed λόγον illi non dixerunt pro decreto.

συνωδύνω· συμπάσχω· συστενάζω.

σύρω· v. ἑλκύω.

ταλαιπωρία· στενοχωρία. vid. στενοχωρέομαι. In vv. ταλαιπωρέω, ταλαιπωρία, ταλαιπωρός, inest potissimum miseriae, quae ex nimio labore [quo frustra defatigamur,] nascitur, notio. Recte Rom. VII, 24. ταλαιπωρὸς ἐγὼ ἄνθρωπος, *mühselig*, qui frustra laboro.

ταράσσω· τυρβάζω. Luc. X, 41. vid. Schol. Aristoph. Equ. v. 311.

τάσσω· ὁρίζω.

τάχα· ταχέως· ταχύ. vid. εὐθέως.

τεκμήριον· τέρας v. σημεῖον.

τελειόω· πληρόω· (τελέω.) τελειοῦν est perficere, ut nihil faciendum restet, sed res, opus, τέλειον sit. πληροῦν est complere rem, ut ei nihil desit. Matth. I, 22. et al. ἵνα πληρωθῇ τὸ ῥηθέν. Apud Iohannem tantum semel XIX, 28. ἵνα τελειωθῇ. Vide formulas τετελειωμένοι (εἰς ἓν. Ioh. XVII, 23.) πεπληρωμένοι, quomodo differant. τελεοῦν est finire, ad finem et exitum perducere, peragere. Differt a prioribus formula Luc. XVIII, 31. τελεσθήσεται πάντα τὰ γεγραμμένα et aliae.

τέρας v. σημεῖον.

τέφρα· v. σποδός.

τίκτειν· v. γεννᾶν.

τιμάω· τίω· v. ἀξιόω.

τοίνυν· v. ἄρα.

τόπος· χώρα. Quamquam τόπος dici potest pro χώρα, tamen χώρα non ponitur pro τόπος. Matth. IV, 16. Ioh. XI, 54. τόπος convenit nostro *Ort*, χώρα est *Platz*, (*Gegend.*) Posteriori inest notio spatii.

τρυφάω· σπαταλάω. Iacob. V, 5. *τρυφᾶν* potius *mollitiem* vitae luxuriosae, *σπαταλᾶν petulantiam* et *prodigalitatem* denotat. Corrige Suidam: *σπατάλη ἡ τροφή.* Leg. *τρυφή.* Hesych. *σπαταλᾷ· τρυφᾷ.* 2. Petr. II, 13. *ἡδονὴν ἡγούμενοι τὴν ἐν ἡμέρᾳ τρυφήν.* 1. Tim. V, 6.

τρώγω· φάγω v. *ἐσθίω.*

τύπτω· πλήσσω.

τυρβάζεσθαι· v. *ταράσσεσθαι.*

ὕβρις· ὑπερηφανία· ὑβριστής.

ὕπαρξις· κτῆμα. Act. II, 45. V, 1. 3. 8. Illud latius patet; estque scriptorum seriorum: veteres *τὰ ὑπάρχοντα*, ut alias in N. T.

ὑπάρχω· εἰμί. differunt sic, ut *εἶναι* simpliciter *esse*, *ὑπάρχειν* conditionem aliquam denotet, qua quis esse cogitatur. *ὑπάρχειν ἔν τινι*, et *ὑπάρχει μοι.*

ὑπακούω· πείθομαι· ὑπείκω. Conveniunt in notione obsequii, Sed *ὑπακούειν* (proprio sensu Act. XII, 13.) est dicto obtemperare, *gehorchen*; *πείθεσθαι* monita sequi, *folgen*; *ὑπείκειν* vi s. auctoritati cedere, *unterthänig seyn.* Hebr. XIII, 17.

ὑπεναντίος· v. *ἀντίδικος. ὑπεναντίος* et *ἐναντίος* certe sic differunt, ut illud denotet adversarium, nulla manifestae vis notione, s. potius contrarium.

ὑπερέχω· διαφέρω· (*τινός.*) *ὑπερέχειν* est excellere aliqua re, *διαφέρειν τινός* aliquo esse praestantiorem. Philipp. III, 8. *τὸ ὑπερέχον τῆς γνώσεως Χρ.* non est praestantissima cognitio Chr. sed ipsa excellentia cognitionis. Haec excellentia causa est, cur omnium bonorum reliquorum iacturam faciendam esse putet.

ὑπερηφανία. v. *ὕβρις.*

ὑπηρέτης· v. *δοῦλος.*

ὑπόδημα· σανδάλιον. Vulgo dicunt in N. T. pro-

miscue dici de eadem re. Sed dicant illi, cur his tantum Marc. VI, 9. Act. XII, 8. σανδάλια tribuantur iter facientibus, ὑποδήματα nusquam. Et Marc. VI, 9. *iubet* dominus Apostolos pedes tantum munire sandaliis, sed Matth. X, 10. Luc. X, 4., de apparatu itineris ibidem loquutus, vetat ὑποδήματα. Scilicet ὑποδήματα sunt pr. *soleae*, quae commoditatis causa pedibus subligabantur extra domum, in spectaculum, coenam etc. euntibus, servisque custodiendae aut ferendae tradebantur (βαστάζειν τὰ ὑποδήματα Matth. III, 11. coll. Luc. III, 16.). Sed sandalia *caligae* erant, quae non plantam tandum pedis, sed ipsum pedem usque ad taleam tegebant, quibus et in itinere, et ornatis mollibusque delicatiores utebantur. Caligis s. sandaliis, non autem soleis, in itinere opus erat.

ὑποκρίνομαι· ὑποστέλλομαι. simulo, fingo — dissimulo, reticeo. Plut. de discr. ad. et am. μηδὲν ὑποστέλλεσθαι μηδ' ἀποσιωπᾶν τῶν συμφερόντων.

ὑπολαμβάνω· v. ἀποκρίνομαι.

ὑπομένω· ὑπέχω. ὑπέχειν (semel Ep. Iud. v. 7.) simpliciter est sustinere, δίκην ὑπέχειν, luere poenam; sed ὑπομένειν animum in perferendo significat. Vid. sequ.

ὑπομονή· v. ἀνοχή. ἀνέχεσθαι de iis dicitur, qui *se ipsos* cohibent, quo minus indignentur aut ulsciscantur. Itaque ἀνοχὴ τοῦ θεοῦ Rom. III, 26. in tolerandis, nec statim ulsciscendis peccatis sita est, et Rom. II, 4. iunguntur ἀνοχή et μακροθυμία. ὑπομονή ipsam animi constantiam et patientiam denotat. Quare non dicitur ὑπομονὴ τ. θεοῦ. Sed θεὸς τῆς ὑπομονῆς Rom. XV, 5. non est deus, qui *postulat*, sed qui *largitur* ὑπομονήν, ut θεὸς τῆς εἰρήνης. ἀνέχεσθαι est no-

strum *ertragen*, (ἀνέχεσθαι ἀφρόνων.) ὑπομένειν, *geduldig*, *ruhig*, *ausharren*.

ὑποστέλλομαι· v. ὑποκρίνομαι.

φάγω. v. ἐσθίω.

φαῦλος· κακός. φαῦλα πράσσειν. φαῦλον πρᾶγμα. φαῦλον εἰπεῖν περί τινος. φαῦλος est nostrum *schlecht*. εὐτελής. οὐδαμινός. Vid. Thom. M. Ruhnken. ad Timaeum, et Menag. ad Diog. Laert. III, 63.

φέρω· v. αἴρω.

φημί· v. λαλέω.

φθόγγος· φωνή. Illud 1. Cor. XIV, 7. de ipsa voce, ut videtur, Rom. X, 15. φθέγγεσθαι est sonum aliquem edere. φωνεῖν vocem edere, potissimum humanam. 2. Petr. II, 16. ὑποζύγιον ἄφωνον ἐν ἀνθρώπου φωνῇ φθεγξάμενον. φθόγγος *Ton*, φωνή *Stimme*.

φιλέω· v. ἀγαπάω.

φρόνησις· v. σοφία. φρόνιμος. σοφός.

φροντίζειν· v. μεριμνᾶν.

φρουρεῖν· φυλάσσειν.

φυλάσσεσθαι· ὁρᾶν· προσέχειν. Qui φυλάσσεται, is ὁρᾷ (μή) et προσέχει. Matth: XVI, 6.

φωνή· v. φθόγγος.

χρή· v. δεῖ.

χρηστός. χρήσιμος. χρηστός est benignus, ad benefaciendum aptus et paratus. Hinc ζυγὸς χρηστός Matth. XI. 30. non est iugum suave (melius Lutherus: *sanft*,) sed *benignum*. conf. Luc. V, 39. χρηστότης τ. θεοῦ est benignitas dei, ad benefaciendum hominibus potius parata, quam ad puniendum. Differt a v. χάρις. In hac enim, certe in N. T., imperat notio benevolentiae et gratiae, quae nihil merentibus bene facit. χρήσιμος est utilis· vid. ἀχρεῖος.

χρόνος· v. αἰών.

χωλός· κυλλός. Quamquam χωλός latius patet, dicitur enim etiam de manibus ut nostrum *lahm*, tamen κυλλός in N. T. de manibus dicitur proprie Matth. XVIII, 8. Marc. IX, 43.

χώρα· v. τόπος.

χωρεῖν· δέχεσθαι. χωρεῖν est capere (spatium) δέχεσθαι sumere (ad se) excipere. Itaque dicitur χωρεῖν cum accusativo rei quae capitur. Ioh. II, 6. XXI, 25. Matth. XIX, 11. sed etiam sine obiecto (neutraliter dicunt) cum sola notione loci quam res capit., χωρεῖν εἴς τι, ἐν τινί, habetque significationem eundi, locum capiendi. (apud Homer. cedendi, desistendi). unde ἀναχωρεῖν.

χωρίς· v. ἄνευ.

ψεῦδος· v. ἀπάτη.

ψιθυρισμός· καταλαλία· ψιθυριστής· κατάλαλος.

ψυχή· πνεῦμα. Quum de homine dicuntur, ita differunt, ut nostra: *Seele* et *Geist*. πνεῦμα ipsam naturam spiritualem denotat, ψυχή vim animalem, qua vivimus, sentimus etc. Hinc ψυχικοί parum differunt a σαρκικοῖς (nam naturalis homo φρονεῖ τὰ τῆς σαρκός) sed opponuntur τοῖς πνευματικοῖς. ψυχή anima est, qua vivimus, πνεῦμα animus, quo sapimus. Sed usus vitae communis non semper servat discrimina verborum, quibus res, quae sensu tantum percipi possunt, iudicantur. Nos quoque dicimus: *Unsterblichkeit der Seele.*

ψυχικός· v. σαρκικός.

ὠδίν· ὀδύνη. ὠδίν propria significatione accipiendum etiam Act. II, 24. Suidas totum locum Psalmi explicat. Respondet hebr. חֵבֶל, quod ipsum quoque de doloribus parturientium dicitur. (semel de

aliis doloribus Hiob. XXI, 16.) neque confundi debebat cum חֶבֶל, quod funem denotat. [illegible]. Lamb. Bos. Exercitt. p. 69. et Valckenar. ad Lennep. Etymol. v. ὠδίν. Contra Steph. le Moyne ad Var. S. p. 296. sqq.

ὥρα· v. αἰών.

DE

SCRIPTORUM N. T. DILIGENTIA GRAMMATICA

RECTE AESTIMANDA.

Inter immortalia Lutheri de ecclesia Christi merita*), ad quorum memoriam animos nostros, Cives carissimi, diei, quae proxime instat, solemnitas revocabit, primum haud dubie locum obtinet hoc, quod divinae doctrinae fontes, per multa secula absconditos corruptosve, denuo ille aperuit, eorumque usum non magistris tantum, sed etiam Christianis omnibus vindicavit. Sed ut multa alia inchoata ille reliquit, ita etiam hoc negotium posteris tradidit, ut quos reddiderat fontes, his uti melius discerent, ipsamque doctrinam, ex illis fontibus haustam, ab omnibus humanarum opinionum commentis magis magisque liberarent. Quod non ab ipso Luthero confectum esse nemo mirabitur; quamquam in illo tale ingenium fuit, ut, nisi aliorum laborum gravissimorum multitudo virum divinum ab eo otio, quod antiquarum literarum studium quum maxime exposcit, avocasset, vera

*) Scriptus est hic libellus ad indicenda sacra die Reformationis celebranda a. cIↃIↃCCCXIII.

librorum N. T. interpretatione superior omnibus aequalibus futurus fuisse videatur: sed post tria fere secula, post tantosque virorum summorum labores, nondum certis legibus compositam esse artem interpretandi N. T., id tam mirum videri debet omnibus, ut, nisi et illius artis difficultates, et vitiorum, quibus ea etiamnum laborat, causas norint, vix crediturí sint. Ac difficultates quidem verae interpretationis N. T. quot quantaeque sint, quisque magis intelligit, quo diutius et diligentius in libris sacris tractandis versatus est; vitiorum, a quibus cavendum est, ea est ratio, ut quo quis exercitatior in scriptoribus N. T. explicandis sibi videatur, ab iis cavere sibi difficilius possit: crescunt enim usu, et diuturna consuetudine ita condiuntur, ut nisi quis optime praeparatus fuerit, perpetuo iis plus minusve urgeatur. Sed rara est eorum felicitas, quibus, quum adolescentia severo linguarum veterum studio imbuta esset, postea vitae labores tantum otii viriumque reliquerunt, ut omnibus interpretis N. T. officiis satisfacere possint: plerique enim, paucis admodum scriptoribus graecis olim perlectis, quum graecae linguae indolem nunquam perspexerint, Lexicis quantumvis male compositis acquiescere coguntur, et, quod vigente aetate neglexerunt, postea, aut libris, aut otio destituti, explere non possunt; philologi autem, qui ad N. T. interpretationem aptissimi videri possint, ita plerumque fastidire scripturae sacrae lectionem solent, eam ut Theologis lubentissime permittant. Quamquam enim dubitari cum Valckenario potest, an illi, si in solis scriptorum profanorum, quos vocant, monumentis artem suam exercuerint, a libris sacris emendandis et explicandis arcendi sint; (vid. *Valckenarii Orationes*, *Lugd. Bat. MDCCLXXXIV. p.* 288. *sq.*) maximopere tamen optandum est, ut theologi omnes, qui soli interpretes N. T. veluti legitimi habentur, magnorum illorum virorum, qui linguarum studio, doctrina excellenti,

ingenio sagaci, iudicandique virtute eminuerunt, quam simillimi haberi possint. Sed haec ipsa non levis causa videtur, cur ars interpretandi N. T. nondum omni ex parte satis bene constituta sit, quod subtilitatem grammaticam ab interprete N. T. alienam esse posse ac debere, haud pauci arbitrantur. Unde fit, ut in explicandis libris sacris legum grammaticarum et analogiae linguae aut nullam, aut non idoneam rationem ii quoque habeant, qui linguae graecae indolem optime perspexerunt, ideoque idem illis accidat, quod philologos a scriptura sacra tractanda absterrere solet. Nam quum ipsos scriptores N. T. ab illa grammatica diligentia, cuius leges natura linguae et probatissimorum scriptorum usu constitutae sunt, alienissimos fuisse putent, etiam in explicandis horum scriptorum libris, nullum aut certe perexiguum illarum legum usum esse existimant, imo a vera scriptorum sacrorum sententia reperienda longissime aberrare eum arbitrantur, qui eorum verba et dictiones ex graecae potissimum linguae legibus examinaverit. Itaque nunc ad hebraismos confugiendum esse praecipiunt, nunc, ubi nullum vident hebraismo locum esse, ad Alexandrinorum barbarum dicendi genus lectores revocant, denique si ne in hoc quidem simile quid reperiant, verba scriptorum sacrorum, quae ipsis quidem incongrue composita et contra leges linguae coniuncta videntur, ex nexu dictorum et scriptoris consilio explicare solent. Sed quum perniciosissima sit haec ratio, quippe quae et universam N. T. interpretationem incertam reddat et libros sacros cuiusvis interpretis arbitrio tradat, operae pretium fuerit, si *de scriptorum N. T. diligentia grammatica recte et liberaliter aestimanda* accuratius praecipiatur.

Ac primum quidem quibus rebus illam diligentiam grammaticam constare censeamus, perspicue explicandum est. Quod eo magis necessarium videtur,

quoniam non unus hoc loco error vitandus est. Itaque ante omnia monendum est, sermonem non esse de illa orationis elegantia, quam in oratoribus et poetis admiramur. Haec enim, quum partim verborum et dictionum delectu, partim sententiarum arte et ratione coniunctarum nexu constet, facile intelligitur, eam in scriptoribus sacris non magis quaerendam esse, quam in hominum indoctorum sermonibus desideretur. Nam verborum quidem elegans delectus primum postulat hoc, ut verborum copia adsit idonea, quae ad omnia, quae cogitata fuerint, exprimenda sufficiat, ita, ut non solum, quid cogitatum fuerit, sed etiam quo modo cogitatum sit, eodemque modo quo scriptor voluerit, intelligamus. Sed haec res tam est difficilis et tam varias causas habet, ut, licet ab eo exspectari debeat, qui dum publice scripta edit, ipse dicendi artem profitetur, tamen postulari non possit ab homine indocto, qui aut non praeparatus, quae subito dicere animus iusserit, eloquitur, aut scribere aliis, ab omni subtilitate alienis, cogitur, cuiusmodi sacros scriptores fuisse, nemo negaverit. Deinde ad verborum delectum elegantem etiam hoc requiritur, ut verborum copia, quae in lingua, qua quis utatur, reperitur, ad res, de quibus alii edocendi sunt, perspicue exprimendas, sufficiat; ne quis aut impropriis verbis praeter rationem uti, aut dictiones, quae cognatam tantum sententiam habeant, eligere cogatur. Quod quam saepe sacris scriptoribus accidere debuerit, non est quod copiosius ostendamus. Denique illa elegantia, quae verborum delectu constat, requirit animum, neque rerum novitate perculsum, neque magnitudine consilii gravius commotum, sed placide compositum, tranquillum, nunquam sui oblitum, certe eo tempore, quo, quae cogitata sunt, literis mandare quis adgreditur. Scriptores sacri autem, nec laudis cupidi, neque captantes auram popularem, imo id unum quaerentes, ut omnia πρὸς οἰκοδομήν fierent,

verborum elegantiam tanto minus curabant, quo magis rerum, aut ab aliis, in primis ab ipso divino magistro, gestarum, aut ab ipsis peragendarum, magnitudine concitatus incensusque esset animus. Sed quum orationis elegantia etiam sententiarum, arte et ratione coniunctarum, nexu et conciliatione constet, neminem facile futurum esse putamus, qui in N. T. scriptoribus eiusmodi elegantiam desideret, quae ab iis tantum scriptoribus abesse non potest, qui aut delectare alios maxime volunt, aut dum doceant, placere tamen potissimum cupiunt; quum ab iis, qui erudire tantum alios et ad rectum honestumque impellere auditores volunt, nihil requiratur amplius, quam ut perspicue et ad persuadendum apte loquantur: nam vis persuadendi non illis verborum illecebris, sed pondere sententiarum, animique, rerum gravissimarum sensu imbuti, ac divino veluti spiritu inflati virtute constat, ut verissime Paullus iudicavit 1. *Ep. ad Corinth. cap. II. v.* 4. Non vereor autem, ne sint, qui iniuriam scriptoribus sacris inferri dicant, quippe quod elegantissimae dictiones formaeque loquendi apud eos repeׄriantur, quae a male sedulis sermonis illorum scriptorum defensoribus quam cupide conquisitae fuerint, inter omnes constat. Singulae enim formulae elegantes orationem efficere elegantem non possunt. Sed uti multi, qui orationem male compositam elegantioribus formulis, ceu floribus, distinguunt, a vera latini sermonis elegantia quam maxime absunt, ita etiam eiusmodi venustis suavibusque modis loquendi nunquam efficietur, ut scriptores eam elegantiam adhibuisse videantur, ob quam oratores ac poetae celebrantur. Imo si qua est in scriptoribus N. T. orationis elegantia, haec est, quae nulla arte constat, sed ex ipsius animi simplicitate et magnitudine nascitur, et quo minus studiose quaesita est, eo certius graviusque audientium animos afficit; quam summam sane et admirabilem in sacris scriptoribus fuisse, inter peritos constat.

Ex his autem sponte intelligitur, nos, quum diligentiam grammaticam scriptorum N. T. liberalius aestimari velimus, nullo modo eorum opinioni favere, qui scriptores illos pura lingua graeca usos esse, studiose magis quam feliciter demonstrare voluerunt. Sed utinam omnes, qui de impura illorum scriptorum oratione graeca conquesti sunt, quae sit puritas linguae graecae, aut ipsi intellexissent, aut magis perspicue, quam vulgo factum est, docuissent. Quo facto multis longisque disputationibus non opus fuisset. Verum nunc quidem ea de re nihil dicemus, imo lubentius acquiescimus iis, quae prudentissime iam dudum I. A. Ernesti praecepit: *quaeri de verbis et phrasibus res exprimentibus eas, de quibus etiam Graeci vulgo loquuti sint, et an primum verba illa singula dicantur sensu eodem, quo Graeci dixerint, deinde phrases non modo habeant σύνταξιν Graecorum, sed etiam sensum, quem iis graeca consuetudo attribuerit.* [*in Instit. Int. N. T. Part. I. Sect. II. cap.* 3. §. 6.] Nam quod syntaxeos in hac quaestione mentionem vir summus fecit, id non sic intellexisse videtur, quasi puritas orationis ex verborum et dictionum legitima *constructione* potissimum aestimanda sit. Aliud est enim, grammaticis syntaxeos legibus obtemperare, aliud probatorum scriptorum hominumque studiis excultorum consuetudinem servare, ita ut res easdem, aut verbis, quibus illi usi sunt, aut eodem modo, aut certe simili et congrua ratione exprimamus. Quod an vere factum fuerit, non ita facile est recte diiudicare, ut vulgo existimant, quoniam consuetudo loquendi pura et recta, quantumvis libera videatur, tamen legibus necessariis adstricta est, quarum ratio aut usu obscurata aut linguae incrementis ita est mutata, ut nequeat ubique certo perspici. Unde fit, ut quibus verbis et phrasibus probatissimi scriptores usi fuerint, ea temere ab initio et quasi fortuito recepta multis videantur; qua opinione a vero nulla longius abesse

potest. Syntaxis autem, quae proprie vocatur, partium orationis omnium recte coniunctarum ratione constat, pendetque ex causis aliis, quam puritas orationis; quamquam utrique sunt quaedam communia: utriusque enim leges summae ex ratione, communi linguarum fonte, oriuntur. Itaque illam de orationis, qua N. T. scriptores usi sunt, puritate quaestionem ab hac disputatione nostra alienam esse, sedulo monemus, ne quis controversiam illam veterem a nobis temere redintegrari existimet. De grammatica tantum diligentia, in scriptoribus N. T. rectius et liberalius quaerenda et observanda dicemus, quae quibus rebus modisque constet, nunc facile explicari poterit.

Primum enim hoc quidem est in promtu, grammaticam scriptoris cuiuscunque diligentiam legibus grammaticis eius linguae, qua ille usus est, recte observatis constare, sed leges illae grammaticae, quae sint, quibusve causis nitantur, minus patere videtur. Nam qui leges grammaticas alicuius linguae explicant, hi plerumque omnem operam in eo absumunt, ut aut singulas singularum orationis partium formas modosque exponant, aut qua ratione eae ad integram sententiam exprimendam coniungi possint, demonstrent; sed cur hac nec alia ratione id fieri possit, pauci aperiunt, quin satis habent multorum exemplorum copia demonstrasse, a classicis scriptoribus plerumque ita fieri. Enimvero quamquam assidua plurimorum scriptorum lectione opus est, ut quas quaeque lingua syntaxeos leges habeat, recte observemus, tamen illarum legum causae non nisi ex ipsa indole linguae, cum necessaria cogitandi loquendique ratione, omnibus linguis communi, diligenter comparata, cognosci possunt. Sed qui causas legum grammaticarum ignoraverit, is ne usum quidem earum intelliget, nedum, quis modus earum sit, aut quatenus usu mutari possint, perspicue docebit. Quod multis accidit,

qui quum probe norint, quid plerumque fiat, sed cur fiat debeatque fieri, non intelligant, tum, quum id nonnunquam secus fieri videant, aut perturbati insolentia orationis, quo pacto id non fieri possit, non explicant, aut exceptionum, quae vocantur, farragine discentes perturbant. Quamobrem de legum grammaticarum causis et fontibus breviter dicendum est, priusquam demonstremus, quatenus eas etiam a N. T. scriptoribus observatas esse existimemus.

Sunt autem in unaquaque lingua duo legum genera, quorum primum habet eas, quae sunt ita necessariae, ut in omnibus linguis aut eadem aut similis earum ratio reperiatur, alterum iis legibus constat, quae ex cuiusque linguae propria indole nascuntur. Et illae quidem *necessariae* sunt, quoniam ex ipsa communi linguae humanae natura, id est ex ratione ipsa, oriuntur ideoque violari non possunt, sed semper observandae sunt: nam si quis secus diceret, quam illae leges postulant, is, quae cogitari simul non possunt, cogitare una auditores cogeret, veluti si pater diceret, ἐγέννησα σοῦ, aut si quis eum, qui filius est Philippi, φίλιππον παῖδα appellaret. Fieri enim non potest, ut, qui genuit quendam, is simul cogitetur causam gignendi in eo habere, quem genuit, quae est vis genitivi, aut qui filius Philippi cogitandus sit, is vere cogitetur filius, quum, esse eum patris, non indicatum sit. Harum legum necessaria ratio praesertim in praepositionibus graecis conspicua est, quae cur aut cum uno, aut cum duobus tribusve casibus coniungantur, causam necessariam ipsa eorum vis demonstrat. Nam si accurate perpendamus, quid quaeque praepositio proprie significet, non obscurum esse poterit, cur ἀπό, ἐξ et πρό cum genitivo tantum jungi possint, εἰς solum accusativum admittat, sed διά, κατά, modo cum genitivo, modo cum accusativo non possint tantum sed debeant construi. Sed sunt aliae quoque leges, quae, quoniam

ex cuiusque linguae peculiari indole nascuntur, et huic linguae propriae esse videntur, neque ita sunt necessariae, quin idonea ratio cogitari possit, cur, iis neglectis, integra tamen et congrua oratio sit. Unde fit, ut idiomata, quae sunt contra legem rationemque linguae usu introducta, [*vid. Hermannus de Idiom. L. Gr. ad Vigerum p.* 865. *ed. nov.*] pro vitiis haberi non possint, et qui soloecismi videri imperitis queant, elegantissima orationis σχήματα efficiant. [*conf. Apollonius Alex. de Syntaxi L. III. p.* 197. *sq. ed. Sylburg.*] Harum vero legum grammaticarum ratio quum latissime pateat, sed usu, qui iis saepissime adversatur magnopere obscuretur, mirandum non est, grammaticorum de hac syntaxeos parte praecepta, aut non intelligi ab iis, qui de linguarum indole ex casibus et numeris iudicant, aut non sufficere, ut, rectene an vitiose quis scripserit, certa ratione decernamus. Illud autem sponte intelligitur, in scriptoris cuiusque diligentia grammatica aestimanda, diversa illa legum grammaticarum genera discernenda esse. Nam si quis illas leges violaverit, quas recta ratio semper observare iubet, verendum est, ne non homo loquutus esse videatur, sin alterius generis leges neglexerit, an probabili ratione id fecerit, videndum est. Quamobrem de singulis legum grammaticarum generibus nos quoque seorsim dicemus.

Primum igitur *necessarias* linguae graecae leges a scriptoribus sacris observatas esse, quamquam per se quisque coniicere potest, (alioqui vix homines recta ratione praediti loquuti esse viderentur) rectius tamen, quam vulgo fit, animadvertendum est. Sunt enim, qui illarum legum observationem in N. T. interpretatione parum curent, et si scriptoris cuiusdam verba grammatice, id est ex legibus linguae, explicata, sententiam, aut a systemate, aut a sua ipsorum opinione alienam, prodant, nullam illarum legum ratio-

nem habeant, sed propria verborum vi neglecta, scriptorem dixisse contendant, quae talibus verbis nemo, sana mente praeditus, dicere unquam potuit. Ac possemus plurimis exemplis docere, quot falsae interpretationes, ex fuga orthodoxiae ortae, sola nitantur opinione eorum, qui quod nullas leges grammaticas, ne necessarias quidem, a scriptoribus sacris semper observatas esse putant, verba quaeque, quidquid ipsis placuerit, significare posse existimant. Sed quoniam interpretatio N. T. omni certa ratione prorsus caritura esset, si ne eas quidem linguae leges observemus, quas qui neglexerit, is ne recte cogitasse quidem videatur, aliquot exemplis demonstrabimus, leges eas quoque a sacris scriptoribus observatas esse, in quibus pauci diligentiam aut norunt aut desiderant. Dicemus autem quaedam de usu praepositionum: nulla est enim, ne repugnans quidem, significatio, quin quaeque praepositio eam in N. T. habere dicatur. Enimvero illorum scriptorum diligentiam grammaticam rectius aestimare discemus, si vel eas leges ab illis observatas viderimus, quae quantumvis necessariae sint, tamen a paucis necessariae habentur. Scilicet praepositionum, ut supra diximus, ea est natura, ut aut unum tantum casum regere possint, aut duos pluresve casus admittant, sic, ut pro varia ipsarum significatione, certum quendam casum necessario postulent. Sed quum contendimus, praepositionum naturam illam a scriptoribus sacris diligenter observatam esse, non veremur, ne quis eiusmodi subtilitatem indoctorum hominum orationi affingi a nobis existimet: imo cavendum est, ne, dum in sacris scriptoribus reperiri negemus, quae hominibus doctrina cultioribus propria esse videantur, illis eiusmodi vitia exprobremus, quae vix apud infimae plebis homines excusari possunt. Pendet autem, ut verissime *Hermannus* docuit (*de emend. ratione Graecae Gramm. p.* 162.) praepositionum vis non e casibus, quos regunt, sed e verbis, e quibus ipsae prae-

positiones pendent, explicanda est. Ex quo sequitur, ut eadem praepositio, vel si eandem habeat significationem quoad summam notionem rei eius, quae cogitatur, tamen diversum casum requirat, si verbo, ex quo pendet praepositio, mutetur modus, quo eius rei relatio cogitatur. Nam quum praepositiones notionum relationi, quae dicitur, accuratius indicandae inserviant, intelligitur, et cur omnino casus regant, et quae caúsa sit, cur aut unum casum regere possint, aut diversos regant casus, si verbo, ex quo pendent, modus cogitandi illam relationem mutetur. Aliae enim unum casum regunt, quoniam notio, quae verbo, ex quo pendent, inest, casum illum necessario postulat; est enim ea vis in his praepositionibus, ut si alii casui iungerentur, notio ipsa verbi contradiceret. Aliae autem plures casus regunt, quoniam notio, quae iis inest, eiusmodi est, ut in pluribus rerum relationibus, sed vario modo, cogitari possit; ex quo fit, ut cum verbis diversi generis, quae casus diversos regunt, coniungantur. Dicimus autem diversi generis verba, quibus significatur diversus modus, quo duarum rerum constat relatio. Sic εἶναι et ἔρχεσθαι diversi generis verba sunt: nam cum duarum rerum notiones verbo εἶναι copulamus, nihil aliud significamus, quam duas notiones aliquo modo coniunctas esse; ἔρχεσθαι autem motum proprie significat, quo mutatur relatio loci; motus autem triplici modo cogitari potest: (nam quod movetur, id aut in loco, aut ex loco, aut ad locum quendam moveri cogitatur) ergo tres casus quoque illud verbum regit, et praepositiones illas adsciscit, quibus diversae illae relationes cogitantur. Recte igitur diceretur quis ὑπὸ Ἴλιον εἶναι et ὑπ' Ἰλίῳ, quando est sub illo, sed qui cogitandus est in eum locum venire, ut sub Ilio sit, is ὑπὸ Ἴλιον ἔρχεσθαι dicendus est. Causa igitur, cur Homerus dixit: αἴσχιστος δὲ ἀνὴρ ὑπὸ Ἴλιον ἦλθε, in verbo ἦλθε quaerenda est. Quod si dixisset, ὑπὸ Ἰλίῳ ἦλθε, non significasset, eum sub

Ilium venisse, sed sub Ilio venisse in aliquem locum. Eadem ratione apud *Luc. VII.* 6. legitur ἵνα ὑπὸ τὴν στέγην εἰςέλθῃς. Sed alia ratio est horum locorum: *Marc. IV.* 32. ὑπὸ τὴν σκιὰν αὐτοῦ τὰ πετεινὰ τοῦ οὐρανοῦ κατασκηνοῦν. *Ioh. I.* 49. ὄντα ὑπὸ τὴν συκῆν. 1. *Cor. X.* 1. ὑπὸ τὴν νεφέλην ἦσαν. In his enim locis verba κατασκηνοῦν et εἶναι, non accusativum sed genitivum aut dativum requirere videntur, ita ut parum absit, quin contra leges linguae necessarias peccasse scriptores illos existimemus. Sed aut probabilis ratio est, cur in eiusmodi rerum relatione ὑπό cum accusativo iungatur, aut peccatum est ab optimis scriptoribus. Sic enim Xenophon [*Exped. Cyri III.* 4.] ὑφ' ἣν ἡ κατάβασις ἦν εἰς τὸ πεδίον. Et Herodotus (II, 187.) οὔτε γὰρ ὤκεοτι οἰκήματα ὑπὸ γῆν. Et apud Homerum aliosque, saepissime ὑπό cum accusativo construitur, quum verbum ipsum, ex quo pendet illa praepositio, dativum potius requirere videtur. Sed si quis omnia huiusmodi loca diligentius adspexerit, is facile animadvertet, accusativum positum esse, ut magis perspicuum esset, rem aut personam ita esse coniunctam cum alia re, ut haec illius accidens haberi et cogitari debeat. Quamobrem nomen, quod in accusativo positum est, plerumque tale est, quod aut locum, in quo aliquid sit fiatve, aut tempus quo fiat, denotet; accidit enim hoc necessario omnibus rebus, ut certo sint tempore aut loco. Itaque quum dicuntur illi ὑπὸ τὴν νεφέλην fuisse, (1. *Cor. X.* 1.) cogitandum est, dum illi in itinere essent, nubem semper una fuisse; sin dictum esset, ὑπὸ νεφέλης, nihil amplius cogitari posset, quam eos sub nube fuisse, quod cogitari scriptor noluit. Quam si quis subtilem magis quam veram distinctionem esse putet, is perpendat, quae causa sit, cur omnes boni scriptores graeci ὑπὸ νύκτα, ὑφ' ἡμέραν, non ὑπὸ νυκτὸς, ὑφ' ἡμέρας, dicant, quum volunt cogitari, noctu quidquam aut interdiu factum esse. Saepe enim, cur certo modo dici aliquid debeat,

animadvertemus, quum alio modo dici idem non posse sentiamus. Eadem vero ratio etiam in praepositione διά observanda est. Nam quum διά genitivum regit, aut causam significat, per quam aliquid omnino sit, aut modum, quo tale sit, quale cogitari volumus, sin accusativo iungitur, causam, ob quam aliquid fiat factumve cogitetur, denotat. Itaque in ep. ad Hebraeos cap. IX, v. 12. recte scriptum est: Χριστὸς διὰ τοῦ ἰδίου αἵματος εἰσῆλθεν εἰς τὰ ἅγια; est enim cogitandus modus, quo intravit; recte vero etiam Apocalyps. XII, 11. dictum est: ἐνίκησαν τὸν κατήγορον διὰ τὸ αἷμα τοῦ ἀρνίου καὶ διὰ τὸν λόγον τῆς μαρτυρίας αὐτῶν. Est enim hoc loco cogitandum, illos vicisse sic, ut rationem habuerint τοῦ αἵματος καὶ τοῦ λόγου, quasi haec causa fuerit, ob quam ad vincendum impulsi sint: non enim, ut statim additur, vitae rationem habuerunt; οὐκ ἠγάπησαν τὴν ψυχὴν αὐτῶν ἄχρι θανάτου. Quamquam enim causa, quae eos ad vincendum impulit, eos fortes quoque fecit, ut vincere possent, tamen diversa est ratio causae illius nexum cogitandi. Hoc igitur loco, non modo causa, quae, ut vincere possent, effecerit, cogitanda est, sed quae eos ad vincendum impulerit. Similis ratio illius loci esse videtur: ὅτι ἀφέωνται ὑμῖν αἱ ἁμαρτίαι διὰ τὸ ὄνομα αὐτοῦ. [1. Ioh. II, v. 12.] Nam si scripsisset Iohannes: διὰ τοῦ ὀνόματος, cogitandum esset, τὸ ὄνομα αὐτοῦ esse causam efficientem veniae: quae cogitatio a mente Apostoli aliena foret; imo cogitandum est, illos veniam peccatorum propter illum esse consequutos. Et quum *Ioh. VI*, 57. dicitur: κἀγὼ ζῶ διὰ τὸν πατέρα, καὶ ὁ τρώγων με, κἀκεῖνος ζήσεται δι' ἐμέ, dubitari non potest, quin διά non tam causam efficientem, (certe non solam,) quam finem denotet, in quo ratio vitae quaerenda sit; nam uti in patre, qui Christum miserat, ratio erat, ob quam ille in his terris viveret, [hic enim erat finis vitae eius, ut patris mandata exsequeretur,] ita etiam Christi causa vivent, qui doctrinae eius obtemperant. Eadem eorum loco-

rum ratio est, quum διά causam impulsivam, quam dicunt, denotare videtur, ut διὰ φθόνον, διὰ σπλάγχνα ἐλέους θεοῦ, quibus simillimus est ille *Ioh.* X, 32. διὰ ποῖον ἔργον λιθάζετέ με. Non est enim obscurum, si dictum esset διὰ ποίου ἔργου, non de facinore, ob quod, sed quo eum lapidare vellent, cogitandum esse; quod idem esset, ac si quis diceret, διὰ λίθων λιθάζειν: ergo διά etiam in hoc loco, non per, sed propter, denotat et accusativo recte iungitur. Contra ἡ πίστις ἡ δι' αὐτοῦ [*Actor.* III, 16.] non est, πίστις εἰς αὐτόν, sed πίστις, cuius ille auctor et causa est. Sed 2. *Petr.* I, 3. καλέσαντος ἡμᾶς διὰ δόξης καὶ ἀρετῆς, non significatur is, qui ad δόξαν καὶ ἀρετήν vocavit, sed qui per δόξαν et ἀρετὴν αὐτοῦ nos vocavit, ἵνα διὰ τούτων τῆς θείας κοινωνοὶ φύσεως γενώμεθα (v. 4. *col.* 1. *Petr.* II, 9.). Summa enim dei δόξα καὶ ἀρετή in vocatione illa cernitur. Si de fine, ad quem vocati essent, cogitandum esset, necessario διὰ τὴν δόξαν καὶ ἀρετήν scribendum fuisset. Sed formulae διὰ δόξης [2. *Cor.* III, 11.] eadem est ratio, quae in multis aliis locis reperitur; ubi διά aut modum, quo aliquid fit, designat, veluti διὰ ὑπομονῆς [*Rom.* VIII, 23. *Hebr.* XII, 1.] et διὰ νόμου κριθήσονται [*Rom.* II, 12.] aut causam, per quam aliquid fit, significat, ut διὰ τῆς σαρκός [*Rom.* V, 19. VIII, 3.] et δι' οὗ καὶ τὴν προσαγωγὴν ἐσχήκαμεν. [*Rom.* V, 2. col. v. 1. 11.] Hinc intelligitur, cur *Petrus* [2. *Ep.* III, 5.] dicere debuerit γῆ ἐξ ὕδατος καὶ δι' ὕδατος συνεστῶσα τῷ τοῦ θεοῦ λόγῳ. Nam ἐξ ὕδατος, significat, ex aqua, tamquam materia, terram ortam; quod factum est δι' ὕδατος, ipsius aquae vi, omnipotenti voluntate divina. Sed quod additur (v. 6.) δι' ὧν ὁ τότε κόσμος ὕδατι κατακλυσθεὶς ἀπώλετο, recte *Marklandus* (*ad Lysiam* p. 329. ed. Reisk.) eodem modo interpretatus est, uti διά τινος fieri dicitur, quod dum aliud quid erat, factum est, uti in ipso Lysiae loco γνώριμος γενόμενος διὰ τῆς ἐκείνου δυναστείας i. e. durante eius potestate: et *Rom.* II. 27. τὸν διὰ γράμ-

ματὸς καὶ περιτομῆς; et IV, 11. τῶν πιστευόντων δι' ἀκροβυστίας. Denique in celeberrimo illo loco [*Rom.* *III*, 25.] recte, ut scribendum erat, Paullus dixit, Deum constituisse Christum ἱλαστήριον διὰ τῆς πίστεως. fide enim constat ἱλασμός: adeoque monstrasse τὴν δικαιοσύνην αὐτοῦ, διὰ τὴν πάρεσιν τῶν ἁμαρτημάτων, id est, propter veniam peccatorum, plane ut cap. *IV.* v. 25. ὃς παρεδόθη διὰ τὰ παραπτώματα ἡμῶν καὶ ἠγέρθη διὰ τὴν δικαίωσιν ἡμῶν, veniae et salutis causa, sive ut veniam et salutem consequeremur. Nam uti 1. *Cor.* *VIII*, 2. dixit: διὰ τὰς πορνείας ἕκαστος τὴν ἑαυτοῦ γυναῖκα ἐχέτω, [id est propter stupra, s. scortationis vitandae causa] ita etiam in illo loco recte dixit: ὁ θεὸς προέθετο αὐτὸν ἱλαστήριον διὰ τῆς πίστεως εἰς ἔνδειξιν τῆς δικαιοσύνης αὐτοῦ διὰ τὴν πάρεσιν τῶν ἁμαρτημάτων, haec est enim ratio τῆς δικαιοσύνης, ut veniam consequamur.

Sed haec quidem exempla sufficiant, ut intelligatur, leges linguae necessarias a scriptoribus sacris diligentius observatas esse, quam vulgo existiment. Perveniamus igitur ad alterum genus legum, in quo illorum scriptorum diligentiam grammaticam rectius aestimandam esse diximus. Quod quum sit amplissimum et veluti per universam linguae graecae consuetudinem diffusum, non veremur, ne quis omnia a nobis explicanda fuisse dicat, in quibus haeserunt interpretes N. T. Nondum est enim ille de idiotismis graecae linguae (quos vulgo dicunt) locus ita explicatus, ut omnia idiomata ad certa genera revocata videri, aut causae ubique reddi possint, ob quas usus formas et modos loquendi contra leges grammaticas ratione recta introduxerit. Atque omnino tam velox ac mobile Graecorum ingenium fuit, ut eorum oratio omnium maxime eiusmodi formis et figuris abundet, quae quum necessitate legum destituantur, imo ex mero arbitrio pendere videantur, et graecae linguae institutionem

subtiliorem difficillimam reddunt, et ab imperitis saepe pro vitiis habentur. Unde factum est, ut etiam veteres grammatici easdem dicendi formas soloecismos appellaverint, quas, apud optimo scriptores obvias, graecae linguae σχήματα dixerunt. Quorum schematum rationem quum ignorent hi, qui de linguae graecae indole ex ieiunis grammaticorum praeceptis iudicant, saepe scriptores sacros vitiose scripsisse putant, ubi ea tantum dicendi licentia usi sunt, quae apud optimos scriptores reperitur. Scilicet scriptores sacri grammaticas quidem leges servarunt, non autem leges grammaticorum. Et verissime *Apollonius Alex.* dixit: οὐ δή γε θαῤῥήσει τις ἀλόγους τὰς τοιαύτας συντάξεις φάναι, τῶν ἐλλογιμωτάτων ἀνδρῶν χρησαμένων, καὶ τοῦ λόγου οὐκ ἐμποδίζοντος· δῆλον οὖν ὡς ἡ κατὰ πολὺ γενομένη σύνταξις ἀπενέγκατο τὴν ὀνομασίαν· ᾧ λόγῳ καὶ ἄλλα κατὰ πλέον ἐπεκράτησε. (*de Syntaxi III*, 2.) Sic v. c. quum in Apocalypsi leguntur [*I*, 5. 6.] haec: ἀπὸ Ἰησοῦ Χριστοῦ, ὁ μάρτυς ὁ πιστὸς, καὶ ὁ ἄρχων τῶν βασιλέων τῆς γῆς· τῷ ἀγαπήσαντι ἡμᾶς καὶ λούσαντι ἡμᾶς καὶ ἐποίησεν ἡμᾶς βασιλεῖς· αὐτῷ ἡ δόξα κ. λ. parum abest, quin quot verba ibi sunt, tot soloecismi esse videantur. Sed salva res est. Dabimus enim quidem, paulo insolentiorem esse illum modum appositionis, et, si legeretur, ὅς μάρτυς, nihil futurum esse, quo offenderet oratio. Sed quem in iis, quae sequuntur, soloecismum deprehenderunt, quasi dativus τῷ ἀγαπήσαντι ad ἀπὸ referendus sit; is non Apostoli, sed scribarum vitio ortus est. Nam post τῆς γῆς finienda est oratio integra, et dativi ad postrema, αὐτῷ ἡ δόξα, referenda sunt: nihil est enim illius pronominis post articulum paulo longius remotum interiectione frequentius. Restat igitur haec una, qua offendi quis possit, participiorum cum indicativo coniunctio, eruntque fortasse, qui vitiose scripta haec ab Apostolo existiment. Sed haec quoque dictio non caret probabili ratione. Nam quum participii ea sit na-

tura, ut sit instar nominis adiectivi, intelligitur, eum, qui dicat, ὁ ἀγαπήσας, nihil aliud cogitare, quam, is qui amavit, ideoque idem esse, ac si dicat, ὃς ἠγάπησεν. Non incongrue igitur cum participio in eadem periodo iunctus indicativus ad idem subiectum refertur, quum in utroque sit notatio nominis adiectivi seu praedicati. Neque opus erat, ut ante ἐποίησεν illud ὅς repeteretur, quod est in participio: non repetitur enim, quoniam, etsi non dicitur, tamen sponte cogitatur. Nam neque omissio verbi incongruam orationem facit, si modo in iis, quae dicta sunt, certa ratio est, cur sponte cogitetur, neque casuum mutatio, nisi si verbum aut non adsit, aut cogitari non possit, quo alteruter casus recte regatur. Quodsi in eiusmodi schemate vitii quid inesset, scaterent vitiis summi poetae carmina; apud *Homerum* enim eiusmodi dictiones frequentissime occurrunt. Sic *Iliad. VI.* v. 509. 510. — ὑψοῦ δὲ κάρη ἔχει, ἀμφὶ δὲ χαῖται Ὤμοις ἀΐσσονται. ὁ δ' ἀγλαΐηφι πεποιθὼς, Ῥίμφα ἑ γοῦνα φέρει et statim post: ἐβεβήκει Καγχαλόων, ταχέες δὲ πόδες φέρον. Sed en locum, in quo eadem omnia schemata occurrunt, quae in Apocalypseos loco multis displicuerunt. Καί ποτέ τις εἴπῃσι, πατρὸς δ' ὅγε πολλὸν ἀμείνων, Ἐκ πολέμου ἀνιόντα· φέροι δ' ἔναρα βροτόεντα, Κτείνας δήϊον ἄνδρα. (*Iliad. VI.* v. 479. sq.) Scilicet huiuscemodi formarum loquendi ea natura est, ut orationem, alioqui verborum multitudine impeditam, ad res cogitatas exprimendas aptiorem reddant: est enim vis orationis non in eo tantum sita, ut idem cogitari possit, quod ille, qui loquitur, cogitaverit, sed ut idem eodem modo etiam percipi mente et veluti sentiri possit, quo loquentis animo obversatum est. Quodsi Hectoris illa apud Homerum verba ad regulas syntaxeos componere quis voluerit, is ipse statim intelliget, easdem quidem rerum notiones exprimi, sed longe alio modo, quam quo imagines illae afficiebant Hectoris animum. Sed dicat quispiam, eiusmodi schemata a

poetis quidem et oratoribus arte et studio quaeri, sed Apostolis casu et temere excidisse. Enimvero non quaeritur, quid arte et studio, sed quid recte dictum sit. Optimi autem scriptores, sive poetae, seu oratores et historici, non propterea laudantur, quod verba singula et formulas studiose conquisiverunt, sed quod veluti natura sua et sponte ita loquuti sunt, ut res postularet, non autem syntaxis grammaticorum. Illud autem videmus obiici quoque posse, quod quum cuique scriptorum generi propria sint quaedam, sacrorum scriptorum oratio ex omnibus mixta sit; sed quae tragicorum carminibus conveniant, ea ab oratoris aut historici oratione aliena esse, apud scriptores sacros autem omnia temere mixta reperiri. Non caret veri specie haec dubitatio, sed facile tamen tolli potest. Primum enim ea est orationis scriptorum sacrorum natura, ut ad vitae communis loquendi consuetudinem quam proxime accedat. Sed huius consuetudinis, qua indocti pariter atque docti utuntur, ea indole, est, ut syntaxeos, quantum legibus illis non necessariis constat, vincula aegerrime patiatur, sive quod, non praeparata oratione, quae cogitata sunt, quam celerrime efferuntur, seu quia mutua cogitationum communicatio verborum neque copiam magnam neque amplam constructionem ferre solet, seu quod, quum praesentes cum praesentibus loquuntur, non opus est, ut quae cogitanda sint, omnia verbis exprimant; plurimum enim et viva vox et vultus motusque loquentis iuvare solet, ut verba recte intelligantur. Unde fit, ut sermo vitae communis fere omnes loquendi formas habeat, quibus idiomata constant et schemata orationis. Non est igitur mirandum, apud sacros scriptores mixtum illud dicendi genus reperiri, cuius causas qui optime perspectas habuerit, eum non dubitamus quin optimum illorum interpretem esse dicamus. Deinde etiam hoc intelligitur, peculiares illos, quos dicunt, dicendi modos singulis scriptorum generibus non ita

proprios esse, quin iis uti omnes possint, quorum animus eadem ratione affectus est. Nam qui apud poetas reperiuntur modi dicendi, hi illis non propterea proprii sunt, quod numeris adstricta est eorum oratio, sed quod eorum cogitata eiusmodi sunt, ut hos modos dicendi aut postulent aut ferant optime; ex quo fit, ut, qui eadem eodem modo cogitaverit, is iisdem dicendi modis recte utatur. Quamobrem reprehendi scriptores sacri non possunt, quod omnibus illis dicendi generibus promiscue usi fuerint, si modo satis congrua sit eorum oratio. De quo quidem difficilius est recte iudicare, quam multi putant, qui nullam in scriptoribus sacris diligentiam grammaticam reperiri dicunt, quoniam nonnunquam verbis mediis pro passivis usi, aut alio modo peccasse videantur. Haec enim quaestio non ad grammaticarum legum observationem, sed ad puritatem linguae spectat, ut supra dictum est.

Quae quum ita sint, ne N. T. interpretatio prorsus incerta sit, hanc sibi quisque legem scribat necesse est, ut illarum legum grammaticarum rationem semper habeat, neque ab iis ullo modo recedendum putet, aut ad hebraismos prius recurrat, quam de aliquo loco, ex illis legibus explicando, desperandum esse vere intellexerit. In qua quidem re quam caute versandum sit, alio tempore demonstrabimus.

P. P. Dom. XIX. P. F. Trin. A. Dom. cIɔIɔcccxIII.

DE

VI PRAEPOSITIONUM IN VERBIS COMPOSITIS

IN N. T. RECTE DIIUDICANDA.

In explicanda vi particularum graecarum quanta sit Lexicographorum et Grammaticorum vulgarium temeritas ac negligentia, neminem fugit graecis literis recte imbutum; sed in nullo fere particularum genere frequentius peccatum esse constat quam in praepositionibus. Quod etsi mirum videri possit, quoniam facilius sit, rationem eam observare, qua res diversae ipsae inter se cohaereant, quam explicare modum, quo res cogitata seu ipsa cogitatio coniuncta sit cum animo cogitantis, sunt tamen causae variae, quae doctrinam de vi et usu praepositionum graecarum perturbarunt; ex quibus nulla gravior, quam quod, ubi incerta esset vis praepositionum, ibi vi eas carere putarent atque praeciperent. Accidit hoc N. T. potissimum interpretibus, quos plerumque constat pleonasmos quaerere, ubi aut incerta, aut obscura est vis particulae, ita ut Lexica N. T. referta sint eiusmodi observationibus, et de singulis fere praepositionibus in fine adiiciatur, eas haud raro redundare. Inprimis autem de praepositionibus, quae cum verbis compo-

sitae sunt, communis haec est fere et solemnis opinio, non mutare semper vim verborum praepositiones, sed verba composita nihil amplius significare quam simplicia. Cuius opinionis causa partim in subtilitatis linguarum negligentia, partim in quarundam interpretationum fuga quaerenda est. Olim enim quum in verbis multis emphasis quaereretur, in quibus nulla esset, saepe factum est, ut interpretationes falsissimae nullam aliam excusationem haberent nisi in emphasi quadam, quae verbo composito ex praepositione accessisse videretur. Itaque studiosius negabant alii, a praepositione semper mutari vim verbi; certe nullam plerumque emphasin in verbis compositis quaerendam esse. Atque haec sine dubio fuit sententia *Ernesti*, quum scriberet, (*Instit. Interpr. N. T. P. I. Sect. II. c.* 5. §. 8.) in graecis verbis videndum esse, ne accessionem aliquam significationis ad vim verbi simplicis *necessario* fieri putemus a praepositionibus, praesertim ἀνά· ἀπό· πρό· σύν· ἐκ· περί, et in iis argutemur, quod sit plerisque solemne, fiatque saepissime alieno loco; quum satis usu et observatione constet, eas praepositiones non semper significationem simplicis mutare, imo vero saepissime redundare. Apertum est enim, virum doctissimum de emphasibus praecipere, quas non necessario effici per praepositiones, concedendum est. Sed habet tamen multum ambiguitatis haec praeceptio, quoniam aliud est, emphasin effici, aliud, accessionem fieri ad vim verbi simplicis, aliud, significationem verbi simplicis mutari. Quae ambiguitas fraudem fecisse videtur his, qui de hoc argumento postea praeceperunt, inprimis *Fischero*, cuius disputatio (*de Vitiis Lexicorum N. T. p.* 119. *sq.*) caret omni certa regula et ratione. Nam illud quidem non multum studii postulat, ut multis exemplis demonstretur, praepositiones per se *nunquam emphases* efficere, neque ubique *mutare* significationem verborum, quae cum iis composita sunt; sed dif-

ficilius est ostendere, quam vim praepositiones aut constanter habeant, aut certis locis. De quo nemo, quantum quidem scimus, disputavit sic, ut certis legibus nunc constet illa pars grammaticae; et quamquam singuli de singulis subtiliter praeceperunt, tota tamen de vi praepositionum graecarum doctrina nondum satis pertractata est, inprimis quod attinet scriptores N. T. Alii enim librorum sacrorum interpretes, quum in ea opinione versarentur, ut scriptores illos vix graece loquutos et ab omnibus legibus grammaticis alienissimos fuisse putarent, ne operae quidem pretium habuisse videntur, ut vim singularum particularum, et praepositionum maxime, diligentius examinarent; unde factum est, ut de praepositionibus in omnibus fere Lexicis N. T. ineptissime praeciperetur. Alii tutissimum rati, si, quod certa ratione carere ipsis quidem videretur, eius subtiliori explicatione supersedere possent, ad pleonasmos confugerunt, et praepositiones in verbis compositis plerumque redundare magna cum fiducia praeceperunt. Quod tanto studiosius fecerunt, quoniam recordabantur, multas falsas interpretationes et opiniones a recta doctrinae ratione abhorrentes niti emphasibus in verbis quibusdam compositis temere quaesitis, veluti in verbis προορίζειν, προγινώσκειν. Alii denique concesserunt quidem, praepositiones interdum nihil significationi verborum addere, interdum eam augere, sed quando aut augeant, aut nihil addant, nullis certis regulis demonstrarunt. Habuerunt vero huius incertae rationis auctores fere omnes Grammaticos veteres et Scholiastas, qui, ubi non patebat significationis ratio, περιττὴν εἶναι τὴν πρόθεσιν dixerunt, sed aliis locis vim praepositionis saepe curiose magis quam vere exposuerunt. Sic v. c. *Scholiasta Aristophanis*, (ut exemplis utamur, quibus ipse *Fischerus* usus est in rem suam l. c.) ad *Equit.* v. 37: de verbo παραιτησώμεθα, dicit: περιττὴ ἡ παρά· ἔστι γὰρ αἰτησώμεθα, παρακαλέσωμεν. Πλεο-

νάζουσι γὰρ καὶ ἐλλείπουσι ταῖς προθέσεσιν Ἀττικοί. Quamquam prorsus non otiosa est praepositio in verbo *παραιτεῖν*, et illo loco minime. Est enim *αἰτεῖν* simpliciter poscere et rogare quidquam, sed *παραιτεῖν* ita rogare, ut depreceris oppositum; quae vis optime conveuit illi loco. Sed idem Scholiasta ad *Plut.* v. 499. *τὸ δὲ ἀνερώτα*, inquit, *ἢ περιττὴν ἔχει τὴν πρόθεσιν ἢ δηλωτικόν ἐστι τοῦ πολλάκις ἐρωτᾶν.* Priorem rationem veram esse putat *Fischerus*, sed falso; nam *ἀνερωτᾶν* h. l. aptissime positum est de quaestione, non de interrogatione simplici, (*ἐρωτᾶν*) ut Schol. in sequentibus non obscure explicat. Eadem est aliorum Grammaticorum et ipsius Eustathii inconstantia *). Quae quum in cuiuscunque libri explicatione molestissima sit, tum a N. T. interprete potissimum vitanda est, quoniam maximopere cavendum est, ne praepositionis vera vi neglecta aut gravissimum sententiae pondus tollatur, aut certe eadem res non eodem modo cogitetur, uti scriptor ipse eam cogitaverit. Quare operae pretium facturi nobis videmur, si hac de re diligentius disputaverimus. Sed quum totum hoc argumentum huius libelli angustiae non capiant, nunc quidem id potissimum agemus, ut varios modos, quibus vis praepositionum in verbis constet, deinceps exponamus.

Solent autem triplici fere ratione verbis adiungi praepositiones; nam aut adduntur verbo simplici, ut *ὁρμᾶν ἐπί τι*, aut coniunguntur cum verbo, *ἐφορμᾶν*, aut verbo adiiciuntur, quod compositum iam est cum praepositione aut alia, aut eadem, veluti *ἐφορμᾶν εἰς πόλεμον, ἀπέχεσθαι ἀπὸ τῆς πορνείας*. Ac de primo quidem et tertio genere hoc loco non dicturi sumus,

---

*) Sic p. 1009, 49. *προθέσεις παρέλκουσι ἐν παρενθέσει μηδὲν προστιθεῖσαι τῇ σημασίᾳ τῶν ἁπλῶν.* Accuratius contra p. 217, 18. 727, 19. 936, 48. 1558, 14.

sed de secundo tantum, quum praepositiones cum verbis ita coniunguntur, ut fiat verbum compositum *). Monebimus tamen pauca, quoniam ex primo

---

*) De singularum praepositionum vi in compositione cum verbis diligentissime egit *Abresch.* ad *Cattier. Gazophyl. Graec.* p. 60. Sed is tamen non satis animadvertisse videtur, diversam vim, quam *eadem* praepositio, cum verbis composita, habet, ex ipsius verbi, cum quo coniuncta est, significatione oriri, eam vero ipsam praepositionem vim suam propriam semper servare. Addam exempla nonnulla, ex ipso Cattierio petita, ut sententia mea recte intelligatur. Nam in ipso libello usum praepositionum in verbis compositis tantum in universum exposui.

Ἀμφὶ Cattier. dicit denotare *circum*, ut in ἀμφιβάλλω, et *dubitationem*, ut in ἀμφισβητέω. Sed in utroque ἡ ἀμφὶ propriam suam significationem habet: denotat enim *utrimque*, ut ipsum adverbium ἀμφίς. ἀμφισβητεῖν est *utrimque*, s. in utramque partem ditі, ut ἀμφιβάλλειν utrimque iacere, unde ἀμφίβολος qui ab utraque parte caeditur apud Thucydidem, et qui in utramque partem ducitur, ambiguus, anceps, et ἀμφιβάλλειν dubitare. Ratio cur ἀμφισβητεῖν denotet dubitare, non est in praepositione, sed in verbo, nam dubitantis est, utrimque niti, quum quid agendum sit, nesciat. — Eodem iure dici posset, ἀμφὶ denotare etiam defensionem ut in ἀμφιβαίνειν. ὃς χρύσην ἀμφιβέβηκας, et alia, quae nemo ferat. Propria haec est significatio praepositionis ἀμφὶ, quae, quum verbis iungitur, hanc ipsam vim addit notioni, quae in verbo ipso inest. Sic νοεῖν est cogitare, ἀμφινοεῖν ita cogitare ut anceps haereat animus, dubitare. Stulte Schol. Sophocl. Antigone v. 376. ἀμφινοῶ· περισσὴ ἡ ἀμφί. Errat Etymologus quod dicit ἀμφὶ et περὶ idem significare. Nam περὶ proprie est circa, s. circum, ideoque non solum longe aliam vim addit verbis, quibus adiungitur, quam ἀμφὶ, sed etiam plerumque intendit tantum vim verbi propriam, quia ea actio, quae verbo significatur, addita v. περὶ, rem totam, ab omni parte quasi totum rei ambitum afficere cogitatur. Quare, uti ἀμφινοεῖν est dubitare, ita περινοεῖν est diligenter νοεῖν, excogitare, περίνοια sollertia. Hinc etiam utraque praepositio simul eidem verbo iungitur, ut ἀμφιπεριπλάζεσθαι undique circumvolitare (Orph. Lith. 80.) ἀμφιπεριστρωφᾷν (Iliad. VIII. v. 348. vid. Eustath. 716.

genere intelligitur, quae causa sit, cur praepositiones omnino verbis adiiciantur, tertium autem luculentissi-

49.) ἀμφιπεριφθινύθειν. (Hom. Hymn. Ven. v. 271.) et singulae iuxta ponuntur, v. c. Iliad. β. v. 305. ρ. v. 760. vid. ibi Eustath. p. 1126. extr.

Ἀπό in compositione dicit significare *negationem* (ἀπόφημι) *desperationem* (ἀπειπεῖν) *absolutionem* (ἀποψηφίζειν) perfectionem (ἀπεργάζεσθαι). Addit Abreschius alias significationes; sed quam primo loco adiecit, (in ἀπεῖναι, ἀποκοιμᾶσθαι, ἀποκρύπτειν etc.) eam debebat tamquam primariam et communem notare, quae in compositione obtinet. Nam in ἀποφάναι, non praepositio *negationem* denotat, sed totum verbum: qui negat aut recusat, is rem mente aut voluntate sua remotam esse declarat. (ἀπονεύει.) Contra καταφάναι est affirmare, annuere (κατανεύειν) quasi sententiam suam adiicere ad eam rem. Sic etiam ἀποψηφίζειν est suffragio suo liberare aliquem, non quod ἀπό denotet liberationem, sed quia ψηφίζειν et ψηφίζεσθαι est suffragium s. sententiam ferre de aliqua re (περί τινος) unde fit, ut καταψηφίζειν τινά sit damnare suffragio suo, ψηφίζειν κατά τινος, ἀποψηφίζειν τινά liberare absolvere, quia is, qui absolvitur, *ab* hac sententia liber quasi remotus cogitatur. Hinc etiam ἀποψηφίζειν cum accusativo construitur, quamquam praepositio genitivum tantum regit, ut ἀπομάχεσθαι, ἀποδικάζειν, ἀπολογεῖσθαι, et similia.

Διά ubique habet suam significationem in compositione, sed ea varie mutat vim verborum, pro diversa vi, quae ipsis verbis inest. Nam neque in v. διακωλύειν et διατελεῖν continuationem significat, neque in v. διέρχεσθαι est *praeter*, aut *ex* in v. διασώζεσθαι διά τινος, quamquam sic verti possit latine. Nam qui διακωλύει, is κωλύει διά τινος, per totum tempus, quo est, quod sit impediendum, qui διέρχεται is ἔρχεται διά τινος, ut id totum post se relinquat, unde διέρχεσθαι εἴς τι, pervenire aliquo, qui διασώζεται, is servatur per totum illud tempus, quo est in periculo, διά τινος. hinc σώζεσθαι ὡς διὰ πυρός 1. Cor. III, 15. et διασωθῆναι δι' ὕδατος 1. Petr. III, 20. est servari per medium ignem, in aqua, quae circumdabat illos, quod quoad sensum est *ex* igne vel aqua servari. Sic Xenophon. Exped. Cyr. V, 5. 7. διὰ πολλῶν καὶ δεινῶν πραγμάτων σεσωσμένοι πάρεστε, sed ibid. III, 2. 7. σώζονται ἐκ πάνυ δεινῶν, et Hist. Gr. VII, 1. 16. οἱ σωθέντες ἐκ τοῦ πράγματος. Sic etiam in omnibus

me ostendit, quam temere Lexicographi in eiusmodi formulis recurrant ad pleonasmum. Nam quum verbi

---

aliis verbis διά proprio suo munere fungitur, ut denotet *per*, significetque aliquid esse vel fieri sic, ut per rem aliquam, quae interiecta aut obiecta est, esse vel facta cogitetur. Sed quum ea res duplici modo cogitari possit, aut tamquam subiectum, ex quo pendeat relatio notionis, quae in verbo significatur, aut tamquam obiectum eius, quod in verbo esse vel fieri cogitatur, sequitur ut διά aut genitivum (subiecti) aut accusativum (obiecti) adsciscat: ex quo duplex illa τῆς διά significatio nascitur, ut et modum et causam denotet. Et quia id, per quod aliquid esse vel fieri dicitur tamquam medium cogitatur, per quod illud veluti totum pervaserit, verba, quibus coniungitur διά, saepe habent notionem differentiae, perfectionis, dividendi, distribuendi, dissipandi, certandi et similes, in quibus tamen omnibus ipsa praepositio suam vim propriam retinet. Neque vereor, ne quis vanam hanc esse subtilitatem dicat, quasi nihil referat, utrum diversam vim ipsa praepositio habeat, an in verbis ratio sit diversitatis, quae praepositione addita nascitur. Certe non omnia eandem praepositionem denotare in compositis praecepturi fuissent Lexicographi nostri, si propriam cuiusque significationem diligentius observassent. Sed redeamus ad praepositionem διά. Excellentiae significationem habere dicitur in διαφέρειν, διέχειν. Verissime. Sed eadem praepositionis significatio efficit, ut διέρχεσθαι sit pervenire, διαβαίνειν transgredi, et διαφέρειν differre, διέχειν eminere. De v. διέχειν manifesto docent loci Homerici Iliad. ε. 100. *v.* 416.

Mirum est, Abreschium l. c. sequutum esse morem plurimorum, qui totidem fere significationes tribuunt praepositionibus, quas habent latinae, quibus reddi possunt graecae. Sic scripsit p. 74. ἐξ in compositione denotare *in*, ut: ἐκπεσεῖν εἰς χάσμα γῆς, quod est apud Pausaniam, quamquam ipse ille locus Luciani, quem affert Nigrin. c. 36. ἐκ μέσης τῆς ὁδοῦ καταπίπτειν, veram rationem monstrare poterat. Nam qui iter faciens in fossam incidit, is excidit *ex via* in fossam. Sic apud Xenophontem Hist. Gr. V, 4. 17. ὅπλα ἀναρπασθέντα ἐξέπεσον εἰς θάλατταν. Sed ἐκ μέσης τῆς ὁδοῦ καταπίπτει est mediam viam emensa cadit, q. e. post mediam viam. — Praepos. παρά significare dixit in composi-

ea natura sit, ut rei cuiusdam, quae ipsi inest, notionem coniungat cum rei alterius cogitatione, quae aut causa eius sit aut effectus, sequitur, addi praepositiones verbis simplicibus, ut intelligatur, quo sit eius rei notio, quae ipsis verbis inest, referenda; veluti, qui dicit, se ἔχειν τι, is indicat, possessionem cuius-

---

tione non tantum εἰς, πρός, σύν, πρό sed etiam ἐξ et ἀπό. Sed in exemplis omnibus, quae afferuntur, nihil aliud significat quam *iuxta*, cui notioni inhaeret *praeter*. (Nos: *neben, bey, vorbey*.) Haec autem significatio verbis, pro eorum diversa notione, diversam vim addit, ut παρακλείειν est quidem secludere, excludere, sed non propterea quod ipsa praepos. παρά i. q. ex significet, sed quod is, qui non eodem loco sed praeter eum locum clausus est, ab hoc ipso loco exclusus cogitatur. Et apud Aristophanem Eccles. v. 129. παριέναι verti quidem potest prodite, dicitur enim πάριτ' ἐς τὸ πρόσθεν et statim post: κάθιζε παριών. Sed tamen et h. l. παρά est iuxta, proprie, et παριέναι est accedere prope alium, ut παρέρχεσθαι. Apud eundem Aristoph. Thesmophor. v. 804. legitur παρακύπτειν ἐκ τῆς θυρίδος, et paulo ante ἐγκύπτειν. Illud dicunt esse i. q. προκύπτειν et παρά vicem gerere τῆς πρό, hoc dicunt esse pro ἐκκύπτειν. Sed in hoc festivo loco παρακύπτειν non est exserto capite prospicere ex fenestra, sed intra fenestram leviter inflexo ad latus capite prospicere, (notio τῆς πρό est in ipso verbo κύπτειν) ut faciunt curiosae verecundiores. Quare statim addit v. sequ. κἂν αἰσχυνθεῖσ' ἀναχωρήσῃ, πολὺ μᾶλλον πᾶς ἐπιθυμεῖ Αὖθις παρακύψαν ἰδεῖν. Neque ἐγκύπτειν est pro ἀνακύπτειν ut explicat Schol., sed est incumbentem (fenestrae) prospicere, differtque a παρακύπτειν, quo eodem sensu usi sunt scriptores sacri. Luc. XXIV, 12. Ioh. XX, 5. 11. Veram verbi vim ostendunt exempla, quae dedit Wetsten. T. I. p. 823. in primis locus Aristoph. Pac. v. 981. sequ. Itaque valde dubito, quin παρακύψαι Iac. I, 25. sit *diligenter* considerasse et *satis* cognitum habere. Imo est simpliciter cognovisse, notitiam habere legis. Dicit: qui legem cognitam habet, is *si* non est auditor obliviosus (γενόμενος) sed facit quae lex praecipit, is demum μακάριος ἔσται. De notitia quacunque (nec diligenti) dicitur apud Lucian. I. Reviv. p. 598. Eodem modo 1. Petr. I, 12. nihil amplius est, quam conspicere, cognoscere. Sed haec quidem hactenus.

dam rei secum esse coniunctam; sed quum quaeritur, quae sit eius possessionis ratio, praepositione opus est, sive cogitandus sit is, a quo ille eam rem habeat, ἔχειν ἀπό τινός seu παρά τινός, sive designetur, ubi habeat, ut ἔχειν ἐν χειρί, seu ἔχειν μισθὸν παρὰ τῷ πατρί, *Matth.* VI, 1. Hinc facile intelligitur, qui fiat, ut prorsus diversa sit significatio formulae ἔχειν ἀπό τινός et ἀπέχειν seu ἀπέχεσθαι· nam praepositio cum verbo ipso copulata novam plane significationem eamque ut in plurimis aliis, vi verbi simplicis contrariam efficit; res enim non amplius coniuncta, sed seiuncta cogitatur. Alia ratio est, quum ἀπέχειν *accepisse* seu *recepisse* (non recipere) significat, ut ἀπέχειν μισθόν, *Matth.* VI, 2. 5. 16. ibi enim ἀπό non seiunctionem, sed rei aliunde factam accessionem denotat, ut valde erraverit, qui ἀπέχειν μισθόν nihil amplius significare, quam simplex ἔχειν, putet: differunt enim, ut in lingua vernacula *haben* et *weg haben*, sive, ut recte Lutherus vertit, *dahin haben.* Sed illud dubium videri posset, an in illa formula ἀπέχεσθαι ἀπό τινος redundet praepositio; potest enim eadem significatione dici sine praepositione, ut *Act.* XV, 20. ἀπέχεσθαι ἀπὸ τῶν ἀλισγημάτων τῶν εἰδώλων et v. 29. ἀπέχεσθαι εἰδωλοθύτων. Verum ut nos dicimus quidem utrovis modo: *sich von einer Sache enthalten*, et: *sich einer Sache enthalten*, ita tamen ut in priori formula seiunctionis cogitatio ad rem, in posteriori autem ad nos ipsos referatur: sic etiam ἀπέχεσθαί τινος et ἀπέχεσθαι ἀπό τινος differunt, non quoad rem ipsam, sed modo cogitandi. Quod si cui subtilius quam verius dictum videatur, is monendus est, in unaquaque lingua non hoc tantum spectari, ut idem cogitetur, sed ut cogitetur et veluti sentiatur eodem modo. Quare quo magis est exculta lingua quaepiam, eo magis abundat particularum usu, quarum haec potissimum provincia est, ut quemcunque modum et relationem quamcunque indicent et veluti sensibus exponant. Itaque non mirum

est, in lingua Hebraica integris formulis opus esse, ubi in Graeca sufficiat unum verbum compositum cum praepositione. Denique quum verbo composito alia praepositio adiungitur, facile intelligitur, id fieri, ut accuratius describatur relatio earum rerum, quarum cogitatio verbo coniungitur, sive ut integra sit rerum notitia, v. c. καταβαίνειν ἀπ' οὐρανοῦ, ἀναβαίνειν εἰς ὕψος, ἀπαναγαγεῖν ἀπὸ τῆς γῆς, de quibus dubitari non potest, an redundent. Sed nunc ad varios, quibus in ipsis verbis compositis vis praepositionum constat, modos describendos perveniamus, idque sic instituamus, ut exemplis e N. T. potissimum petitis utamur.

Est autem duplex omnino vis praepositionis in verbo composito: aut enim mutat significationem verbi, ita ut alia res cogitetur in verbo composito, quam in simplici, v. c. ἔχειν, ἀπέχειν, ἀνέχειν· αἰτεῖν, ἀπαιτεῖν· ἀλγεῖν, ἀπαλγεῖν· καλύπτειν, ἀποκαλύπτειν· σοφίζειν, κατασοφίζειν· aut efficit, ut eadem quidem res cogitetur, sed certa relatione et alio modo. Et de primo quidem genere nulla est dubitatio; incurrit enim in sensus, composita illa aliam significationem quam simplicia habere: sed disputatur tantum de iis verbis compositis, in quibus cogitari potest eadem res, quae in simplicibus cogitatur. Et quoniam diversissimae sunt rerum relationes variique maxime modi eandem rem cogitandi, quorum ratio non ubique facile patet, fieri solet, ut verba composita nihil aliud vel nihil amplius, quam simplicia plerumque significare praecipiant, et modo non mutare praepositiones verborum significationem, modo nullam accessionem fieri significationis ad vim verbi simplicis, modo non emphasin efficere praepositiones dicant; his enim formulis promiscue utuntur. Sed tollenda est haec ambiguitas.

Itaque praepositiones in verbis compositis hanc vim habere existimamus, ut, etiamsi eadem res cogitetur,

cuius notio inest in verbo simplici, ea tamen res cogitetur alia ratione et alio modo. Et rationem quidem dicimus relationem eam, quae inter eas res locum habet, quarum notitiae verbo copulantur, modum autem vocamus, quo cogitatio illarum rerum animum afficit. De utroque genere deinceps dicemus.

Primum igitur relationis notionum eaedem causae sunt, quibus res ipsae inter se cohaerere possunt, i. e. temporis, loci s. spatii, et nexus causae atque effectus, in quibus relationibus significandis propria est vis et provincia praepositionum. Itaque quum praepositio cum verbo componitur, primum hoc efficitur, ut, quae *temporis* inter duas res relatio sit, intelligatur, aut cogitetur, unam alterius esse causam. Nam qui dicitur *ὁρίζειν τι*, is cogitatur eam rem decrevisse, sed quando decreverit, incertum est, quamquam ex rebus aliis coniici fortasse potest, quo tempore decretum captum sit. Sed quum cogitandum est, illum decrevisse ante, quam viverent hi, ad quos illud decretum pertinet, recte dicitur ille *προορίζειν*, et falsissimum est dicere, quod plurimi dicunt *), *προορίζειν* nihil amplius denotare, quam simplex *ὁρίζειν*. Eadem est ratio verborum *γινώσκειν* et *προγινώσκειν*. Nam qui *ἔγνω τι*, ei quidem placuisse quidquam cogitatur, sed quoniam variis temporibus placere potest, quum volumus cogitari, id illi dudum ante placuisse, scribendum est *προέγνω*, ut in *Ep. ad Rom.* VIII, 29. 30. Attamen, nisi fallimur, hic ipse Paullinus locus in causa fuisse videtur, cur illam de verborum simplicium et compositorum pari vi et significatione regulam excogitaverint, ne quid relinquerent his, qui in illis verbis cupidi erga quosdam homines studii divini vestigia reperisse sibi videbantur.

---

*) Recte ab eiusmodi praeceptis *Wahlius* abstinuit.

Loci autem s. spatii triplex relatio est; cogitatur enim quaecunque res aut in loco esse, aut ex loco moveri, aut in locum venire. Itaque praepositionum haec vis est, ut, quum verbis iungantur, unam vel alteram illarum relationum indicent. Quae quamquam sunt clarissima, (quis enim negot, verba composita ἀναβαίνειν, καταβαίνειν, ἀνάβαλλειν, καταβάλλειν, ἀνάγειν, κατάγειν, ἀπέρχεσθαι, προσέρχεσθαι, amplius quid quam simplicia significare?) tamen de quibusdam verbis N. T. interpretes praecipere solent, eorum significationem non differre a vi simplicium. Sic ἀναστενάζειν (*Marc.* VIII, 12.) dicunt significare simpliciter suspirare, ingemiscere, gemere, non autem alte ingemiscere, ideoque positum esse pro simplici στενάζειν. Sed quamquam concedendum est, ἀναστενάζειν per se non denotare alte seu graviter ingemiscere, tamen ἀναστενάζειν significatione differt a simplici στενάζειν. Hoc enim indicat, suspirare aliquem, in illo autem praepositio efficit, ut suspirantem ex imo pectore ducentem suspiria et in altum emittentem cogitemus, unde fit, ut etiam fortius sit compositum simplici. Porro quum dicunt, ἀναπληροῦν nihil amplius significare quam πληροῦν, idem agunt, quasi quis dicat, in lingua germanica verba *füllen, anfüllen, ausfüllen* et *erfüllen* minime differre. Sed solent vulgo duplex opinionis suae argumentum afferre, primum, quod in iisdem dictionibus verba simplicia et composita promiscue ponantur, v. c. dici eodem modo πληροῦν τὸν νόμον et ἀναπληροῦν, στενάζειν et ἀναστενάζειν; deinde, quod verba simplicia et composita in N. T. pariter respondeant iisdem verbis hebraicis. Sed utraque ratio facile refelli potest. Primum enim, etiamsi simplicia eiusdem rei notionem contineant, ita ut, sive simplex verbum sive compositum audias, eandem rem utcunque cogites, ideoque in multis dictionibus integris simplicia et composita promiscue adhiberi possint; id tamen non fit propterea, quod nihil amplius composita

significant, sed quoniam aut ex reliquis eiusdem dictionis verbis intelligitur via vera verbi simplicis, aut usu verborum simplicium potestas aucta est, quod saepe solet fieri. Quamquam igitur concedendum est, ἀναπληροῦν τὸν νόμον et πληροῦν κ. ν. eodem sensu dici posse, inde tamen non sequitur, πληροῦν et ἀναπληροῦν idem significare et compositum a simplici minime differre. Quod si verum esset, pro ἀναπληροῦν omnibus locis scribi posset πληροῦν, quod fieri non posse ipsi concedent. Sed quum dicunt, scribere Marcum modo σκευάζειν, modo ἀνασκευάζειν, atque hoc certo argumento esse, vi non differre haec verba, id quidem ita ineptum est, ut verbum addere taedeat. At dicunt, utrumque verbum eidem verbo hebraico respondere, atque omnino scriptores N. T. eadem verba hebraica, alias compositis, alias simplicibus, reddidisse, ita ut verba e praepositionibus coagmentata omnia in libris divinis per se potestate paria verbis simplicibus ponenda esse appareat. (*Fischer*. l. c. p. 124.). Sed qui utriusque linguae periti sunt, et norunt paupertatem linguae hebraicae, hi sponte intelligent, nihil aliud inde sequi, quam scriptorem graecum relationes eiusdem rei varias variis verbis compositis exprimere posse, quas eodem verbo simplici exprimere cogatur scriptor hebraicus; constat enim linguam hebraicam verbis compositis prorsus carere.

Verum quae de loci relatione supra diximus, cui indicandae plerumque inserviant praepositiones in verbis compositis, ea verissima esse, ex iis potissimum verbis intelligitur, quae ex duabus aut tribus praepositionibus composita sunt. In eiusmodi verbis enim binae aut trinae loci relationes eiusdem rei simul animo et veluti sensibus obiiciuntur. Valde enim errat, qui aut unam aut duas praepositiones redundare putat. Stulte Schol. ad Apollon. Rhod. III, 665. de verbo ἐπιπρομολοῦσα dicit, περιττεύει ἡ ἐπὶ πρόθεσις· nam sen-

νάζουσι γὰρ καὶ ἐλλείπουσι ταῖς προθέσεσιν Ἀττικοί. Quamquam prorsus non otiosa est praepositio in verbo παραιτεῖν, et illo loco minime. Est enim αἰτεῖν simpliciter poscere et rogare quidquam, sed παραιτεῖν ita rogare, ut depreceris oppositum; quae vis optime convenit illi loco. Sed idem Scholiasta ad *Plut.* v. 499. τὸ δὲ ἀνερώτα, inquit, ἢ περιττὴν ἔχει τὴν πρόθεσιν ἢ δηλωτικόν ἐστι τοῦ πολλάκις ἐρωτᾶν. Priorem rationem veram esse putat *Fischerus*, sed falso; nam ἀνερωτᾶν h. l. aptissime positum est de quaestione, non de interrogatione simplici, (ἐρωτᾶν) ut Schol. in sequentibus non obscure explicat. Eadem est aliorum Grammaticorum et ipsius Eustathii inconstantia *). Quae quum in cuiuscunque libri explicatione molestissima sit, tum a N. T. interprete potissimum vitanda est, quoniam maximopere cavendum est, ne praepositionis vera vi neglecta aut gravissimum sententiae pondus tollatur, aut certe eadem res non eodem modo cogitetur, uti scriptor ipse eam cogitaverit. Quare operae pretium facturi nobis videmur, si hac de re diligentius disputaverimus. Sed quum totum hoc argumentum huius libelli angustiae non capiant, nunc quidem id potissimum agemus, ut varios modos, quibus vis praepositionum in verbis constet, deinceps exponamus.

Solent autem triplici fere ratione verbis adiungi praepositiones; nam aut adduntur verbo simplici, ut ὁρμᾶν ἐπί τι, aut coniunguntur cum verbo, ἐφορμᾶν, aut verbo adiiciuntur, quod compositum iam est cum praepositione aut alia, aut eadem, veluti ἐφορμᾶν εἰς πόλεμον, ἀπέχεσθαι ἀπὸ τῆς πορνείας. Ac de primo quidem et tertio genere hoc loco non dicturi sumus,

---

*) Sic p. 1009, 49. προθέσεις περιέλκουσι ἐν παρενθέσει μηδὲν προστιθεῖσαι τῇ σημασίᾳ τῶν ἁπλῶν. Accuratius contra p. 217, 18. 727, 19. 936, 48. 1558, 14.

sed de secundo tantum, quum praepositiones cum verbis ita coniunguntur, ut fiat verbum compositum *). Monebimus tamen pauca, quoniam ex primo

*) De singularum praepositionum vi in compositione cum verbis diligentissime egit *Abresch.* ad *Cattier. Gazophyl. Graec.* p. 60. Sed is tamen non satis animadvertisse videtur, diversam vim, quam *eadem* praepositio, cum verbis composita, habet, ex ipsius verbi, cum quo coniuncta est, significatione oriri, eam vero ipsam praepositionem vim suam propriam semper servare. Addam exempla nonnulla, ex ipso Cattierio petita, ut sententia mea recte intelligatur. Nam in ipso libello usum praepositionum in verbis compositis tantum in universum exposui.

Ἀμφί Cattier. dicit denotare *circum*, ut in ἀμφιβάλλω, et *dubitationem*, ut in ἀμφισβητέω. Sed in utroque ἡ ἀμφί propriam suam significationem habet: denotat enim *utrimque*, ut ipsum adverbium ἀμφίς. ἀμφισβητεῖν est *utrimque*, s. in utramque partem diti, ut ἀμφιβάλλειν utrimque iacere, unde ἀμφίβολος qui ab utraque parte caeditur apud Thucydidem, et qui in utramque partem ducitur, ambiguus, anceps, et ἀμφιβάλλειν dubitare. Ratio cur ἀμφισβητεῖν denotet dubitare, non est in praepositione, sed in verbo, nam dubitantis est, utrimque niti, quum quid agendum sit, nesciat. — Eodem iure dici posset, ἀμφί denotare etiam defensionem ut in ἀμφιβαίνειν. ὃς χρύσην ἀμφιβέβηκας, et alia, quae nemo ferat. Propria haec est significatio praepositionis ἀμφί, quae, quum verbis iungitur, hanc ipsam vim addit notioni, quae in verbo ipso inest. Sic νοεῖν est cogitare, ἀμφινοεῖν ita cogitare ut anceps haereat animus, dubitare. Stulte Schol. Sophocl. Antigone v. 376. ἀμφινοῶ · περισσὴ ἡ ἀμφί. Errat Etymologus quod dicit ἀμφί et περί idem significare. Nam περί proprie est circa, s. circum, ideoque non solum longe aliam vim addit verbis, quibus adiungitur, quam ἀμφί, sed etiam plerumque intendit tantum vim verbi propriam, quia ea actio, quae verbo significatur, addita v. περί, rem totam, ab omni parte quasi totum rei ambitum afficere cogitatur. Quare, uti ἀμφινοεῖν est dubitare, ita περινοεῖν est diligenter νοεῖν, excogitare, περίνοια sollertia. Hinc etiam utraque praepositio simul eidem verbo iungitur, ut ἀμφιπεριπλάζεσθαι undique circumvolitare (Orph. Lith. 80.) ἀμφιπεριστρωφᾶν (Iliad. VIII. v. 348. vid. Eustath. 716.

genere intelligitur, quae causa sit, cur praepositiones omnino verbis adiiciantur, tertium autem luculentissi-

---

49.) ἀμφιπεριφθινύθειν. (Hom. Hymn. Ven. v. 271.) et singulae iuxta ponuntur, v. c. Iliad. β. v. 305. ρ. v. 760. vid. ibi Eustath. p. 1126. extr.

Ἀπό in compositione dicit significare *negationem* (ἀπόφημι) *desperationem* (ἀπειπεῖν) *absolutionem* (ἀποψηφίζειν) perfectionem (ἀπεργάζεσθαι). Addit Abreschius alias significationes; sed quam primo loco adiecit, (in ἀπεῖναι, ἀποκοιμᾶσθαι, ἀποκρύπτειν etc.) eam debebat tamquam primariam et communem notare, quae in compositione obtinet. Nam in ἀποφάναι, non praepositio *negationem* denotat, sed totum verbum: qui negat aut recusat, is rem mente aut voluntate sua remotam esse declarat. (ἀπονεύει.) Contra καταφάναι est affirmare, annuere (κατανεύειν) quasi sententiam suam adiicere ad eam rem. Sic etiam ἀποψηφίζειν est suffragio suo liberare aliquem, non quod ἀπό denotet liberationem, sed quia ψηφίζειν et ψηφίζεσθαι est suffragium s. sententiam ferre de aliqua re (περί τινος) unde fit, ut καταψηφίζειν τινά sit damnare suffragio suo, ψηφίζειν κατά τινος, ἀποψηφίζειν τινά liberare absolvere, quia is, qui absolvitur, *ab* hac sententia liber quasi remotus cogitatur. Hinc etiam ἀποψηφίζειν cum accusativo construitur, quamquam praepositio genitivum tantum regit, ut ἀπομάχεσθαι, ἀποδικάζειν, ἀπολογεῖσθαι, et similia.

Διά ubique habet suam significationem in compositione, sed ea varie mutat vim verborum, pro diversa vi, quae ipsis verbis inest. Nam neque in v. διακωλύειν et διατελεῖν continuationem significat, neque in v. διέρχεσθαι est *praeter*, aut *ex* in v. διασώζεσθαι διά τινος, quamquam sic verti possit latine. Nam qui διακωλύει, is κωλύει διά τινος, per totum tempus, quo est, quod sit impediendum, qui διέρχεται is ἔρχεται διά τινος, ut id totum post se relinquat, unde διέρχεσθαι εἰς τι, pervenire aliquo, qui διασώζεται, is servatur per totum illud tempus, quo est in periculo, διά τινος. hinc σώζεσθαι ὡς διὰ πυρός 1. Cor. III, 15. et διασωθῆναι δι' ὕδατος 1. Petr. III, 20. est servari per medium ignem, in qua, quae circumdabat illos, quod quoad sensum est *ex* igne vel aqua servari. Sic Xenophon. Exped. Cyr. V, 5. 7. διὰ πολλῶν καὶ δεινῶν πραγμάτων σεσωσμένοι πάρεστε, sed ibid. III, 2. 7. σώζονται ἐκ πάνυ δεινῶν, et Hist. Gr. VII, 1. 16. οἱ σωθέντες ἐκ τοῦ πράγματος. Sic etiam in omnibus

me ostendit, quam temere Lexicographi in eiusmodi formulis recurrant ad pleonasmum. Nam quum verbi

---

aliis verbis διά proprio suo munere fungitur, ut denotet *per*, significetque aliquid esse vel fieri sic, ut per rem aliquam, quae interiecta aut obiecta est, esse vel facta cogitetur. Sed quum ea res duplici modo cogitari possit, aut tamquam subiectum, ex quo pendeat relatio notionis, quae in verbo significatur, aut tamquam obiectum eius, quod in verbo esse vel fieri cogitatur, sequitur ut διά aut genitivum (subiecti) aut accusativum (obiecti) adsciscat: ex quo duplex illa τῆς διά significatio nascitur, ut et modum et causam denotet. Et quia id, per quod aliquid esse vel fieri dicitur tamquam medium cogitatur, per quod illud veluti totum pervaserit, verba, quibus coniungitur διά, saepe habent notionem differentiae, perfectionis, dividendi, distribuendi, dissipandi, certandi et similes, in quibus tamen omnibus ipsa praepositio suam vim propriam retinet. Neque vereor, ne quis vanam hanc esse subtilitatem dicat, quasi nihil referat, utrum diversam vim ipsa praepositio habeat, an in verbis ratio sit diversitatis, quae praepositione addita nascitur. Certe non omnia eandem praepositionem denotare in compositis praecepturi fuissent Lexicographi nostri, si propriam cuiusque significationem diligentius observassent. Sed redeamus ad praepositionem διά. Excellentiae significationem habere dicitur in διαφέρειν, διέχειν. Verissime. Sed eadem praepositionis significatio efficit, ut διέρχεσθαι sit pervenire, διαβαίνειν transgredi, et διαφέρειν differre, διέχειν eminere. De v. διέχειν manifesto docent loci Homerici Iliad. ε. 100. υ. 416.

Mirum est, Abreschium l. c. sequutum esse morem plurimorum, qui totidem fere significationes tribuunt praepositionibus, quas habent latinae, quibus reddi possunt graecae. Sic scripsit p. 74. ἐξ in compositione denotare *in*, ut: ἐκπεσεῖν εἰς χάσμα γῆς, quod est apud Pausaniam, quamquam ipse ille locus Luciani, quem affert Nigrin. c. 36. ἐκ μέσης τῆς ὁδοῦ καταπίπτειν, veram rationem monstrare poterat. Nam qui iter faciens in fossam incidit, is excidit *ex via* in fossam. Sic apud Xenophontem Hist. Gr. V, 4. 17. ὅπλα ἀναρπασθέντα ἐξέπεσον εἰς θάλατταν. Sed ἐκ μέσης τῆς ὁδοῦ καταπίπτει est mediam viam emensa cadit, q. e. post mediam viam. — Praepos. παρά significare dixit in composi-

ea natura sit, ut rei cuiusdam, quae ipsi inest, notionem coniungat cum rei alterius cogitatione, quae aut causa eius sit aut effectus, sequitur, addi praepositiones verbis simplicibus, ut intelligatur, quo sit eius rei notio, quae ipsis verbis inest, referenda; veluti, qui dicit, se ἔχειν τι, is indicat, possessionem cuius-

---

tione non tantum εἰς, πρός, σύν, πρό sed etiam ἐξ et ἀπό. Sed in exemplis omnibus, quae afferuntur, nihil aliud significat quam *iuxta*, cui notioni inhaeret *praeter*. (Nos: *neben*, *bey*, *vorbey*.) Haec autem significatio verbis, pro eorum diversa notione, diversam vim addit, ut παρακλείειν est quidem secludere, excludere, sed non propterea quod ipsa praepos. παρά i. q. ex significet, sed quod is, qui non eodem loco sed praeter eum locum clausus est, ab hoc ipso loco exclusus cogitatur. Et apud Aristophanem Eccles. v. 129. παριέναι verti quidem potest prodite, dicitur enim πάριτ' ἐς τὸ πρόσθεν et statim post: κάθιζε παριών. Sed tamen et h. l. παρά est iuxta, proprie, et παριέναι est accedere prope alium, ut παρέρχεσθαι. Apud eundem Aristoph. Thesmophor. v. 804. legitur παρακύπτειν ἐκ τῆς θυρίδος, et paulo ante ἐγκύπτειν. Illud dicunt esse i. q. προκύπτειν et παρά vicem gerere τῆς πρό, hoc dicunt esse pro ἐκκύπτειν. Sed in hoc festivo loco παρακύπτειν non est exserto capite prospicere ex fenestra, sed intra fenestram leviter inflexo ad latus capite prospicere, (notio τῆς πρό est in ipso verbo κύπτειν) ut faciunt curiosae verecundiores. Quare statim addit v. sequ. κἂν αἰσχυνθεῖσ' ἀναχωρήσῃ, πολὺ μᾶλλον πᾶς ἐπιθυμεῖ αὖθις παρακύψαν ἰδεῖν. Neque ἐγκύπτειν est pro ἀνακύπτειν ut explicat Schol., sed est incumbentem (fenestrae) prospicere, differtque a παρακύπτειν, quo eodem sensu usi sunt scriptores sacri. Luc. XXIV, 12. Ioh. XX, 5. 11. Veram verbi vim ostendunt exempla, quae dedit Wetsten. T. I. p. 823. in primis locus Aristoph. Pac. v. 981. sequ. Itaque valde dubito, quin παρακύψαι Iac. I, 25. sit *diligenter* considerasse et *satis* cognitum habere. Imo est simpliciter cognovisse, notitiam habere legis. Dicit: qui legem cognitam habet, is *si* non est auditor obliviosus (γενόμενος) sed facit quae lex praecipit, is demum μακάριος ἔσται. De notitia quacunque (nec diligenti) dicitur apud Lucian. I. Reviv. p. 598. Eodem modo 1. Petr. I, 12. nihil amplius est, quam conspicere, cognoscere. Sed haec quidem hactenus.

dam rei secum esse coniunctam; sed quum quaeritur, quae sit eius possessionis ratio, praepositione opus est, sive cogitandus sit is, a quo ille eam rem habeat, ἔχειν ἀπό τινός seu παρά τινός, sive designetur, ubi habeat, ut ἔχειν ἐν χειρί, seu ἔχειν μισθὸν παρὰ τῷ πατρί, *Matth.* VI, 1. Hinc facile intelligitur, qui fiat, ut prorsus diversa sit significatio formulae ἔχειν ἀπό τινός et ἀπέχειν seu ἀπέχεσθαι· nam praepositio cum verbo ipso copulata novam plane significationem eamque ut in plurimis aliis, vi verbi simplicis contrariam efficit; res enim non amplius coniuncta, sed seiuncta cogitatur. Alia ratio est, quum ἀπέχειν *accepisse* seu *recepisse* (non recipere) significat, ut ἀπέχειν μισθόν, *Matth.* VI, 2. 5. 16. ibi enim ἀπό non seiunctionem, sed rei aliunde factam accessionem denotat, ut valde erraverit, qui ἀπέχειν μισθόν nihil amplius significare, quam simplex ἔχειν, putet: differunt enim, ut in lingua vernacula *haben* et *weg haben*, sive, ut recte Lutherus vertit, *dahin haben*. Sed illud dubium videri posset, an in illa formula ἀπέχεσθαι ἀπό τινος redundet praepositio; potest enim eadem significatione dici sine praepositione, ut *Act.* XV, 20. ἀπέχεσθαι ἀπὸ τῶν ἀλισγημάτων τῶν εἰδώλων et v. 29. ἀπέχεσθαι εἰδωλοθύτων. Verum ut nos dicimus quidem utrovis modo: *sich von einer Sache enthalten*, et: *sich einer Sache enthalten*, ita tamen ut in priori formula seiunctionis cogitatio ad rem, in posteriori autem ad nos ipsos referatur: sic etiam ἀπέχεσθαί τινος et ἀπέχεσθαι ἀπό τινος differunt, non quoad rem ipsam, sed modo cogitandi. Quod si cui subtilius quam verius dictum videatur, is monendus est, in unaquaque lingua non hoc tantum spectari, ut idem cogitetur, sed ut cogitetur et veluti sentiatur eodem modo. Quare quo magis est exculta lingua quaepiam, eo magis abundat particularum usu, quarum haec potissimum provincia est, ut quemcunque modum et relationem quamcunque indicent et veluti sensibus exponant. Itaque non mirum

est, in lingua Hebraica integris formulis opus esse, ubi in Graeca sufficiat unum verbum compositum cum praepositione. Denique quum verbo composito alia praepositio adiungitur, facile intelligitur, id fieri, ut accuratius describatur relatio earum rerum, quarum cogitatio verbo coniungitur, sive ut integra sit rerum notitia, v. c. *καταβαίνειν ἀπ' οὐρανοῦ, ἀναβαίνειν εἰς ὕψος, ἀπαναγαγεῖν ἀπὸ τῆς γῆς*, de quibus dubitari non potest, an redundent. Sed nunc ad varios, quibus in ipsis verbis compositis vis praepositionum constat, modos describendos perveniamus, idque sic instituamus, ut exemplis e N. T. potissimum petitis utamur.

Est autem duplex omnino vis praepositionis in verbo composito: aut enim mutat significationem verbi, ita ut alia res cogitetur in verbo composito, quam in simplici, v. c. *ἔχειν, ἀπέχειν, ἀνέχειν· αἰτεῖν, ἀπαιτεῖν· ἀλγεῖν, ἀπαλγεῖν· καλύπτειν, ἀποκαλύπτειν· σοφίζειν, κατασοφίζειν*· aut efficit, ut eadem quidem res cogitetur, sed certa relatione et alio modo. Et de primo quidem genere nulla est dubitatio; incurrit enim in sensus, composita illa aliam significationem quam simplicia habere: sed disputatur tantum de iis verbis compositis, in quibus cogitari potest eadem res, quae in simplicibus cogitatur. Et quoniam diversissimae sunt rerum relationes variique maxime modi eandem rem cogitandi, quorum ratio non ubique facile patet, fieri solet, ut verba composita nihil aliud vel nihil amplius, quam simplicia plerumque significare praecipiant, et modo non mutare praepositiones verborum significationem, modo nullam accessionem fieri significationis ad vim verbi simplicis, modo non emphasin efficere praepositiones dicant; his enim formulis promiscue utuntur. Sed tollenda est haec ambiguitas.

Itaque praepositiones in verbis compositis hanc vim habere existimamus, ut, etiamsi eadem res cogitetur,

cuius notio inest in verbo simplici, ea tamen res cogitetur alia ratione et alio modo. Et rationem quidem dicimus relationem eam, quae inter eas res locum habet, quarum notitiae verbo copulantur, modum autem vocamus, quo cogitatio illarum rerum animum afficit. De utroque genere deinceps dicemus.

Primum igitur relationis notionum eaedem causae sunt, quibus res ipsae inter se cohaerere possunt, i. e. temporis, loci s. spatii, et nexus causae atque effectus, in quibus relationibus significandis propria est vis et provincia praepositionum. Itaque quum praepositio cum verbo componitur, primum hoc efficitur, ut, quae *temporis* inter duas res relatio sit, intelligatur, aut cogitetur, unam alterius esse causam. Nam qui dicitur *ὁρίζειν τι*, is cogitatur eam rem decrevisse, sed quando decreverit, incertum est, quamquam ex rebus aliis coniici fortasse potest, quo tempore decretum captum sit. Sed quum cogitandum est, illum decrevisse ante, quam viverent hi, ad quos illud decretum pertinet, recte dicitur ille *προορίζειν*, et falsissimum est dicere, quod plurimi dicunt *), *προορίζειν* nihil amplius denotare, quam simplex *ὁρίζειν*. Eadem est ratio verborum *γινώσκειν* et *προγινώσκειν*. Nam qui *ἔγνω τι*, ei quidem placuisse quidquam cogitatur, sed quoniam variis temporibus placere potest, quum volumus cogitari, id illi dudum ante placuisse, scribendum est *προέγνω*, ut in *Ep. ad Rom.* VIII, 29. 30. Attamen, nisi fallimur, hic ipse Paullinus locus in causa fuisse videtur, cur illam de verborum simplicium et compositorum pari vi et significatione regulam excogitaverint, ne quid relinquerent his, qui in illis verbis cupidi erga quosdam homines studii divini vestigia reperisse sibi videbantur.

---

*) Recte ab eiusmodi praeceptis *Wahlius* abstinuit.

Loci autem s. spatii triplex relatio est; cogitatur enim quaecunque res aut in loco esse, aut ex loco moveri, aut in locum venire. Itaque praepositionum haec vis est, ut, quum verbis iungantur, unam vel alteram illarum relationum indicent. Quae quamquam sunt clarissima, (quis enim neget, verba composita *ἀναβαίνειν*, *καταβαίνειν*, *ἀναβάλλειν*, *καταβάλλειν*, *ἀνάγειν*, *κατάγειν*, *ἀπέρχεσθαι*, *προσέρχεσθαι*, amplius quid quam simplicia significare?) tamen de quibusdam verbis N. T. interpretes praecipere solent, eorum significationem non differre a vi simplicium. Sic *ἀναστενάζειν* (*Marc.* VIII, 12.) dicunt significare simpliciter suspirare, ingemiscere, gemere, non autem alte ingemiscere, ideoque positum esse pro simplici *στενάζειν*. Sed quamquam concedendum est, *ἀναστενάζειν* per se non denotare alte seu graviter ingemiscere, tamen *ἀναστενάζειν* significatione differt a simplici *στενάζειν*. Hoc enim indicat, suspirare aliquem, in illo autem praepositio efficit, ut suspirantem ex imo pectore ducentem suspiria et in altum emittentem cogitemus, unde fit, ut etiam fortius sit compositum simplici. Porro quum dicunt, *ἀναπληροῦν* nihil amplius significare quam *πληροῦν*, idem agunt, quasi quis dicat, in lingua germanica verba *füllen*, *anfüllen*, *ausfüllen* et *erfüllen* minime differre. Sed solent vulgo duplex opinionis suae argumentum afferre, primum, quod in iisdem dictionibus verba simplicia et composita promiscue ponantur, v. c. dici eodem modo *πληροῦν τὸν νόμον* et *ἀναπληροῦν*, *στενάζειν* et *ἀναστενάζειν*; deinde, quod verba simplicia et composita in N. T. pariter respondeant iisdem verbis hebraicis. Sed utraque ratio facile refelli potest. Primum enim, etiamsi simplicia eiusdem rei notionem contineant, ita ut, sive simplex verbum sive compositum audias, eandem rem utcunque cogites, ideoque in multis dictionibus integris simplicia et composita promiscue adhiberi possint; id tamen non fit propterea, quod nihil amplius composita

significant, sed quoniam aut ex reliquis eiusdem dictionis verbis intelligitur vis vera verbi simplicis, aut usu verborum simplicium potestas aucta est, quod saepe solet fieri. Quamquam igitur concedendum est, *ἀναπληροῦν τὸν νόμον* et *πληροῦν κ. τ.* eodem sensu dici posse, inde tamen non sequitur, *πληροῦν* et *ἀναπληροῦν* idem significare et compositum a simplici minime differre. Quod si verum esset, pro *ἀναπληροῦν* omnibus locis scribi posset *πληροῦν*, quod fieri non posse ipsi concedent. Sed quum dicunt, scribere Marcum modo *στενάζειν*, modo *ἀναστενάζειν*, atque hoc certo argumento esse, vi non differre haec verba, id quidem ita ineptum est, ut verbum addere taedeat. At dicunt, utrumque verbum eidem verbo hebraico respondere, atque omnino scriptores N. T. eadem verba hebraica, alias compositis, alias simplicibus, reddidisse, ita ut verba e praepositionibus coagmentata omnia in libris divinis per se potestate paria verbis simplicibus ponenda esse appareat. (*Fischer.* l. c. p. 124.). Sed qui utriusque linguae periti sunt, et norunt paupertatem linguae hebraicae, hi sponte intelligent, nihil aliud inde sequi, quam scriptorem graecum relationes eiusdem rei varias variis verbis compositis exprimere posse, quas eodem verbo simplici exprimere cogatur scriptor hebraicus; constat enim linguam hebraicam verbis compositis prorsus carere.

Verum quae de loci relatione supra diximus, cui indicandae plerumque inserviant praepositiones in verbis compositis, ea verissima esse, ex iis potissimum verbis intelligitur, quae ex duabus aut tribus praepositionibus composita sunt. In eiusmodi verbis enim binae aut trinae loci relationes eiusdem rei simul animo et veluti sensibus obiiciuntur. Valde enim errat, qui aut unam aut duas praepositiones redundare putat. Stulte Schol. ad Apollon. Rhod. III, 665. de verbo *ἐπιπρομολοῦσα* dicit, *περιττεύει ἡ ἐπὶ πρόθεσις*: nam sen-

sus est, eam non solum foras exiisse (πρό), sed simul etiam supervenisse (ἐπί), utramque vero cogitationem idem verbum exprimit. Clarissima exempla in illis Homericis ὑπεξαναδὺς (Iliad. ν, 352.) et ἐξυπανέστη (Iliad. β, 267.) reperiuntur, quae ipsum Eustathium commoverunt, ut singularum praepositionum vim diligentius exponeret. (217, 17.). Atque hujusmodi verba etiam in N. T. plurima reperiuntur, sed pauca sunt quae ab Lexicographis solemni illo signo: *i. q.* non fuerint temere notata. Ex his haec sufficient?

Ἀνταναπληροῦν. Semel occurrit Coloss. I, 24. Dicunt, esse i. q. ἀναπληροῦν. Sed falluntur. Est enim ἀνταναπληροῦν non simpliciter replere aliquo, sed ita, ut id sit alterius quod deficit, loco et vice vel supplere. Demosthenes (περὶ Συμμορ.) p. 182. 20. τούτων δὲ τῶν συμμοριῶν ἑκάστην διελεῖν κελεύω πέντε μέρη κατὰ δώδεκα ἄνδρας, ἀνταναπληροῦντας πρὸς τὸν εὐπορώτατον ἀεὶ τοὺς ἀπορωτάτους. Dio Cass. L. XLIV. c. 48. ἵν' ὅσον καθ' ἕκαστον αὐτῶν ἐνέδει — τοῦτο ἐκ τῆς παρὰ τῶν ἄλλων συντελείας ἀνταναπληρωθῇ. Apollon. Alex. de Synt. I. p. 19. Sylb. ἡ ἀντωνυμία — ἀνταναπληροῦσα καὶ τὴν θέσιν τοῦ ὀνόματος, καὶ τὴν τάξιν τοῦ ῥήματος. III. p. 255. ἵν' ἑκάτερα ἀνταναπληρωθῇ τοῦ λείποντος. item p. 330. Quare verba Pauli: ἀνταναπληρῶ τὰ ὑστερήματα τῶν θλίψεων τοῦ χριστοῦ ἐν σαρκί μου male vulgo explicantur: *quod reliquum est calamitatum, suppleo*, h. e. (ut aiunt) *perfero*. Nam ὑστέρημα in libris Vet. et Novi Test. non denotat quod reliquum est, sed defectum. Ergo ὑστερήματα τ. θλίψεων sunt, quae deficiunt a calamitatibus, s. per calamitates, ut 1. *Cor.* XVI, 17. τὸ ὑμῶν ὑστέρημα οὗτοι ἀνεπλήρωσαν est: suppleverunt, quod per vos deficiebat. cf. *Philipp.* II, 30. Itaque ἀνταναπληρῶ τὰ ὑστερήματα τῶν θλίψεων est, suppleo, i. e. *compenso*, quod mihi deest a calamitatibus, quas Christi causa fero ὑπὲρ ὑμῶν, τῷ ὑμῶν περισσεύματι 2. Cor. VIII, 14. Praecesserat: χαίρω τοῖς παθήμασιν ὑπὲρ ὑμῶν.

Ἀνταποδίδωμι. Male Fischerus h. v. attulit ut demonstraret, praepositionis *ἀντί* nullam saepe vim esse in compositis. Nam in omnibus N. T. locis manifesto habet vim suam propriam, ut Rom. XI, 36. *ἢ τίς προέδωκεν αὐτῷ καὶ ἀνταποδοθήσεται αὐτῷ;* et 2. Thess. I, 6. *ἀνταποδοῦναι τοῖς θλίβουσιν ὑμᾶς θλῖψιν.* Eadem vis est in voce *ἀνταπόδομα* et *ἀνταπόδοσις.* Nam Coloss. II, 22. *ἀνταπόδοσις τῆς κληρονομίας* non est praemium pietatis (quo sensu nunquam dicitur *κληρονομία*,) sed genitivus denotat h. l. ut alias rem ipsam, in qua *ἡ ἀνταπόδοσις* cernitur.

Ἀνταποκρίνομαι. Non est, ut dicunt, simpliciter, respondeo, sed vicissim respondere ad dicta alterius, *auf etwas antworten.* Sic Luc. XIV, 6. *οὐκ ἴσχυσαν ἀνταποκριθῆναι αὐτῷ πρὸς ταῦτα,* quae Iesus quaesiverat *ἀποκριθείς* v. 5. Hinc Rom. IX, 20. denotat, *contendere.* Poterant ex hoc uno loco discere praepositionem in h. v. non esse otiosam.

Ἀντιπαρέρχομαι. Verum est, nullam emphasin in h. v. esse, Luc. X, 31. 32. Sed falsum est, idem esse, quod simplex *παρέρχομαι.* Significat enim, homunciones illos non solum praeteriisse, sed ex adverso viae latere, i. e. ne accessisse quidem, (conf. v. 34.) sed, quum miserum hominem e longinquo conspexissent, adversa parte praeteriisse.

Ἀπεκδέχομαι. Nulla est emphasis: nam compositum per se plus quam simplex significat. Est enim hoc, exspectare, sed illud ad finem usque exspectare, ut docui in Cap. VI. de Synonymis in N. T.

Ἀπεκδύομαι. Idem esse putant quod *ἀποδύομαι* et *ἐκδύομαι.* Sed est haec vis in praepositione *ἀπό* et *ἐκ,* quae in antecedenti v. deprehenditur. Dicitur *ἀποδύομαι* et *ἐκδύομαι,* ut sit utrumque exuere se, sed in

ἀποδύεσθαι cogitatur res, qua quis se exuit, in ἐκδύεσθαι potius is, qui se exuit aliqua re, qua fuerat antea circumdatus et quasi immersus. vid. 2. *Cor. V*, 3. 4. Ergo in ἀπεκδύομαι utrumque cogitatur, ut significet prorsus se exuere, *excutere*. Itaque Coloss. II, 15. ἀπεκδυσάμενος τὰς ἀρχὰς est (propria verbi medii significatione) excutiens potestates ut *Cicero* Leg. Agrar. 2. 60. *imperatores excutere*. Eadem est ratio locorum, quos attulit *Perizon. ad Aelian.* II, 30. Rectius *Dresigius* de verbis med. I, 17. Neque alio sensu accipienda sunt *Coloss.* III, 9. ἀπεκδυσάμενοι τὸν παλαιὸν ἄνθρωπον, i. e. prorsus exuentes; neque opus est ad formulam hebraicam confugere.

Ἐπαναπαύομαι non est idem, quod ἀναπαύεσθαι. Hoc est quiescere, illud acquiescere, super s. in aliqua re, ut Luc. X, 6. deinde *confidere* aliqua re, q. d. requiescere securum, τῷ νόμῳ Rom. II, 17. quo sensu non dicitur ἀναπαύεσθαι. Vid. Wetsten. ad h. l.

Ἐπανέρχεσθαι amplius quid significat, quam ἀνέρχεσθαι. Hoc enim reverti denotat s. redire, sed in illo cogitatur reditus in eum ipsum locum. Sic Luc. X, 35. ἐν τῷ ἐπανέρχεσθαί με, quum *huc* rediero. conf. XIX, 15.

Ἐπεκτείνεσθαι perperam dicunt esse i. q. ἐκτείνεσθαι. Nam hoc est simpliciter extendere, sed illud est ἐκτείνεσθαι πρός τι, ut *Philipp.* III, 5. τοῖς δὲ ἔμπροσθεν ἐπεκτεινόμενος, q. d. πρὸς τὰ ἔμπρ. ἐκτεινόμενος.

Προκαταγγέλλειν et προκαταρτίζειν omnes concedunt plus denotare quam καταγγέλλειν, καταρτίζειν. Quid igitur est, quod in προγινώσκειν et προορίζειν negent praepositionem vim verbo addere? Scilicet quod nulla emphasis inesse videatur. Sed de emphasi, secuti esse poterunt, non debebant autem temere praecipere, eandem praepositionem in aliis verbis vim habere, in aliis esse otiosam.

Haec exempla monere interpretes N. T. poterant, ut de vi praepositionum in verbis compositis paullo accuratius quaererent *).

---

*) Liceat h. l. tironum gratia notare, Graecos in verbis cum pluribus praepositionibus componendis, hanc rationem servare, ut praepositiones adiungantur eo ordine, quo ipsae notiones sese excipiunt. Sic *ἀναδύειν* cum duabus praepositionibus (non *δύειν* cum tribus) compositum est ita, ut non priori loco posita sit *ἐξ*, sed *ὑπό*, quia prior ordine est cogitatio, *τὸν ἀναδύοντα e loco inferiori* emergere, deinde *prodire*, cui proximum est *ἀναδύειν*. Sic etiam *ἐξάγω*, *ὑπεξάγω*, *ἀνθυπεξάγω*. Quod dixi, in verbis eiusmodi proprie duarum tantum praepositionum rationem habendam esse, hanc causam habet, quod tertia, quae proxime cum verbo simplici coniuncta est, hanc vim habet, ut verbi simplicis notionem ipsam mutet, ideoque ne potest quidem ab eo abesse. Videt quisque plenam notionem rei, quae cogitanda est, non in *ἄγειν* et *δύειν*, sed in *ἐξάγειν* et *ἀναδύειν* contineri. Hinc fit, ut verbis cum praepositione compositis addatur altera, qua ipsius verbi vis, per primam praepositionem effecta, nonnunquam rursus tollatur, v. c. *ἀποσυνάγω*, *ἀποσυσσιτέω*. Est autem primi verbi compositi significatio tenenda. Quare, quod in nonnullis Codd. legitur 1. Tim. VI, 5. *διαπαρατριβαί* pro *παραδιατριβαί* sine dubio vitiosum est. Non dicitur enim, isto quidem sensu, *παρατρίβειν*, sed *διατρίβειν*, *διατριβή*, unde *παραδιατριβή*. Quamquam scio, a Suida *παρατριβὴν* exponi *λογομαχίαν*, ad incerti auctoris verba: *τὴν γενομένην πρὸς αὐτὸν παρατριβὴν καὶ ζηλοτυπίαν*. Sed ibi potius intelligi videtur contentio, quasi nos dicamus *Reibungen*. Apostolus autem loquitur de vanis studiis (*ματαίας σχολὰς* recte Theophyl.) hominum *διεφθαρμένων*, *τῶν νομιζόντων πορισμὸν εἶναι τὴν εὐσέβειαν*. Aliena est notio contentionum. Et manifeste dicit, *τὰς ζητήσεις καὶ λογομαχίας* esse causam *τῶν παραδιατριβῶν*. Quare vulgatam retinendam putaverim, etsi plurimi Codd. illud habent. Sed iam in vetustissimis libris lectionem variasse ex ipsius Chrysostomi explicatione ad h. l. cognoscitur. Is enim duplicem interpretationem affert, quarum una ad v. *παραδιατριβαί*, altera ad *παρατριβαί* pertinet. Verba sunt haec: *διαπαρατριβαί*, *τουτέστι σχολὴ ἢ διατριβή*· *ἢ τοῦτό φησι· διαπαρατριβαί· καθάπερ τὰ ψωραλέα τῶν προβάτων παρατριβόμενα νόσου καὶ τὰ ὑγιαίνοντα ἐμπίπλησιν*,

Denique praepositionum vis in eo quoque cernitur, quod indicant relationem *causae* et *effectus*. Sed tam late haec ratio patet, ut mirandum non sit, in ea observanda et explicanda N. T. interpretes varie peccasse. Dicimus autem causae et effectus relationem h. l. eam, qua res, cuius notio est in verbo, coniungitur aut cum re ea, ad quam illa tamquam obiectum suum (ut dicunt) refertur, aut cum persona vel re, in qua conditio seu actio, quae verbo significatur, inesse cogitatur. Prioris generis sunt καταγελᾶν, καταγγέλλειν, κατακρίνειν, κατηγορεῖν, ἐπινοεῖν, κατανοεῖν, περινοεῖν: in his enim praepositio ad eam rem seu personam spectat, quae est obiecta actioni; ex posteriori genere sunt ἐννοεῖν, διανοεῖσθαι, ἐνεργεῖν, ἐνθυμεῖσθαι: nam in his compositis praepositio indicat ipsum, quod vocatur, rei subiectum. Est vero utriusque generis non facilis observatio; continetur enim in eo magna pars subtilitatis et elegantiae linguarum, et graecae potissimum, quae huiusmodi verbis maxime abundat, quibus quum hebraica lingua prorsus destituta sit, mirum non est, scriptores N. T. alias compositis verbis uti, alias formulis, quibus ea circumscribuntur in lingua hebraica; v. c. *Rom.* VIII, 23. στενάζομεν ἐν ἑαυτοῖς, *Marc.* VIII, 12. ἀναστενάξας τῷ πνεύματι. Falso autem quis existimaverit, in eiusmodi formulis esse merum pleonasmum. Sunt etiam verba, ex priori potissimum genere, in quibus praepositio ad eandem rem referenda est, quae est in ipso

---

οὕτως καὶ οἱ πονηροὶ ἄνδρες. Homil. XVII. in Ep. I. ad Tim. Tom. XI. 648. Vix dubito, quin priori loco legendum sit παραδιατριβαί. Utramque lectionem etiam Theophylactus ante oculos habuisse videtur, sed Oecumenius explicat tantum διαπαρατριβάς eodem modo. Certe si legitur διαπαρατριβαί, id non denotat perversas disputationes, sed potius contentiones pertinaces. *Zonaras*: διαπαρατριβαῖς· ἐνδελεχείας.

verbo, praesertim ea, quae ex nomine substantivo vel adiectivo facta sunt; in quibus valde erraverit, qui nullam vim habere praepositionem putet. Exemplo sit verbum *ἀνασταυροῦν*, quod male quidem nonnulli interpretati sunt *rursus cruci affigere*; sed male quoque alii docuerunt, praepositionem *ἀνά* omni vi carere. Quamquam enim nulla emphasis est in praepositione, ea tamen hanc vim habet, ut exprimatur res, seu obiectum, quod est in ipso verbo; refertur enim ad *σταυρόν*, significatque ipsum actum, quo quis cruci affigitur, plane ut dicitur *ἀνασκολοπίζειν*. Itaque etiamsi concedendum sit, idem cogitari posse in verbo simplici *σταυροῦν*, quod est in composito *ἀνασταυροῦν*, tamen non otiosa est praepositio; indicat enim relationem actionis et rei obiectae; imo in eiusmodi verbis compositis verbi simplicis notionem pleniorem reddit praepositio. Quod ea verba clare demonstrant, quorum propria significatio ipsius praepositionis adiectione efficitur, ut *ἀνακεφαλαιοῦν*, *προχειρίζειν*, *κατοικεῖν*, *καταρτίζειν* et similia.

Sed haec ipsa exempla nos monent, ut de ea praepositionum vi dicamus, quae in eo cernitur, quod per eas efficitur, ut *eadem res cogitetur alio modo*. Dicimus autem modum rationem eam, quae intercedit rem, quae cogitatur, et animum cogitantis. Habent igitur praepositiones hanc quoque vim, ut, quum illam rationem mutent, diversum quoque indicent modum cogitandi. Nam quum varie afficiatur animus pro ratione varia, quae rem, quae cogitatur, et ipsius cogitantis animum intercedit, sequitur, praepositiones, quae rationem illam mutent, etiam verbi ipsius vim mutare debere. Sed huius rationis indicio quamquam proprie inserviunt particulae eae, quae coniunctiones vocantur, tamen praepositiones quoque in verbis compositis eam saepe vim habent, ut fortior fiat cogitatio, quoniam res cogitatur aliqua ratione,

quae fortius animum afficere videatur. Sunt autem huius quoque generis varii modi, quorum praecipuos tantum designabimus; foret enim longius, omnes sigillatim exponere. Sed actionis seu conditionis cuiuscunque ratio, qua animus cogitantis afficitur, pendet e studii, temporis locique et efficientiae cogitatione, quam ubi praepositiones indicant, ibi etiam augent vim, qua notio quae inest verbo simplici, afficit animum, ita ut mutetur modus cogitandi. Primum igitur praepositiones quaedam cum verbis compositae singulare quoddam studium indicant, quod cum actione est coniunctum, habentque hanc vim, ut, etsi non augeatur significatio ipsa, tamen amplius quid cogitetur et magis sentiatur, quam si verbum simplex audiamus. De eiusmodi verbis compositis qui non satis accurate iudicarunt, hi excusationem hanc habere videntur, quod significatio praepositionum propria, a rerum, quae sensibus tanguntur, efficientia petita, ubi ad mentis actiones transfertur, usu plerumque sic extenuatur, ut eius ratio non ubique facile pateat. Huiusmodi est *καταφιλεῖν*, in quo manifesto maior vis inest, quam in verbo simplici, quamquam, ut interpretes dicunt, Evangelistae utrumque verbum promiscue et indistincte posuerunt. Et nescimus sane, quo iure dicant compositum illud a simplici in N. T. non differre, quum concedant, apud alios scriptores compositum maiorem vim habere. Huic cognata est altera ratio, quum praepositiones, quae temporis locique significationem habent, maiorem actionis vim ostendunt, ideoque maius etiam studium indicant. Ex hoc genere sunt pleraque composita cum praepositione *διά*, ut *διατηρεῖν*, *διακούειν*, *διακρινεῖν*, *διαφυλάσσειν*. Indicat enim illa praepositio proprie motum per quoddam spatium, deinde etiam de tempore dicitur, quod dum decurrit, fieri quidquam cogitatur, unde fit, ut etiam de causa dicatur. Itaque maiorem vim illa verba composita habent, quoniam indicant,

id, quod cogitatur, fieri, donec omne spatium et tempus emensum actione fuerit, ut διασῴζειν, διασαφεῖν, διαφθείρειν, διϊσχυρίζεσθαι. A quibus differunt ea, in quibus est propria notio loci, ut διαγγέλλειν, quod tamen nonnulli falso dixerunt idem esse quod simplex ἀγγέλλειν. Tertium denique idque non minus frequens genus ea verba complectitur, in quibus praepositio vim simplicis intendit, quoniam indicat, statum seu actionem, quae verbo significatur, ad rem totam pertinere neque prius desinere, donec tota confecta fuerit. Ex hoc genere sunt ἀποθνήσκειν, ἀποκτείνειν, ἀπολείχειν, ἀποθλίβειν, ἐκφυγεῖν, et similia, quae vulgo nihil amplius significare putant, quam simplicia. Et concedimus quidem, in simplicibus eandem rem cogitari posse, sed sentient tamen omnes, eam cogitari alio modo, et vim verborum augeri ipsamque cogitationem intendi, quoniam praepositio eam actionem, quae verbo simplici significatur, consummatam et confectam esse indicat. Fortius est igitur ἀποκτείνειν, quia simul cogitamus, τὸν κτείναντα non prius desiisse, quam caedem perfecerit: fortius item est ἀποθνήσκειν, quoniam animo offertur cogitatio mortis vere insequutae. Errant etiam, qui ἀποθλίβειν dicunt idem esse quod simplex θλίβειν: indicat enim, quempiam non solum premi, quod fieri potest etiam ab uno tantum latere, sed premi undequaque, uti de uvis dicitur. Falsum est etiam, quod dicunt, ἀπολείχειν non differre a simplici λείχειν, eleganter enim dicitur *Luc.* XVI, 21. οἱ κύνες ἀπέλειχον τὰ ἕλκη αὐτοῦ, in quo quis non videt amplius esse quidquam, quam si scriptum fuisset ἔλειχον? Augetur etiam vis, quae in actione cogitatur, quum praepositio eadem post verbum repetitur, ut supra dictum est. Superest ex hoc genere alia eaque frequentissima species, de qua brevissime dicemus. Scilicet quum gravius animus commoveatur, si rem non cogitet tantum, sed eam veluti omnibus modis suis de-

scriptam videat aut sentiat, intelligitur, verbis compositis vim maiorem inesse his, in quibus praepositiones quasi plenam rei gestae imaginem efficiant; cuiusmodi sunt illa potissimum, quae cum duabus aut pluribus praepositionibus composita sunt. Nam non hoc tantum videndum est, an res cogitari quodammodo possit, sed ut certo modo cogitetur, animusque clarissima imagine impleatur, quum accurate omnia, quomodo gesta sint, conspiciat. Quemadmodum igitur vehementer errarunt, qui in illis, ὑπεξαναδύς, ἐξυπανέστη, ἐπικρομολοῦσα, unam alteramve praepositionem otiosam esse putarunt, ita etiam falsum est, παρακορεύεσθαι, παριέναι, διοδεύειν, et similia, de quibus supra dictum est, nihil amplius quam simplicia significare. Quamquam enim eandem rem cogitamus in verbis simplicibus, eam tamen composita accuratius describunt, ut eam veluti oculis videamus, ideoque fortiorem cogitationem in animo cogitantis excitant.

Sed his brevius tantum disputatis si ad vim praepositionum studiosius indagandam literarum graecarum et sacrarum studiosos nonnullos impulerimus, operae pretium nobis fecisse videbimur.

P. P. Dom. VI. p. Trin. a. Dom. CIƆIƆCCCXIV.
in Univ. Lips.

DE

SIMPLICITATE IN INTERPRETATIONE N. T.

Ecclesiam Christi non humano arbitrio sed divino spiritu regi, monent nos dies festi, *Cives Carissimi*, quibus memoriam Pentecostes celebraturi sumus, qua hoc ipso spiritu, quem Dominus, ex hac vita discessurus, suis promiserat, Apostoli divinitus imbuti sunt. Accidit tunc quidem, quod apud homines, in externis rerum vicissitudinibus, aut spem salutis, aut metus causam, quaerentes, plerumque evenire solet, ut summi beneficii, quod Apostolis contigerat, vera ratio a paucissimis intelligeretur; neque postea eam omnes perspexerunt, quum imperandi lubido, et opinionum humanarum arbitrium ecclesiam Christi invasisset. Nostra autem aetate, quum externa vi geri omnia, rectaeque rationis leges superbissime contemni videant homines, ad regni divini, interni illius, puri, iusti et aeterni, cogitationem rarissime attollunt animos, imo praesentium malorum sensu torpentes, rebus, quas vident et sentiunt, plerumque aut inertes sponte acquiescunt, aut omnem vitam suam impendere vel inviti coguntur. Et sunt haud pauci, verborum Domini, qui τὸ πνεῦμα τῆς ἀληθείας ecclesiae promisit, adeo obliti, ut ecclesiam dei vix discrepare

ab humano instituto arbitrentur. Sed horum quidem opinionem tempus redarguet; nunquam enim ecclesiam, vel maxime periclitantem, divinus ille spiritus prorsus deseret, imo in posterum quoque reget, et, inter summa pericula, usque ad finem rerum humanarum conservabit. Decet autem omnes, et his diebus potissimum, videre, qua ratione divini spiritus vis inter Christianos servari augerique possit, decet maxime eos, qui literis vitam sacrarunt, cavere, ne sua ipsorum culpa hoc lumen vitae humanae obscuretur aut extinguatur. Quod, verendum est, ne eorum potissimum vitio accidat, quorum eruditione et studio fieri maxime debet, ut verbum divinum, per quod spiritus sanctus operatur, indies rectius intellectum, vitam humanam magis magisque illustret, ipsumque Evangelium pure in ecclesia perpetuo conservetur. Nam quum spiritus dei per hanc ipsam vim, quae verbo dei inest, efficax sit, intelligitur, neque divinum illud beneficium servari, neque ecclesiam salvam esse posse, nisi scriptura sacra, a viris eruditis recte explicata, Christianis omnibus pateat, ut, quae ad vitam pie et honeste peragendam necessaria sunt, ex hoc purissimo fonte haurire possint. Sed est hic de interpretatione N. T. amplissimus locus, et a plurimis iisque doctissimis viris tam saepe tractatus, ut fere nihil relictum videatur, quod de ratione vera interpretandi moneri possit. Verum tamen quum saluberrima praecepta nihil valeant, nisi ea interpreti indoles sit, quae efficiat, ut illis praeceptis recte uti possit, non veremur, ne operam perdant, qui de quibusdam virtutibus, quibus carere interpres non possit, aut scientes admoneant, aut doceant imperitos; praesertim quoniam ambiguus est plerumque praeceptorum illorum usus, nisi et iudicium satis firmatum atque exercitatum, et mens ipsa recte composita et formata fuerit. Et de iudicii quidem exercendi ratione ab aliis, imprimis ab Ernestio,

dictum est. Sed de mentis et animi indole et conformatione, quam vera N. T. interpretatio postulat, nondum ita expositum videtur, ut nihil addi possit, certe de *simplicitate*, quam in N. T. interpretando plerique omnes commendant, sed longe pauciores recte intelligunt, paucissimi assequuntur. De hac igitur virtute interpretis N. T. iam pauca disputabimus.

Ac primum quidem quae sit simplicitas in N. T. interpretatione videndum est. Differt enim a facilitate, quam cum simplicitate coniunctam Ernestius non dubitavit maximam interpretis virtutem appellare [*Instit. Interpret. N. T. P. I. Sect. II. Cap. VII.* §. 22.]. Nam facilitas illa interpretationis quum in eo quaeratur, quod interpretatio sit eiusmodi, ut cuilibet sua sponte in mentem venire debuisse videatur, habet ea quidem commune cum simplicitate hoc, quod non artibus argutiisve quaesita, sed veluti ultro oblata sit interpretatio. Sed potest tamen difficilis inventu interpretatio quaedam simplicissima esse, quum aliae interpretationes, minime simplices, facilitatis quandam speciem mentiantur. Saepe enim simplex interpretatio multa arte magnoque studio quaerenda est. Et facilitas interpretationis non in eo tantum cernitur, quod sine labore reperta videatur, sed quod facilem, id est, eiusmodi sensum prodat, qui cum verbis, consilio et ingenio scriptoris facillime coniungi possit. Atque hac ex parte cognata facilitati simplicitas est, utrique autem, quod argutum contortumque est, opponitur. Nam simplex quidem dicitur, quod partibus suis integrum et consentaneum est, ut hominem simplicem dicimus, in cuius mente integra omnia vere conspirant. Graeci, ut in rerum notionibus designandis multo, quam Romani, accuratiores fuerunt, eam simplicitatis notam, quae integritate constat, τὸ ὁλοκληρὲς, alteram τὸ ἀφελὲς dixisse videntur. Et potest ἀφέλεια simplicitas dici, quatenus nihil certum est, nisi

quod cum eo, ex quo ortum est, aut quo referendum est, plane consentiat, ut incertos homines dicimus, quorum verba et facta neque cum ipsorum mente et consiliis conspirant, neque inter se consentiunt, sed plerumque repugnant rebus his, quarum causa dicta aut gesta videntur. Sed quoniam nihil est omnibus partibus suis integrum et consentaneum, nisi ex eo, unde debebat, natum sit, sequitur, simplicitatem in eo quaerendam esse, quod omnia ex eo orta sint, unde oriri debeant, neque aliunde quidquam veluti insitum sit, quod non insit in natura aut hominis aut rei, de cuius indole quaeritur. Inest autem necessario, maguumque est signum simplicitatis, si nihil, nisi quod abesse non possit, reperiatur; argutiae contra artesque facillime deteguntur, quum aliquid admixtum sit, quod, quomodo necessario adsit, non intelligatur. Placet igitur in artibus pulchris simplicitas, si omnes ac singulas partes ad opus integrum necessario requiri, atque ita conspirare videmus, ut, quae abesse possit, nulla reperiatur; et laudatur in carmine, aliove opere, ornatus quoque simplex, quum nihil in eo inest, quod non necessarium esse videatur. Eodem vero modo de simplicitate in quacunque interpretatione iudicandum est. Est enim simplex interpretatio ea, quae sententiam scriptoris reddit eam, quae necessaria videatur, ita, ut, quum hanc sententiam audiamus, statim intelligamus, sensum auctoris alium esse non posse.

At dicat aliquis, eiusmodi interpretationem necessariam potius, quam simplicem dicendam esse. Enimvero in eo ipso simplicitas cernitur, quod nihil est temere admixtum, sed cum rei ipsius indole necessario conspirant omnia; et quemadmodum verba hominis cujusdam simplicia dicimus, quum rerum, quas ille in mente habet, signa sunt necessaria, ita etiam verborum *simplex* interpretatio dicenda est, quae e scriptoris verbis eam sententiam profert, quae *necessaria*

videri debeat. Sed de hac ipsa necessitate amplius dicendum est. Nam quum simplicitatem interpretationis in eo cerni dicamus, quod non aliam, quam quasi necessaria videatur, sententiam reddat, possit aliquis explicationem nostram multo obscuriorem, quam vocabulum, quod explicatum est, existimare, propterea quod illa necessitas, quum in omnibus libris, tum in libris N. T. maxime, ambigua et incerta videatur. Est autem haec disputatio valde quidem impedita multasque cautiones habet, ut postea videbimus, sed facile tamen expediri potest ratione duplici, quam plerique ignorant, qui, quale quantumque sit grammatici negotium, aut nesciunt aut non recte perpendunt. Primum enim quum verba sint signa rerum, quas cogitamus, eaque non arbitraria, sed usu loquendi ipsaque necessitate certo definita, intelligitur, quod necessario significetur, aut cuius rei signa necessaria nobis offerantur, obscurum esse non posse, si loquendi usum, latius, quam vulgo putant, patentem, et necessitatem eam cognitam habeamus, quam, quoniam ratione, linguarum inventrice, constat, logicam appellare liceat. Sed plerique, qui aliquot libris perlectis, et regulis grammaticorum vulgaribus cognitis, ex Lexicis, pessime plerumque hac ex parte scriptis, linguarum thesauros sibi hausisse videntur, linguasque tum recentiores, tum vetustas potissimum, quasi casu ortas, temere tractare solent, hi vero illius necessitatis, quae necessariis et communibus loquendi, i. e. res, quas cogitamus, vocis signis exprimendi, legibus constat, nullam rationem habent, ideoque pro simplici interpretatione eam habent, quae vulgari Lexicorum auctoritate quam facillime confirmari potest. Sed nobis quidem linguarum rationem maxime ignorare videntur, qui, quarum rerum causas explicare non possunt, eas ad arbitrium populorum, qui illis linguis usi sunt, referre consueverunt. Et quamquam sperari vix potest, fore, ut linguarum omnium, prae-

scitum vetustarum, causas prorsus perspiciamus, omni tamen studio in eo elaborandum est, ut necessariae linguarum causae, non casu ortae, sed in ipsius rationis humanae legibus sitae, delegantur. Quae quo felicius quis indagaverit, is, quam necessario sententiam verba habeant, eo facilius intelliget. Deinde hoc insitum est menti humanae, ut mediis proximis utatur, nihilque longius, quam necesse sit, quaerat; atque haec ipsa hominis integri et simplicis certissima nota est. A natura enim non ad artes, sed ad verum brevissime aut quaerendum aut dicendum impellimur; artes illae vitae pravitate vel mentis malitia quaeruntur. Itaque quum in dicendo eadem lex sit, ut, quid sentiamus, eiusmodi signis indicemus, quae, quid nobis velimus, audientibus brevissima et certissima ratione declarent, omnino haec in interpretatione simplicitatis, i. e. integritatis et necessitatis nota est, si verbis eam sententiam tribuamus, cuius proxima et veluti prima, seu brevissima et certissima signa esse videantur. Atque hoc loco monendi sunt omnes, qui ad libros N. T. explicandos animum adiiciunt, ut hanc sibi simplicitatis, id est veritatis, regulam scribant; atque e proxima, quam locus quisque monstraverit, sententia non nisi gravissimis de causis recedant. Quamquam enim non omnes scriptores N. T. eruditione quadam et subtilitate caruerunt, tamen omnes ab eorum artibus alienissimi fuerunt, qui linguarum divino munere ad mentis suae malitiam aut consiliorum pravitatem dissimulandam, hominesque verborum duplicibus sensibus decipiendos vafre abutuntur. Neque felicius quisquam oratorum divinorum scripta interpretabitur, quam qui illorum simplicitatem recte aestumare potest.

Sed haec res graviter monere videtur, ut de ipsius interpretis simplicitate dicamus, quam vulgo praetermittere silentio solent, qui de boni interpretis indole

acutissime praecipiunt. Est enim mentis quaedam simplicitas, quae quum in omnibus hominibus amari debeat, tum in interprete N. T. maxime optanda est. Cernitur autem in mentis integritate et rectitudine, quae omnia, unicuique rei aut personae propria et necessaria, statim intelligere et sine errore percipere potest, differtque ab indole eorum, quorum animus, aut proprio artium studio, aut vitae a recta ratione alienae usu, sensum naturalem amisit, quos neque moveri amplius simplicitate videmus, in qua summa pulchritudo cernitur, neque percipere quidquam vere et veluti sine ambagibus posse animadvertimus. Sed in illa animi, nullas ambages quaerentis, et ad omnia recta et necessaria concipienda apti promtique, simplicitate, quemadmodum et vitae ornamentum, et veri quaerendi praesidium praestantissimum cernitur, ita ea etiam ab interprete quocunque, et a Novi Testamenti interprete potissimum abesse non potest. Nam qui sensu illo simplici caret, is, quum, quod naturae uniuscuiusque rei et personae proprium aut necessarium est, non intelligat, ne verborum quidem veram sententiam recte assequitur, sed, ut in ipsius mente contorta sunt et perversa omnia, ita etiam in aliorum verbis ambages quaerere cogitur. Verum haec simplitas animi, verendum est, ne citius pereat, quam ad N. T. interpretationem perveniant theologi, ideoque maximopere cavendum est, ne nostra ipsorum culpa corrumpatur. Requiritur enim ad eam primum sensus quaedam naturalis integritas, deinde mentis rectitudo, denique animi puritas et constantia, de quibus omnibus quotidie fere aliquid perire solet. Nam sensus integritas illa, quae in infantibus tam suaviter nos afficit, inter innumerabiles artes, quibus vita humana exercetur, veluti primus adolescentiae flos decidit; ut, quo quis maiori studio formatus sit, eo fere magis ab illa alienus reperiatur. Quod sive vitae nostrae, quae maiora veluti artificia postulet, vitio, sive educationis,

a naturae lege simplici alienae, perversitate fiat, pro magno tamen malo habendum est; quo si literarum opes, quibus heluamur, necessario redimendae fuissent, verendum est, ne aurum aere commutaverimus. Et vel hanc ob causam veterum scriptorum, qui classici vocantur, libri legendi sunt, quod in illis hominibus, Graecis potissimum, v. c. Thucydide et Xenophonte, licet literarum studio magnisque negotiis exercitati fuerint, tamen naturalis sensus illius integritas reperitur, quam nostra aetate paucis servare contigit. Quid vero de mentis rectitudine dicamus, quae quum omnino vitae artificiosae et implicitae usu pereat, tum apud theologos, quaestionum, opinionum, distinctionum, denique innumerabilibus, quibus theologia consita est, spinis suffocata, corrumpitur? Pauci sunt enim, qui mente incorrupta ad N. T. interpretationem accedant; plerique iam opiniones quasdam imbiberunt; alii vetustis adsueverunt theologorum formulis, alii vincula omnia adiicere didicerunt, suoque ingenio mirifice delectantur; illos theologicum aliquod systema, hos philosophiae recentissima forma decipit; artibus denique omnes in vero quaerendo utuntur. Itaque mentis illam rectitudinem, quae sine ambagibus verum videre et intelligere possit, pauci tantum ad N. T. interpretationem afferunt; unde fit, ut, quoniam ipsi carent simplicitate, in ipsorum interpretationibus quoque simplicitas illa desideretur. Denique puritas et constantia animi ad simplicitatem illam quam maxime necessaria est propterea, quod corruptus et inconstans animus, neque ad verum videndum aptus est, neque in unaquaque re, quod necessarium est, intelligit. Et maximopere cavendum est ab opinione eorum, qui eruditionis copiis undecunque conquisitis satis se instructos putant ad libros sacros explicandos, sed quomodo affectus aut formatus animus sit, nihil plane referre arbitrantur. Licet enim perniciosus fuerit error eorum, qui literarum opibus destituti, ad

literas sacras interpretandas pietatem sufficere opinati sunt, negari tamen non potest, quo purior, castior et constantior animus sit, eo aptiorem ad verbum dei vere intelligendum et tradendum interpretem esse futurum. Nam τὰ τοῦ θεοῦ οὐδεὶς οἶδεν, εἰ μὴ τὸ πνεῦμα τοῦ θεοῦ· ψυχικὸς δὲ ἄνθρωπος οὐ δέχεται τὰ τοῦ πνεύματος. Inprimis vero ad simplicitatem illam ea virtus animi requiritur, qua suum ingenium vincere interpres possit, ita, ut nihil sibi indulgeat, atque omnes ingenii lusus constanter fugiat. Quod difficilius sane est, quam vulgo creditur, praesertim apud eos, qui florent ubertate quadam ingenii, sententiarumque luminibus delectantur, ideoque naturae abundantia peccant, in qua alii, iique indolis sterilioris plerumque homines, mirifice sibi placent, ita, ut ingenii paupertatem ridicula sententiarum venatione pessime dissimulent. Est autem nihil magis videndum interpreti, quam ne eiusmodi lusus artesve sibi indulgeat, imo hanc sibi legem ferat, ut quo acutior sibi quisque interpretatione quadam reperta videatur, eo sit in ea probanda cautior: nulla enim re facilius, quam ingenii adulatione, decipimur; et saepe fit, ut quae ingeniosissima interpretatio visa fuerat, ea, quamvis falsissima sit reperta, tamen vitiosa ne vix quidem abiiciatur, quoniam nemo non ingeniosissimus et acutissimus esse cupit; multosque aliorum exempla seducunt, ut ipsi quoque acuti et splendidi quid proferre studeant. Nam quum in simplicitate venusta quaedam paupertas et facilitatis illa species sit; interpretes multi vereri videntur, ne ipsi ab aliis ob hanc paupertatem spernantur, ideoque falsis opibus gloriari, quam verum, quod nudum et simplex est, sectari malunt.

Haec igitur simplicitas in N. T. interpretatione tanto magis est necessaria, quo maior est ipsorum scriptorum sacrorum et ipsius Domini in cogitando

docendoque simplicitas. Nam Dominus quidem, omnium hominum integerrimus, quanta mentis animique simplicitate fuerit, nemo ignorare potest, nisi sensu simplicitatis ipse careat. Fuit enim in illo non solum ea morum integritas, qua simplices probosque homines ab artificiosis incertisque facile discernimus, sed tanta et tam admirabilis puritas veritasque, ut tota vita eius summae simplicitatis imaginem suavissimam referat. Atque haec simplicitas, non in paupertate quadam ingenii humilibusve rerum notionibus cernebatur, sed summarum rerum simplici veraque conceptione constabat, et conspicua erat potissimum in mirifica animi ad res coelestes erecti virtute, qua vera religio cernitur. Errant enim, qui hominem, simplicitate illa carentem, ad res divinas percipiendas aptum putant; quin artibus variis, quibus vitam hanc mortalem ornare, imo corrumpere consuevimus, verae religionis iacturam fecisse videmur. Sed quo simplicior est animus, eo promtior et velut proclivior ad veram religionem esse solet. Itaque Domini simplicitatem in summa sublimitate conspicuam, non nisi eadem simplicitate praeditus intelligit. Theologi autem, in artificiosa quadam rerum obscuritate sublimitatem quaerentes, doctrinam coelestem, simplicem, necessariam et cum aeternis generis humani rationibus mirifice consentaneam, in doctrinam artificiosam, arbitrariam [positivam] et humanis opinionibus faventem mutarunt. Quod multis exemplis demonstrare possemus, praesertim eorum locorum, in quibus mysteria inesse dicuntur; haud raro enim interpretes difficultates invenerunt, quoniam divini magistri simplicem rationem non assequuti sunt, sed in verbis eius disputationum dogmaticarum causas quaesiverunt. Inprimis autem huius simplicitatis sensu opus est in iis locis, in quibus aeternam ac necessariam rerum humanarum divinarumque rationem, qua suscipienda, colenda et unice servanda vera religio pietasque cernitur, Dominus de-

claravit, atque e suae mentis sacro veluti recessu ita prodidit, ut eam verbo saepius, aut simplicissima, sed maximi ponderis, voce significaverit. Est enim illa ratio eiusmodi, ut mente potius quam verbis comprehendi possit, intelligaturque minime ab iis, qui res divinas, i. e. aeternas et infinitas verborum et ratiociniorum veluti simulacris condere consueverunt. Quare praestantissimorum hominum pietatem omni tempore pauci fuerunt, qui iuste aestumare possent; quod ipsius Domini exemplum clare demonstrat.

Sed in Apostolis quoque summa simplicitas fuit; a qua percipienda et imitanda qui alienus fuerit, is verendum est, ne ad N. T. libros interpretandos prorsus ineptus videri debeat. Solent quidem nonnulli Paulli doctam, concitatiorem et subtiliorem dicendi disputandique rationem obtendere, neque ipse *Ammonius* dubitavit, quin affirmaret, in Epistolis Paullinis difficiliorem explicationem haud raro praeferendam esse faciliori. [*vid. eius Not. ad Ernesti Instit. Interpr. N. T. l. c.*]. Sed quamquam concedendum est, Paullum nonnunquam disputare artificiosius, semper tamen ea simplicitate utitur, quam supra diximus non in facilitate quadam, seu potius specie facilitatis, sed integritate, veritate, consensu et necessitate quaerendam esse. Et artes illae plerumque non ex Paulli mente, sed ex ingenio interpretum ortae sunt, qui hominem, Iudaica eruditione haud mediocriter imbutum, in epistolis, quas familiari sermone scripsit, subtiles disputationes instituisse putarunt; ideoque in simplicissima Apostoli oratione *τῶν λόγων* artificia quaesiverunt. Quod quam temere nonnulli fecerint, ipsius Paulli verba in *priori Epist. ad Corinth. Cap. II. v. 4. sqq.* ostendunt. Ibi enim *ἀπόδειξις πνεύματος καὶ δυνάμεως*, *τοῖς πειθοῖς ἀνθρωπίνης σοφίας λόγοις* opposita, nihil aliud significat, quam simplicem illam vim veritatis coelestis, quam *ψυχικὸς*

ἄνθρωπος οὐ δέχεται, atque hi sunt λόγοι διδακτοὶ πνεύματος ἁγίου, qui ex divina illa vi orti, certam et veram persuasionem efficiunt [v. 5.]. Quodsi non licuit semper Apostolo πνευματικοῖς πνευματικὰ συγκρίνειν, quin nonnunquam κατ᾽ ἄνθρωπον seu κατὰ σάρκα disputare cum popularibus suis debuit, tamen vel in eiusmodi disputationibus, utcunque subtilibus, magnam simplicitatem servavit, i. e. eiusmodi disputandi rationem, cuius causae ad unam omnes integritate quadam et necessitate naturali coniunctae inter se cohaererent. Sed illam subtilitatem, quae in scholis auditur, nescio an locis fere omnibus temere Paullo tribuerint Theologi, qui, quum suarum opinionum auctorem quaererent sibi oratorem divinum, haud raro ad contortas, sive subtiles, quae viderentur, interpretationes recurrere cogerentur. Atque in Epistolis Paullinis eo saepius hoc modo peccatum est, quum illius sermonis rationem, quo vulgo inter familiares utimur, non satis perspicerent, sed tamquam in commentatione quadam theologica, rerum accuratam dispositionem, continuamque et constantem orationem in epistolis illis quaererent. Inprimis vero illius recordari simplicitatis interpretem oportet, quam in ipso loquendi modo homines, vulgari vitae quotidianae sermone utentes, a docta artificiosaque oratione, in libris obvia, alieni, servare solent, quae fuit propria scriptoribus N. T. omnibus, ita, ut neque veram illorum sententiam assequi, neque ipsius sermonis pulchritudinem et sublimitatem sentire interpres possit, si animus eius ab illa virorum integerrimorum simplicitate fuerit alienus. Sed haec de simplicitate scriptorum N. T., in ipso sermone conspicua, disputatio longior est, neque subtilitate caret maiori, quam huius commentationis brevitas ferre videtur. Itaque nunc quidem hoc unum addamus, vehementer optandum esse, ut et in tradenda doctrina divina illorum virorum simplicitatem imitemur, et in explicanda

scriptura sacra, ea, quae supra descripta est, simplicitate utamur, inprimis autem ut animum simplicem, id est ad verum videndum aptissimum, atque ad coelestem doctrinam intelligendam maxime idoneum, quantum fieri possit, conservemus. Sic enim spiritus illius divini, quo ecclesia Christi regitur, eximiam vim et ipsi magistri, et Christiani omnes magis magisque sentient et experientur.

Agite igitur, *Cives Carissimi*, dies, qui instant, festos ita celebrate, ut animum, super rerum humanarum vicissitudines elatum, atque ab omni mala arte purum, simplicem integrumque divinorum beneficiorum grata recordatione alatis et confirmetis, quo spiritus, quem non ab hoc mundo habemus, ope, et ipsi in vera fide perseverare et aliorum fidem augere et sustentare possitis. Quod quum sciamus Vos sponte vestra facturos esse, tanto lubentius Vos interfuturos esse speramus sacris solemnibus, quae feria prima Pentecostes, in aede Paullina h. XII. more maiorum celebrabuntur.

P. P. Dom. Exaudi a. Dom. cIↃIↃCCCXI. in Vniv. Lipsiensi.

DE CAUSIS PRAECIPUIS CONTORTARUM INTERPRETATIONUM N. T.

Vehementer queri solent nostris temporibus theologi multi, iique eruditi, et literarum hebraicarum, graecarum latinarumque scientia egregie instructi, de contortis interpretationibus N. T., quibus verum ac genuinum librorum sacrorum sensum a multis interpretum recentiorum corrumpi arbitrantur. Quod etsi non temere facere videntur, tamen eius rei causae latius patent, neque in linguarum inscitia, aut grammaticae interpretationis contemtu unice quaerendae sunt. Nam, qui maxime hanc rationem interpretandi secuti sunt, et ipsi, proferendis interpretationibus vel maxime contortis, in hac re graviter peccarunt; velut ipse ille ORIGENES, interpretationis grammaticae auctor celebratissimus, quem constat et religione nimia, et multo magis ingenio suo, e libris sacris extorsisse multa ac fere innumerabilia, quae, doctissimorum virorum iudicio, in iis non reperiuntur. Atque in universum interpretatio grammatica, etsi unice vera est et esse potest, magna tamen cautione in explicandis libris sacris adhibenda est. Etenim verissi-

me quidem praecipiunt, easdem leges adhibendas esse in explicandis libris divinis, quae in humanis, graecis et latinis, locum habent; neque tamen hoc ita verum est, ut, qua ratione verborum et locorum sensus reperiatur apud Thucydidem et Polybium, eadem etiam in libris N. T. quaeri possit. Sed ut quisque habet dicendi consuetudinem propriam, ita non est idem apud eundem earundem regularum usus, et quae interpretatio alicuius vocabuli aut loci apud Polybium et Xenophontem est verissima et facillima, eadem apud scriptorem aliquem sacrum potest esse vel maxime contorta. Unde factum est, ut qui ad explicandos libros sacros adhiberent elegantiorum scriptorum formulas, contortarum interpretationum notam non semper effugere possent; cuius rei exempla multa exstant apud RAPHELIUM, virum graece doctissimum, ELSNERUM, ALBERTIUM, et eruditissimum PALAIRETUM. De hac vero re etsi diligentissime praeceperit immortalis memoriae vir, et interpretationis grammaticae inter nostros instaurator, IO. AUG. ERNESTI, eam tamen non semper observatam esse constat ab omnibus, qui vel maxime rationem interpretandi grammaticam tenerent. Itaque interpretationum contortarum causae non a neglecta tantum interpretandi ratione grammatica, sed aliunde quoque repetendae esse videntur, de qua re, hac data scribendi opportunitate, nonnulla disputabimus, earumque interpretationum causas quasdam praecipuas breviter exponemus.

Ante omnia autem explicandum est de natura interpretationum contortarum, in qua videtur aliquid ambiguitatis esse. Alii enim contortam interpretationem dicunt esse eam, quae, quum in verbis non reperiatur, sententiam obtrudat a mente scriptoris alienam; alii vero quamcunque, quae non sit grammatica. Sed facile quisque videt, interpretationem a verbis alienam, iisque repugnantem, falsam potius, quam

contortam, dicendam esse; posse vero etiam interpretationem aliquam esse grammaticam, et tamen contortam; quod suus quemque sensus optime docebit. Sunt enim multae interpretationes, quas usus quidem et vis verborum admittit; sed quae displicent tamen, et quoniam orationem interpellare videntur, peregrino quodam quasi colore suo offendunt. Quas quum nemo falsas dixerit, veras tamen, id est, locis iis, quibus exprimuntur, proprias non facile habebit, sed contortas appellabit. Solebat igitur ERNESTI interpretationibus contortis perquam commode opponere *faciles*; vid. *Instit. Interpretis N. T. P. I. S. II. cap. VII.* §. 22. *pag.* 87. Veluti Iacobi III, 1. leguntur haec: *μὴ πολλοὶ διδάσκαλοι γίνεσθε*, vertunturque sic: *nolite munus doctoris nimis ambitiose desiderare.* Hanc interpretationem verba quidem admittunt, licet vix crediderim, verbum *γίνεσθε*, accipi posse sic, quasi scriptum esset: *μὴ θέλετε γενέσθαι κ. τ. λ.*; sed repugnat contextus, a quo illa de ambitione vitanda adhortatio est alienissima. Est igitur interpretatio illa grammatice vera, et tamen falsa, imo quam maxime contorta, propter seriem orationis. Quodsi diceremus, *διδάσκαλον* significare hoc loco hominem, aliorum vitia carpentem et arguentem, id verbo ipsi quidem necessario inesse, non facile concesserit aliquis; convenit tamen egregie iis, quae sequuntur. Et iuvabit fortasse meminisse nostri vocabuli: *meistern*, quod plane respondet τῷ *διδάσκειν* et *διδάσκαλον εἶναι*. Nec dubitaverim, *Rom. II*, 21. verba: *ἑαυτὸν οὐ διδάσκεις*, explicare hoc modo: *tu, qui te alienorum vitiorum censorem geris, tua ipsius vitia non arguis, sed tibi indulges.* Eodem fere sensu, nisi fallor, *διδάσκειν* legitur *Sirac. IX*, 1. Similiter *Iac. I*, 19. vocabulum *ὀργή*, non potest significare iram, quae notio a tota disputatione est alienissima, sed denotat haud dubie *indignationem* hominis, aegre ferentis calamitates, quibus, quasi telis, omnis exposita est vita

humana[a]). Ceterum in illo loco formula βραδὺς εἰς ὀργὴν, non est hebraica, sed bene graeca; siquidem *Auctor inc. in Poet. gnom.* habet hanc sententiam: γίγνου δ' εἰς ὀργὴν μὴ ταχὺς ἀλλὰ βραδύς. Quibus exemplis intelligi posse videtur, vehementer obscurari naturam interpretationum de quibus disputamus, si eo modo, quo vulgo solent, explicantur.

Enimvero grammatice interpretari, non est, ope Lexici alicuius, vocabula explicare, et verbum de verbo reddere, sed, ut dudum docuerunt interpretes excellentissimi, sensum verborum proprium, et notiones, verbo cuique in loco quoque subiectas, accurate et perspicue exponere, usu loquendi, consilio scriptoris, et contextu diligenter cognito et adhibito. Neque profecto alia est interpretatio grammatica, alia historica, aut sensus alius grammaticus, alius historicus. Nam quem antiquiores olim sensum historicum dixerunt, veluti SIXTUS SENENSIS, non alium, quam grammaticum intellexerunt, appellantque historicum propterea, quoniam ab observatione temporum, rerumque gestarum ducitur; de quo vid. I. A. ERNESTI *Opp. Phil. p.* 221. Et quem recentiores quidam sen-

---

a) Vocabulum ὀργὴ apud Graecos significare non solum iram et iracundiam, sed etiam sensum hominis exacerbati et offensi quemcunque, non est, quod exemplis probem apud linguae graecae peritos; neque in N. T. libris deficiunt eiusdem significationis exempla, veluti *Marc. III*, 5. *Rom. IX*, 22. *Hebr. III*, 11. Eadem vero vox (quod obiter monere liceat) quum in N. T. pro poena et castigatione usurpatur, id non ex hebraicae linguae consuetudine factum videtur, sed apud Graecos quoque optimos reperitur. Sic *Demosthenes* (*adv. Mid.* 528. *ed. Reisk.*) τῷ δράσαντι δ' οὐκ ἴσην τὴν ὀργὴν, ἄν θ' ἑκὼν, ἄν τ' ἄκων, ἔταξεν ὁ νόμος, eodem plane modo dixit, uti *Paulus*, (*in Ep. ad Rom. IV*, 15.) ὁ νόμος ὀργὴν κατεργάζεται. Exempla plura dabit *Index Dem. Reisk.* v. ὀργή. p. 540.

sum historicum dicere coeperunt, nempe eum, quem habet locus aliquis ex illorum explicatus ratione temporum, quibus scriptor vixit, aut quem habere videntur verba auctoris alicuius, hoc tempore et loco, apud hos homines, ad quos scripsit, is profecto non est alius, quam quem antiquiores dixerunt grammaticum. Etenim, ex illorum et optimi cuiusque interpretis sententia, interpretatio grammatica vel maxime agit et agere debet hoc, ut doceat, quemnam in unoquoque loco verba quaeque sensum habeant, et habere possint ac debeant, et requirit non tantum vocabulorum, et usus loquendi, verum etiam multarum aliarum rerum, accuratam scientiam. Neque enim id tantum perpendendum est, *quid* dicatur, verum etiam, *a quo* dicatur, *cui* dicatur, *quo tempore*, *qua occasione*, *quid praecedat*, *quid consequatur*, videndum est, ut praeclare monuit ERASMUS, *in ratione et methodo verae Theologiae*, *p.* 51. *ed. Semleri.* Nam interpretari est, docere, quae cuiusque orationi sententia subiecta sit, seu efficere, ut alter cogitet eadem, quae scriptor cogitavit. Sed eius rei facultas pendet non tantum a vocabulorum et usus loquendi cognitione, sed multarum aliarum rerum scientiam desiderat, ut modo diximus. Neque enim unus idemque est omnibus usus loquendi; aliter enim Polybius scripsit, aliter Dionysius Halicarnassensis; aliter Thucydides locutus est, aliter Xenophon; quamquam illi aequales prope essent, hi eadem patria uterentur. Ac nosmet ipsi aliter scribere solemus ad viros doctos, aliter ad familiares; et e cuiusvis fere ingenio, moribus, facultate, pendet dicendi consuetudo; multum etiam valet usus et exercitatio. Atque praeter haec omnia interpretandi facultas ingenii quoque quandam solertiam requirit et naturalem bonitatem, quam dicunt Graeci εὐφυΐαν, quae nulla arte et eruditione potest compensari. Vnde fit, ut, qui destituti sunt hoc naturae quasi dono, quamvis linguarum dicendique con-

suetudinis peritissimi, proferant saepissime interpretationes, a mente et consilio scriptoris alienissimas.

Iam cum ea interpretatio vera sit et habeatur, qua sensus, cuiusque orationi subiectus, accurate redditur, efficiturque legitima ratione, ut alter cogitet idem, quod scriptor cogitavit et cogitare debuit *hoc tali loco et tempore;* facile quisque videt, contortam interpretationem dicendam esse illam, quae sententiae alicuius auctoris vim infert, ita, ut verbis eius exprimat sensum longe alium, quam ipse, hac oratione, hoc loco et tempore, cum verbis suis coniunxit.

Enimvero sententia scriptoris alicuius propria cognosci potest ac debet, doctissimorum interpretum consensu, primum ex usu loquendi, ei scriptori familiari; deinde ex ratione hominum, locorum et temporum, quibus scripsit; denique ex contextu: nam quod addunt nonnulli auctoris consilium, id ad contextum pertinet. Igitur contorta interpretatio cognosci potest ratione triplici; primum, si loquendi consuetudini alicuius scriptoris est contraria; deinde si dissentit a ratione hominum, locorum et temporum, quibus scripsit; denique si repugnat seriei orationis. Quare contortam interpretationem dicamus eam, quae etsi verbis ipsis, per se spectatis, inesse possit, tamen, cum vel usui loquendi scriptoris, vel temporibus et locis, vel denique contextui repugnet, e verbis exprimit sententiam a mente scriptoris alienam.

Sed interpretationum eiusmodi non est unum genus. Aliae enim vi quadam, quam verbis infert interpretis arbitrium, offendunt peritos; aliae vero specie quadam artis et subtilitatis imperitos decipiunt. Primum igitur genus, *ineptas* dicere possis, quando sententia obtruditur scriptori, ab eius dicendi sentiendique consuetudine perpetua aeque ac mente et consi-

tio plane aliena b). Veluti si diceres, Paulum *Eph. I, 7.* doctrinam christianam in animo habuisse, et *τὴν ἀπολύτρωσιν διὰ τοῦ αἵματος αὐτοῦ, τὴν ἄφεσιν τῶν παραπτωμάτων*, interpretari velles de liberatione a peccatis, quam efficiat doctrina, morte Christi confirmata. Hanc enim interpretationem, neque Apostoli mos, quo loqui solet de consilio mortis Christi; neque universae disputationis modus et consilium scriptoris patitur; neque Christianorum, ad quos scripsit Apostolus, de hac re sentiendi ratio permittit; quid? quod non nisi violentissime verbis exprimi possit. Alterum genus, *argutas* appellare solemus, quae sunt ita comparatae, ut arte quadam e verbis exprimant sententiam, per se quidem bonam, sed a mente scriptoris, maximeque a propria verborum vi et significatione alienam; quarum exempla magno numero commemoravit Ferd. Frid. Graefenhain, Vir doctissimus, in *diss. de interpretationibus N. T. argutis magis, quam veris; Lips.* CIↃIↃCCLXXIV.

Sed uti omnis interpretatio vera nititur usu loquendi, deinde hominum et locorum, denique contextus accurata scientia, ita interpretationes contortae ab iisdem rebus, aut plane non cognitis, aut non recte observatis, oriuntur. Sunt igitur eiusmodi interpretationum causae potissimum tres, de quibus nunc videamus.

---

b) Ineptae sunt interpretationes, quae sententiam referunt non aptam loco, scriptori, aut tempori. Enimvero omnes quidem interpretationes contortae, ineptae dici possunt, quod non sunt aptae locis iis, e quibus exprimuntur; sed cum aliae offendant magis animum, aliae, subtilitatis quadam specie decipientes, placeant imperitis, lubuit ineptas et argutas distinguere. Ceterum de huiusmodi interpretationum natura satis commode exposuit Erh. Andr. Frommannus, in Prolusione: *Facilitas bonae interpretationis nota*, §. X. *Opp. Philol. Histor.* p. 387. sequ.

Prima in *usu loquendi* non diligenter cognito et recte intellecto ponenda est. Atque genus dicendi N. T. non esse pure graecum, sed mixtum, et multarum linguarum, inprimis hebraicae, verbis et formulis temperatum, et iudicarunt omni tempore viri graece doctissimi, veluti HEMSTERHUSIUS, *ad Lucian. Tom. I. p.* 309. et docuerunt interpretes N. T. eruditissimi; de quibus nuper exposuit PLANKIUS, *Einleit. in die theol. Wissensch. T. II. p.* 42. *sq.* Ea sententia etsi nostris temporibus ab omnibus probata est, magnam tamen habere videtur ambiguitatem, quae interpretationes contortas magno numero peperit. Etenim, qui, praeeunte DANIELE HEINSIO, peculiarem aliquam N. T. dialectum, eamque hebraizantem, intellexerunt, ii haud dubie, consentientibus viris doctissimis, erraruntt, totamque, de usu loquendi in libris N. T. obvio, disputationem et ipsam N. T. interpretationem, incertissimam reddiderunt [c]). Nam primum quidem formu-

c) Solebant olim sermonem, quo usi sunt scriptores N. T. et interpretes Alexandrini, *hellenisticum* appellare, quasi peculiaris et propria illis dialectus fuisset, eamque, nescio quomodo, *ἑβραΐζουσαν* esse voluerunt. Quae opinio doctissime refutata est a Viro doctissimo, CLAUD. SALMASIO, in Comm. *de lingua Hellenistica*, Lugd. Bat. 1643. (conf. eiusdem Funus linguae hellenisticae, et Ossilegium) adversus DAN. HEINSIUM, eiusdem, in *Aristarcho Sacro*, et *Exercitationibus Sacris* (in Praefatione) et *Exercitatione de lingua Hellen.* (*Lugd. Bat.* 1643.) defensorem. Etsi enim sententiam eorum, qui puritatem linguae graecae N. T. defenderunt, nemo, graecae linguae vel parum peritus, probare potest, tamen nulla prorsus ratione defendi posse videtur eorum opinio, qui linguam scriptorum N. T., quam rectius stilum dixeris, peculiarem et propriam *διάλεκτον, τὴν ἑλληνιστικὴν* appellarunt. Aliud est enim, uti communi quodam et *ἰδιωτικῷ* genere dicendi, mixto vocabulis barbaris, latinisque et recens factis, *νεοχμοῖς*, ut ait Phrynichus, et *ἀδοκίμοις*; aliud propriam et singularem dialectum usurpare. Hanc autem nullam fuisse scriptoribus sacris, *Salmasius*

lae singulae non efficiunt dialectum peculiarem, neque hebraica sunt, quae habent similitudinem cum sermone hebraico; sed redeunt omnia ad sensum potius et opiniones scriptorum N. T. docendique rationem, quam ad verba singula et formulas, incertae originis et pluribus linguis communes. Deinde scriptoribus N. T. dialectus nulla fuit peculiaris; gentis enim dialectus, non paucorum hominum, dicitur. Est enim illa, ut ait GREGORIUS *de dial. p.* 3. λέξις, ἴδιον χαρακτῆρα τόπου ἐμφαίνουσα d). conf. PHAVORIN. *Varin. Thes.*

---

existimavit, et recte quidem, meo iudicio, cum ab illa, puritatem stili N. T. iactantium, opinione alienissimus esset animus viri, graece doctissimi. Quod si quis verborum nugis ludere nos dicat, qui nomen dialecti admittere nolimus, quum negari non possit, mixtum illis scriptoribus fuisse genus dicendi, ἀδόκιμον, τῶν οὐ πεπαιδευμένων, et hebraismis adeo plurimis refertum; nos hoc quidem non negamus, quod non nisi linguae graecae prorsus ignarus negare potest, sed negamus, peculiarem dialectum, ἑλληνιστικὴν seu ἑβραΐζουσαν, appellandam esse; non quasi difficiles simus in verbis, sed propterea, quod illa opinione interpretatio N. T. incerta redditur, cum de *originibus* linguae, qua usi sunt scriptores sacri, rectum iudicium ferri non possit, nisi removeatur ambiguitas illa, quam qui de dialecto quadam singulari loquuntur, neque tamen certi quid de ea habere solent, in librorum sacrorum interpretationem introduxisse videntur. Sed hac de re et in hac ipsa disputatione diximus brevius quidem, et alio loco accuratius sumus dicturi. Verum haec eo consilio scripsimus, ut Salmasio suam sententiam restitueremus, quoniam nonnullos animadvertimus in ea opinione versari, ut illum a Pfochenii errore parum abfuisse existiment. vid. *Plankius* l. c. p. 44.

d) Gregorii Corinthii, cuius definitionem sequimur, editiones habent, λέξις ἴδιον χαρακτῆρα τύπου ἐμφαίνουσα; Sed ingeniose suspicatus est *Salmasius*, scribendum esse τόπου, l. c. p. 450. etsi recipere noluerit lectionem, reliquorum Grammaticorum, aliorumque verbis satis confirmatam. Nam CLEMENS AL. *Stromm.* L. I. p. 404. dicit eodem modo: διάλεκτός ἐστι λέξις l. χ. τόπου ἐμφαίνουσα, ἢ λέξις ἴδιον ἢ κοι-

(*ap. Aldum*, Venet. 1496.) *fol.* 236. *et* 248. MAITTAIRE *de graecae linguae dial.* p. 1. seqq. CLEM. ALEX. *Stromm. VI. p.* 678. B. SCHOL. *ad Aristoph. Nubb.* 317. Sed cum miscerentur omnes graecorum dialecti, neque peculiaris et propria esset amplius singulis dicendi ratio, grammatici, mutata illa significatione, hanc dialectorum farraginem *κοινὴν διάλεκτον* appellarunt. vid. SALMAS. *l. c.* Iudaei vero, graece loquentes, non usi sunt dialecto peculiari, sed communi, illa *τῇ βαρβαριζούσῃ*, qua utebantur omnes, qui tunc quidem graece loquebantur, Asiae populi. Sed Paulus, Tarsensis, dudum didicerat linguam graecam in patria, cum ad scholam Gamalielis venisset; item Lucas, a disciplina Iudaica longe alienus. Neque rectius statuisse videntur, qui dictionem N. T. appellare voluerunt *dialectum Alexandrinam;* quae appellatio inprimis placuit Io. ERNESTO GRABIO *in Prol. ad V. T. ex vers. Sept. interpr. Tom. II. c. I.* §. 49. existimaruntque, hanc dialectum fuisse fontem stili N. T. Haec enim sententia, neque ex historia, neque ex comparatione utriusque linguae probari potest. Nam scriptores N. T. non fuere Alexandrini, neque profecto ex eo, quod Versionem Alexandrinam secuti sunt nonnunquam, colligi potest, eos imitatos fuisse dialectum Alexandrinorum, non magis quam nostri, qui versione Lutheri utuntur, solent eius dialectum imitari. Sed dialectus Alexandrina non propria et peculiaris fuit illis hominibus, verum genus dicendi mixtum et

---

1 … *τὸν ἔθνους ἐμφαίνουσα χαρακτῆρα.* Igitur Grammaticos *τύπον* mutasse in *τόπον* putabat Salmasius, quod illis temporibus non esset propria loco cuiquam gentique dialectus. Idem vero evidentissime demonstravit in libro de Hellenistica, non nisi gentis dialectum dici posse *ἔχουσαν φωνῆς χαρακτῆρα ἐθνικόν*, ut est in *Schol. laud. ad Nub. Aristoph.* Sed ipsi Grammatici non accurate semper usi sunt vocabulo dialecti, sed saepe etiam pro *γλῶσσα*, *ἰδίωμα*, *λέξις* usurparunt.

corruptum confluxu populorum multorum, Graecorum, Macedonum, Africanorum, Carthaginiensium, Syrorum, Indorum, Siculorum, Italorum, aliorumque. Vid. omnino STURZII Diss. *de dialecto Alexandrina*, Lips. 1786. edita, et deinde multis modis aucta; coll. FISCHERI *Animadv. ad Welleri Gram. T. I. p.* 46. Etenim Macedones quum Graeciam suae ditionis fecissent, et per Asiam Africamque imperarent, coepit paulatim deflorescere Atticorum genus dicendi exquisitum et elegantissimum, mixtisque dialectis omnibus, invaluit dialectus quaedam peculiaris, *communis* e)

---

e) *κοινὴ διάλεκτος. Gramm. Leid. p.* 301. ed. Koen. *Schol. Venet. Hom. ad Il. α* 85. *Eustath. ad Il. α p.* 22. *Clem. Alex. Stromm. L. I. p.* 404. *B.* vid. KIRCHMEYER *de dialecto graecor. communi, Viteb.* 1709. Qui ea uterentur, *κοινοί* dicebantur. *Schol. Aristoph. ad Plut.* 983. *Suid.* v. *ἀθάρα.* PHRYNICHO *οἱ νῦν, οἱ πολλοί* dicuntur. Sed de hac ipsa *κοινῇ διαλέκτῳ* multa disputavit SALMASIUS in libro citato locis pluribus, cum in ea sententia esset, ut illam non esse dialectum dicendam existimaret, sed *γλῶσσαν* potius *κοινὴν* appellandam, communem omnibus, qui, graeco sermone usi, *ἑλληνίζοντες*, non unam e priscis dialectis sequerentur. Enimvero Grammatici *τὴν κοινὴν δ.* vocarunt, dicendi genus mixtum ex omnibus idiomatum graecorum familiis, et commune omnibus, qui serioribus temporibus graece loquerentur. Igitur quicunque non unam e quatuor dialectis, nimirum Atticam, Ionicam, Doricam, aut Aeolicam imitarentur, sed oratione ex pluribus idiomatibus mixta uterentur, *κοινὴν διάλεκτον* habuisse dicuntur, velut ipse Pindarus, de quo disputavit *Salmasius* l. c. p. 28. 29. Scilicet distinguenda sunt hoc loco varia tempora; nam Grammatici etiam *γλῶσσαν* eam, qua omnes Graeci utebantur antea, quam peculiares dialecti distinguerentur, *κοινὴν* appellarunt. Quod disci potest ex fragmento *Grammatici Meermanniani* (quem cum *Gregorio* et *Grammat. Leidensi* edidit *Koenius* Lugd. B. 1766.) ubi haec leguntur: *διάλεκτοι δέ εἰσι πέντε· Ἰάς· Ἀτθίς· Δωρίς· Αἰολὶς καὶ κοινή· ἡ γὰρ πέμπτη, ἴδιον οὐκ ἔχουσα χαρακτῆρα, κοινὴ ὠνομάσθη, διότι ἐκ ταύτης ἄρχονται πᾶσαι· ληπτέον δὲ ταύτην μὲν πρὸς κανόνα, τὰς δὲ λοιπὰς πρὸς ἰδιότητα.* Sed *Gregorius* p. 5. *κοινὴν* dicit, ᾗ

appellata, itemque *hellenica* [f]), inprimis vero *Ma-*

πάντες χρώμεθα, ἤγουν ἡ ἐκ τῶν δ' συνεστῶσα, quocum consentit *Gramm. Leid.* l. c. et Ioannes Grammaticus. Quam Grammaticorum inconstantiam castigavit Salmasius l. c. p. 12. sequ. Nobis vero componenda esse videtur illa controversia sic, ut priscam γλῶσσαν, communem, et matrem quasi quatuor dialectorum, quam κοινὴν dixit Gramm. Meerm., distinguamus a mixto dicendi genere, recentiori, communi hominibus graece loquentibus, non e dialectis solum, sed ex omnibus fere populorum, aut graece loquentium, ἑλληνιζόντων, aut graecis mixtorum, consuetudine, conflato, quam τὴν κοινήν vulgo dixerunt et τὴν νεωτέρων, οὐ πεπαιδευμένων dialectum dixit Phrynichus. Scilicet Grammatici, dum suum quisque ingenium sequeretur, inconstanter saepius ac temere praecepisse aut vituperasse videntur.

f) Hellenicam, non hellenisticam dicimus; illam Grammatici norunt, et reliqui scriptores graeci illius aevi, hanc nullam fuisse docuit *Salmasius* l. c. Sed de hoc ipso nomine, ἑλληνικὸν, καὶ ἑλληνίζειν, non eodem modo constitisse videtur Grammaticis. Etenim vocabula illa saepissime in bonam partem dicuntur, cum omnes, qui graece loquebantur, ἑλληνισταὶ, et ἑλληνίζοντες appellarentur. Quod cum multis argumentis probaverit Salmasius, tum luculentissime ostendit locus Athenaei, L. III, c. 84. ubi οἱ σφόδρα ἑλληνίζοντες sunt, qui bene graece loquuntur. Postea vero dicendi genus minus exquisitum, quod formulas et verba haberet communia, obsoleta, recens facta, aut barbara adeo, ἑλληνικὸν dixerunt. vid. *Moeris*, v. γέλοιον. *Schol. Arist. ad Ran.* 6. Inde factum est, ut τὸ ἑλληνικῶς λέγειν opponeretur τῷ ἀττικῶς. Grammatici enim ex illo vulgari sermone, quae essent minus exquisita, ἀδόκιμα, ἑλληνικά, dixerunt, quippe τοῖς Ἕλλησι communia (vid. Moeris v. ἐξίλλων, ξυμφώνως.) alia vero recentia, in his etiam barbara, κοινά i. e. obsoleta, vilia, ἰδιωτικά appellaverunt, quod a Moeride factum esse docuit *Piersonius* ad Moerid. s. v. φειδωλοί. Sed miscent saepissime Grammatici τὸ κοινὸν et κοινῶς cum τῷ ἑλληνικόν et ἑλληνικῶς, de quo videant grammatici recentiores. conf. Salmasius l. c. p. 55. ss.

cedonica [g]), quoniam Macedonum imperium maxime eam invexit, inde ab Alexandri temporibus; mixta ex omnibus fere Graeciae dialectis, atque adeo plena vocabulorum barbarorum [h]), Persarum, Syrorum, Hebraeorum aliorumque populorum, post Alexandrum genti Macedonicae iunctorum. Conf. Ernesti Prolus. *de difficultat. N. T. recte interpr. in Opp. phil. crit.* p. 212. Vid. Diod. Ascalonites *apud Athen.* XIV. p. 102. C. Idem Athenaeus III. 222. A. *μακεδονίζοντας*, ait, *οἶδα πολλοὺς τῶν ἀττικῶν διὰ τὴν ἐπιμιξίαν.* col. *IX. p.* 102. C. Phrynichus *de Menandro Athen. p.* 182. 184. Eustath. ad *Od. τ'. p.* 1854. Huius vero dialecti Macedonicae progenies vitiosior et communi *τῶν μακεδονιζόντων γλώσσῃ* longe corruptior, fuit Alexandrina, omnibus Alexandriae incolis, etiam hominibus doctis, quorum feracissima fuit schola Alexandrina, et Iudaeis quoque usitata; hi enim, quos pari iure cum Macedonibus Alexandriae habitare permiserat Alexander, non peculiari, sed communi hoc dicendi genere usi sunt. Nam quod Iosephus tradit, Iudaeis locum Alexandriae proprium concessum fuisse, *ὅπως καθαρωτέραν ἔχοιεν τὴν δίαιταν, ἧττον ἐπιμισγομένων τῶν ἀλλοφύλων*, id non habet hanc vim, quasi

---

g) Non *vetusta* illa, quam doricae simillimam fuisse novimus; sed *recentior*, a Macedonibus introducta, post Philippi, et Alexandri inprimis, tempora. Hac usi sunt Graeci omnes, docti et indocti, in vita et scriptis; neque fuit amplius ullum discrimen dialectorum. Commemoratur saepissime tamquam communis, veluti a *Phrynicho*, sed dicitur etiam *μακεδόνων διάλεκτος*, Heraclid. *ap. Eustath. ad Od. κ'.* p. 1654. et *μακεδ. γλῶσσα*, Eudaem. Pelus. *ap. eund.* ad Od. γ'. p. 1457.

h) Exempla dabunt Spanhem. *ad Callim. h. in Del.* 150. col. Hemsterhus. *ad Polluc.* 10, 16. Hesych. et Phavor. v. *ἴζελα.* col. *Selden. de Diis Syr. l.* 1. et Etym. M. v. *ἄττα*, col. *Heins. Prol. in Arist. S.* p. 665. *Spanhem. ad Callim.* h. in Dian. 6.

proprium et singulare dicendi genus illi habuerint, aut multorum colonorum, Aegyptiorum, Macedonum, Siculorum aliorumque consuetudine usi, servaverint. Neque alia de causa Alexandrini appellati sunt, ut idem Iosephus narravit, *Archaeol.* L. XIX, 5, 2., quam ut Iudaei, Alexandriae commorantes, hoc nomine a reliquis Iudaeis distinguerentur. Atque hac dialecto Alexandrina, mixta e plurimarum gentium ἰδιώμασι, usi sunt, quicunque demum illi fuerint, interpretes graeci V. T., quam hebraizantem dicere nulla ratione sufficit. Quamquam enim negari non potest, Iudaeos multa vocabula, et formas multas, ex hebraica lingua transtulisse in linguam Alexandrinam, interpretes tamen Alexandrinos non semper accurate sequutos esse constat verba hebraica, sed ab iis saepissime discessisse, eorumque sensum nonnunquam etiam corrupisse. Nimirum dici profecto possent septuaginta linguarum interpretes *). Verum scriptores N. T. usi sunt illa communi dicendi ratione, per Iudaeam, Syriam, et Asiam minorem non minus, quam universam Graeciam divulgata, non autem hac Alexandrina. Quod ut historia, quam modo enarravimus, ita etiam res ipsa evidenter probat. Primum enim scriptores N. T. habent permulta ex dialecto Macedonica; cuius rei exstant exempla fere innumerabilia, sed sufficiant haec pauca. παρεμβολή in N. T. castra denotat; v. c. *Act.* XXI, 34. *Hebr.* XIII, 11. nullo graecae linguae

---

*) Fuerunt vero Iudaei, quam gentem constat, in omnibus populis, inter quos nati sunt, vel commorantur, peculiari quadam eius linguae, quae ipsis vernacula est, dialecto uti. Itaque fieri non potuit, quin interpretes illi Alexandrini, Iudaica disciplina imbuti, magis etiam barbare, quam reliqui Alexandrini scriberent. Hi omnes, quorum scripta ad nos pervenerunt, viri literis exculti fuerunt, ideoque κοινῇ quidem διαλέκτῳ usi sunt, sed minus barbara, quam illi *eruditi Iudaei*, qui N. T. libros graece interpretati sunt.

purioris exemplo. Sed PHRYNICHUS δεινῶς μακεδονικόν esse ait p. 166. quo usi quoque sunt οἱ ό pro חנה v. c. Gen. XXXII, 2. col. *Ioseph. A. J. l. VI, c. 6, Clem. Alex. Strom.* IV. p. 521. D. Porro ῥύμη, quae Attice denotat ὅρμην, cum Macedonibus τὸν στενωπόν, *Luc. XIV*, 21. deinde plateam, *Matth. VI*, 2. vid. PHRYNICH. p. 180. POLLUX IX, 38. τάχα δ' ἄν, inquit, εὕροις καὶ ῥύμην εἰρημένην τὴν πλατεῖαν, ὡς οἱ νῦν λέγουσι; laudaverat idem Philippidem, τὸν μακεδονίζοντα. Item προσκοπή, 2. *Cor. VI*, 3. col. *Phryn. p.* 20., ῥάπισμα, *Idem* 72. conf. FISCHERUS *de vit. Lex. N. T. p.* 61 *et* 71., γεννήματα, *Phryn.* 124. αἰχμαλωτισθῆναι, *id.* 192. πανδοχεύς. *id.* 134.; φάγεσθαι, βάρβαρον, *idem* 144. et multa alia. Sed multa quoque falso suspecta sunt Grammaticis, velut ἀκμὴν pro ἔτι, *Matth. XV*, 16. quod iniuria vituperatur a *Phrynicho p.* 48. et *Moeride* s. h. v., quum exquisitius et insolentius tantum dictum videatur. Deinde vero etiam abstinuerunt N. T. scriptores a formis dicendi et vocabulis insolentioribus et plane corruptis, cuiusmodi reperiuntur apud interpretes Alexandrinos, neque in eiusmodi vocabulorum usu aeque ac hi peccasse deprehenduntur. Ex illo genere sunt: ἤλθοσαν, *Exod. XV*, 27. ἐφάγοσαν, *Ps. LXXVII*, 29. ψηλαφήσαισαν, *Iob. V*, 14. col. *Actor. XVII*, 27. τεθέληκα Ps. XL, 11.; et multa alia, quae recensere infiniti et ingrati laboris esset; vid. *Sturzius* l. c. §. IX. Ex hoc vero sufficiat commemorasse vocabulum δίκαιος, cum cognatis, quibus illi expresserunt hebraica ישר, צדיק, אמת, נקי et רשע; Prov. II, 7. ערל Iob. XXXIV, 10.; nam in universa *Concordantia Trommii* exempla exstant. Ac profecto incredibilis fere est illorum interpretum inconstantia, levitas et negligentia in usurpandis vocabulis graecis; nec quidquam facile reperietur unquam prolatum ore graeco magis barbarum, barbaro eorum dicendi genere; quamquam in quibusdam libris maior elegantia reperitur. Hoc

tali modo non peccarunt scriptores N. T. contra linguae graecae rationem et elegantiam, et quamvis non pure graece, graece tamen, nec barbare locuti sunt. vid. *Ernesti l. c. p.* 209. *ss.* et *Instit. interpr. N. T. Part. II. c.* 7. *Plank. l. c. Tom. II. p.* 46. *sq.*

Sed haec ambiguitas et inconstantia in diiudicando dicendi genere N. T. triplici potissimum ratione interpretationum contortarum causa fuit. Ac primum quidem propterea, quoniam, quae bene graece dicta essent, non satis distinguebantur a minus bene graecis, nec vice versa haec ab illis; atque eaedem voces loquendique formulae modo ex elegantiori graecitate, modo e corrupto dicendi genere explicabantur. Sic vocabulum *δίκαιος* et cognata interdum sensu bene graeco intellexerunt interpretes, interdum vero sensu hebraico, unde fieri non potuit, quin multa loca mirum in modum torquerentur. Sed multorum vocabulorum usum e fontibus peregrinis, atque adeo alienis, repetitum esse videmus, quum domesticis exemplis constitui potuisset illorum vis et significatio. Vocabulum *λόγου* apud Iohannem existimarunt nonnulli petitum esse e Platonis aut Philonis *τοῦ πλατωνίζοντος* philosophia; alii, significari sapientiam divinam, persona indutam, ex more Iudaeorum, aut interpretum divinum, *τὸν λέγοντα*, multaque hoc loco disputarunt de adversariis, quos Iohannes refutare voluerit. Sed in promtu est, intelligi *οὐσίαν* quandam, *ῥήματι θεοῦ γεγονότα πρὸ πάσης κτίσεως, πρωτότοκον, δι' οὗ καὶ τοὺς αἰῶνας ἐποίησεν;* atque hoc vocabulum, usurpatum ab Iohanne, tamquam notissimum iis, quibus scriberet, hoc est, non hominibus doctis, sed indoctis, Christianis, explicandum non esse modo insolito inter Iudaeos et Christianos, et novo, sed sic, ut ab omnibus, eodem modo de Messia loquentibus, facile intelligeretur. Solebant autem illi Messiam *κατ' ἐξοχὴν* appellare *τὸν λεγόμενον*, promissum, sive etiam ven-

turum divinitus, ἐρχόμενον, sed praestantissimum omnium rerum creatarum, origine, natura et potestate, ita ut eodem modo explicandum sit apud Iohannem, quo loquebantur illo tempore omnes de Messia; conf. S. V. Keil. in Comm. II. *de doctoribus ecclesiae a culpa corruptae per Plat. rec. doctr. libb.* Ex hac autem incerta τοῦ λόγου interpretatione et multae interpretationes contortae sunt, et mutatum esse constat universum Iohannis consilium. Sed fuerunt etiam alii, qui ubique hebraismos quaererent, et dum vocabula, ex graeci sermonis consuetudine explicanda, e lingua hebraica interpretarentur, multis modis torquerent sensum scriptorum sacrorum. Sic praeceperunt, abstracta pro concretis, ut in scholis dicuntur, poni per hebraismum. Sed fieri hoc constat in linguis omnibus, etiam apud Graecos, apud quos exstant elegantissimae huius generis formulae. vid. Casaub. *ad Athen. I*, 9. Dorvill. *ad Charit. V*, 5. Saepe etiam Alexandrini posuerunt abstracta, ubi in textu hebraico est concretum; veluti *Exod. XIX*, 6. ubi habent ἱεράτευμα, pro ἱερεῖς, cum in Codice hebr. sit כהנים, plane ut in 1. *Ep. Petri II*, 5. 9. Similiter cum praepositiones εἰς et ἐν permutatae reperiuntur, id ex hebraismo factum esse volunt. Sed Graecis quoque usitatissima fuit illa permutatio. Nam εἰς τὸ φανερόν pro ἐν τῷ φανερῷ dici, notissimum est; Thucydides autem saepissime ἐν cum casu tertio loci, pro εἰς ponit cum casu quarto; vid. Duker. ad Lib. VII. c. 16. Dionys. Halicarn. Lib. IV. pag. 276. καταλειφθέντες εἰς τὸ στρατόπεδον dixit pro κ. ἐν τῷ στρατοπέδῳ. Item forma εἰς ᾅδου *Actor. II*, 26. est plane Attica, pro ἐν ᾅδου; sed apud Euripidem *in Hec.* 418. legitur: ἐκεῖ δ᾽ ἐν ᾅδου κείσομαι χωρὶς σέθεν. Verum negari non potest, vocabula εἰς et ἐν in N. T. saepe usurpari ex consuetudine hebraeorum, quum exprimunt hebr. ב et ל; vid. Vorstius *de Hebr. N. T. p.* 213. et 219. Gataker. *de Stilo N. T. p.*

180. sq. v. c. ubi ἐν significat *propter*, *per*, seu *ex*, quamquam eiusdem usus exempla occurrunt etiam apud scriptores elegantiores. Sic apud DEMOSTHENEM *de corona*, p. 308. leguntur haec: *ἐν οὐδενὶ τῶν παρ' ἐμοῦ γεγονυῖαν τὴν ἧτταν εὑρήσετε*; et apud *Andocid. de mysteriis* p. 79. est *ἐν τούτῳ σώζεσθαι ὑμᾶς*, pro *διὰ τούτου σ.* et aliis locis. Scilicet *Hebraismi* sunt formae dicendi, propriae et peculiares hominibus hebraice loquentibus, s. *ἰδιωτισμοὶ τῶν ἑβραίων*. Quamquam enim in lingua graeca puriori quoque reperiuntur multa, quae similitudinem habent magnam in verbis et formis cum sermone hebraico (quod docuit ERNESTI in *Prolus. de vestigiis linguae hebraicae in lingua graeca*) tamen, quae propriae illis non sunt, sed apud alias quoque gentes reperiuntur, earumque consuetudine et sermone usurpatae fuerunt, eae non sunt hebraicae formulae, sed communes unicuique linguae, vel si maxime occurrant apud scriptores hebraicos. Vt enim unaquaeque lingua sua habet *ἰδιώματα*, hoc est, peculiares dicendi formulas, cuiusmodi sunt Graecorum participia et alia, ita quoque communes sunt quaedam omnibus ac singulis, quas ubi in scriptore quodam repereris, eas communi iure et consuetudine positas, sed non huic linguae, qua ille usus est, proprias dicere necesse est. Igitur multas in N. T. formulas, hebraismorum nomine solent notare, nulla alia de causa, quam quod scriptores N. T. hebraicam dicendi consuetudinem imitatos esse, in animum induxerunt. Quasi vero scriptores sacri illas non ex communi graecae linguae consuetudine, qua uterentur, haurire potuissent. Sic multi notantur Hebraismi a *Vorstio*, *Leusdenio*, et aliis, quos eodem iure *ἑλληνισμούς* dicere possis. Scilicet, quod reperiuntur in N. T. apud scriptores *ἑβραΐζοντας*, hebraicae formulae sunt, quum apud Demosthenem, Thucydidem, Xenophontem, Polybium leguntur, graecae et elegantes habentur. Sic in N. T. pronomen demonstrativum otiose

poni post nomen, aut past pronomen relativum, ex Hebraismo factum existimant, quoniam Hebraeis eodem modo dicitur, uti Arabibus, Syris, Graecis atque Latinis. Sed hebraica profecto non potest haberi forma dicendi, quam optimi scriptores usurparunt. CASAUBONUS ad aliquem locum *Apuleii*, qui eodem pleonasmo usus est saepius, *est*, inquit, *ἑλληνισμός*, *familiaris huic scriptori, apud quem saepe reperias eam dictionem παρέλκουσαν. — Ita autem Graeci, Herodotus praesertim atque Pausanias, atque e recentioribus Agathias.* Sed cum addit, *etsi id proprie hebraeorum dialecti esse, certum est*, id quo iure vir summus dixerit, non potest intelligi. Quis enim a CICERONE hebraismum admissum existimaverit, scribente in oratione p. Coel. c. 4.: *Illud tempus aetatis, quod, ipsum sua sponte infirmum, aliorum lubidine infestum est, id hoc loco defendo*; aut ad Sulpicium: (ad Div. XVIII, 28.) *Illud quod supra scripsi, id tibi confirmo* conf.; *pro leg. Man.* c. 10. aut a Sallustio Bell. Catil. c. 37. *Sed urbana plebes, e a vero praeceps ierat.* Sed apud THUCYDIDEM, *τὸν ἀττικώτατον*, lib. IV. c. 93. haec leguntur: *τῷ δὲ Ἱπποκράτει ὄντι περὶ τὸ Δήλιον, ὡς αὐτῷ ἠγγέλθη*; et apud DEMOSTHENEM *adv. Mid. p.* 522. *adv. Aristog. A. p.* 775. *de Cor. p.* 280. *Reisk. οὕτος* eleganter *παρέλκει*; item apud *Xenoph. Cyrop. L. II.* p. 51. *τοῖς μὴ θέλουσιν ἑαυτοῖς προστάττειν ἐκπονεῖν τἀγαθὰ*, (ὁ θεὸς) *ἄλλους αὐτοῖς ἐπιτακτῆρας δίδουσι*; plane ut *Matth. IV*, 16. *VIII*, 5. *Io. XV*, 2. *VIII*, 11. Verum ad exempla contortarum interpretationum, quae ex hoc ipso fonte oriuntur, redeamus. Scilicet *Matth. XII*, 36. *ῥῆμα ἀργόν* plerique reddunt: *dictum inutile et perniciosum*, ut sit idem, quod *πονηρόν*, quemadmodum habet *Cod.* 126. e glossemate, putantque sensum esse hunc: *credite mihi, homines olim rationem reddituros esse cuiusvis dicti improbi et perniciosi.* Existimant enim, dominum Pharisaeos, impie adversus ipsum loquutos, his verbis reprehendere,

iisque poenas gravissimas minari, quod unumquodque dictum, perniciosum et impium, aliquando puniatur. Hanc vocabuli *ἀργός* interpretationem probare solent ex hebraico בטל, quod dici putant de verbis levibus, inutilibus atque etiam perniciosis. Exempla hebraicae quidem linguae nulla commemorare possunt, sed afferunt loca duo versionis Chaldaicae, *Exod.* V, 9. ubi דברי־שקר expressit *Onkel.* פתגמין בטלין, et Eccles. V, 2. Provocant etiam ad versionem hebr. evangelii Matth. a Münstero editam, et Syriacam, cum haec quidem habeat: ܡܠܬܐ ܒܛܝܠܬܐ, illa vero דבר ביטול; col. iisdem verss. Syr. et Hebr. ad *Matth. XXV*, 30. Sed, si quid videmus, his exemplis nihil efficitur, nisi hoc, *ἀργόν* hebr. esse בטל, et denotare tum otiosum, tum inutile, ignavum, neque vero hoc, scriptores N. T. si dicant *ἀργόν τι*, imitatos esse consuetudinem sermonis chaldaici. Neque in Cod. hebraico sunt exempla, e quibus doceri possit, verba otiosa pro perniciosis dicta esse. Denique ex illis locis probari non potest, illos interpretes vocabulum בטל dixisse eo sensu, ut esset *πονηρόν*; nam *ἀχρεῖος δοῦλος Matth. l. c.* est inutilis, i. e. qui nullam domino utilitatem affert, neque vero improbus; שקר autem saepe denotat id, quod est vanum, inane v. c. *Ierem. VIII*, 8. *XVI*, 18. ubi לשקר vertitur ab Alex. *εἰς μάτην*; similiter mendacium, innumerabilibus locis, v. c. *Exod. XXV*, 15. inprimis *Prov. XII*, 22. *XVII*, 7. ubi שפתי־שקר *οἱ ό* recte interpretati sunt *χείλη ψευδῆ*. Conf. Drusius *in animadv. ad h. l.* Vorstius *de hebr. N. T. l. p.* 80. et Fischerus *de Vit. Lex. N. T. Diss. XXV. p.* 569—571. Neque vero haec interpretatio cohaeret cum iis, quae antecedunt v. 33. 34. 35. et quae sequuntur, v. 37. Ibi enim non improbe illud dictum reprehenditur, sed Pharisaeorum simulata pietas, et affectatum salutis publicae studium. Hi enim, ut levitatis crimen amolirentur, v. 38. *σημεῖον* quaerebant, quasi vellent, ut et ipsi, et alii, an Dominus esset Messias,

possent cognoscere. Adversus hanc simulationem hominum, nibil ex animi sententia dicentium, graviter et commode Iesus loquutus fuerat v. 33. 34. 35., usus comparatione arboris, quam nemo bonam et utilem iudicare soleat, nisi fructus bonos ferat, (est enim ποιεῖν h. l. iudicare, existimare, cuius significationis exempla habet Raphelius *ex Herod. ad h. l.* sed sunt familiaria Graecis, v. c. Dionys. Halicarn. *Antt. RR. L. IV,* 211. Sallust. *Philos. c.* 9. Stobaei *Serm.* 247.) [1]) neque quisquam fructus bonos exspectet ab arbore inutili. Enimvero aliena prorsus, frigida, atque ἀργὸς, i. e. omni effectu et vi destituta, sententia adderetur v. 36. si sensus esset is, quem volunt interpretes, neque cohaeret cum sententia communi v. 37. Nam quando dominus dicit, unumquemque ex dictis suis iudicatum iri, id non potest ita accipi, quasi dictis et meris verbis probitatem suam possit aliquis probare: quae sententia ab ipsa divini magistri mente esset longe aliena. Itaque necesse est, ut intelligatur certum quoddam dictorum genus, quod, quum honesti speciem habeat, saepe tamen pessimum est, et καταδικάζει τὸν ἄνθρωπον, quoniam malo animo est prolatum. Quodsi vocabulum ἀργόν interpretamur ex consuetudine graecorum, sensus oritur admodum commodus et facilis. Scilicet ἀργός est idem, quod ἄεργος, otiosus, deinde eventu carens, effectu destitutus, cui res ipsa non respondet. conf. Demosthen. κατὰ Ἀφόβου λόγ. ά. p. 815. *Reisk.* Igitur ῥῆμα ἀργόν est dictum inane et vanum, i. e. omni veritate destitutum, cui res ipsa non respondet, μάταιος λόγος, πράξεων ἄμοιρος γενόμενος, ut est apud Demosthenem

---

1) vid. contra Glassium in Philol. Sacra, Lib. I. p. 226. ed. Dath. Sed eiusmodi rationes loquendi quum in omnibus fere linguis reperiantur, non ad peculiarem dicendi consuetudinem scriptorum sacrorum trahendae sunt.

in Orat. ad Philippi Epist. Breviter, est dictum temerarium, vanum, non ex animi sententia prolatum, hominis, alia prae se ferentis, alia pectore gerentis; quo sensu ἀργὸς saepissime a Graecis dicitur. Sic apud STOBAEUM *Serm. c.* 34. αἱρετώτερόν σοι ἔστω λίθον εἰκῇ βαλεῖν, ἢ λόγον ἀργόν; quem locum, meo quidem iudicio, non recte interpretati sunt PALAIRETUS et KYPKIUS, ad h. l., de dictis improbis, quum explicandus sit de dictis vanis et temere proiectis; neque ex animi sententia prolatis, ut docet comparatio λίθου εἰκῇ βαλλομένου. Sed HIEROCLES aliquo loco, *in carm. aur. Pythag.* vanas preces, ἀνενέργητον εὐχὴν vocat τὸ ἀργὸν, i. e. inefficaces, quoniam effectu carent cum fiant ψιλῆς τῆς εὐχῆς τοῖς λογισμοῖς, μηδὲν πρὸς τὴν κτῆσιν τῶν αἰτηθέντων προσφέροντας, idemque alio loco τὴν ἀργίαν τοῦ καλοῦ opponit τῇ ἐνεργείᾳ τοῦ καλοῦ. Notum vero est sophisma veterum, ἀργὸς λόγος, s. *ignava ratio*, ut dixit CICERO *de Fato c.* 14., de quo disputavit FACCIOLATUS *Acroas.* V. Recte igitur CHRYSOSTOMUS *Hom. XLIII. in Matth.* ἀργὸν δὲ, inquit, τὸ μὴ κατὰ πράγματος κείμενον, τὸ ψευδὲς, τὸ συκοφαντίαν ἔχον. Quare sensus loci nostri esset hic: credite mihi, hominem, cuiuslibet dicti simulati, neque ex animi sententia prolati, gravissimas poenas daturum esse; siquidem dicta tua, si ex animi sententia, et mente ingenua prolata fuerint, probabuntur, sin fuerint simulata, etsi magnam honesti speciem prae se ferant, damnabuntur [k]). — Alii denique,

k) Paulo fusius de hoc loco disputavimus, eo consilio, ut appareret, quam incerta adhuc esset linguarum orientalium comparatio in explicandis libris sacris. Etsi enim non ea nobis sententia est, ut nihil prorsus effici posse illa analogia existimemus, habet enim magnam omnino utilitatem, ea tamen non nisi summa cum cautione adhibenda esse videtur Scilicet non temere agere videntur hi, qui scriptoris alicuius verba, ex domestica dicendi consuetudine malunt, quam pe-

illa ambiguitate impediti, leges grammaticas vel plane neglexerunt, vel nimis strenue observarunt. Ut enim scriptores N. T. non semper sequuti sunt praecepta linguae graecae, ita dici non possunt, ea prorsus neglexisse. Liceat ex utroque genere exemplum addere. Etenim neque se ipsos, neque loca scripturae permulta torsissent interpretes, si recordari voluissent, futura saepissime habere vim aoristorum, de quo vid. LENNEPIUS *Anal. L. Gr. p.* 354.; veluti *Iac. II*, 18. κἀγὼ δείξω, quod reddendum est, *ut et ego tibi ostendere soleo*; vicissim vero aoristos habere vim eam, ut actionem quae verbo exprimitur, continuari significent, v. c. *Iac. V*, 6. κατεδικάσατε, ἐφονεύσατε τὸν δίκαιον, i. e. damnare et occidere soletis innocentes; et *Matth. l. c.* νομίζετε vertendum est: indicare, existimare *soletis*. Suspicor etiam, in loco difficillimo *Petri* 1. *Ep. III.* v. 20. τὸ ὅτε positum esse elliptice pro ὡς ὅτε, quod fieri solet in comparationibus, vid. BOSII *Ellips. gr. p.* 892. NOLDII *Concord. Part. p.* 879. et GATAKERUS, *Advers. misc. II*, 20. *p.* 332. Opp. EUSTATH. *ad Il.* ε, v. 258. δεῖ κἀνταῦθα προςυπακούειν συνήθως ὡς. col. 2. Petr. *III*, 4. quo admisso, medela forsitan quaedam afferri illi loco posset. Vicissim in eadem *Ep. Iac. III*, 6. in verbis ὁ κόσμος τῆς ἀδικίας offendit multos articulus ὁ, quasi quaerenda sit in eiusmodi scriptore ἀκρίβεια grammatica, (conf. *Io. I*, 1.): est enim articulus ἐξηγητικὸς, ut vocatur, seu δεικτικῶς usurpatus, (de quo vid. VIGERUS *de Idiotism. L. Gr. p.* 19. *ed. Zeun.*) Hebraeis notissimus, qui τῷ ה utuntur saepissime sic, ut subiectum coniungat cum praedicato. Ac possent profecto egregie mereri de libro-

---

incertam linguae peregrinae analogiam, sive similitudinem explicare, quae, dum studiose investigatur, ingenium quidem delectat interpretum, sed multas quoque contortas interpretationes parere solet; incauti enim collo columbae commoventur, ut ait *Cicero in Academicis*, *Lib. IV. c.* 25.

rum sacrorum N. T. interpretatione, qui *Analogiam* linguae graecae, ab illis scriptoribus usurpatae, diligentius et accuratius exponerent, quam id factum est ab his, qui nutant et ambigunt in explicando genere dicendi, quod reperitur in N. T., constituerentque illius leges certas ac formulas, quibus multae interpretationes contortae facile evitari possent [1]).

Sed veniamus ad caussam alteram. Diximus nimirum, interpretationum contortarum magnum numerum originem habuisse inde, quod interpretes non semper accurate observaverint ingenium scriptoris cuiusque, ac tempora et homines, quibus scripserint; de his igitur iam deinceps est dicendum.

Ac primum quidem magna est diversitas scribendi dicendique singulorum scriptorum N. T., pro diversitate ingenii singulis proprii, quam diligenter observa-

---

1) Quemadmodum enim, qui linguae vetustae analogiam ignorant, in eius monumentis explicandis, nulla certa ratione uti possunt, sed consuetudinis incertae imperio, aut grammaticorum superciliis moventur, ita etiam N. T. interpretatio certis legibus careat necesse est, nisi analogia linguae, qua usi sunt scriptores sacri, accurate et certo, quantum eius fieri possit, definiatur. Est autem analogia, ut verbis I. Dan. a Lennep utar, *vocabulorum, quae linguam constituunt, omnium, in certa genera distributorum, et significationum, iis adiunctarum, ac denique phrasium, totiusque constructionis, apta inter se, et constans similitudo atque convenientia*, cerniturque non solum formandorum vocabulorum legibus, verum etiam atque inprimis significationum definiendarum rationem et origines investigat, et leges construendae orationis. Vid. L. C. Valckenaerii, Viri immortalis, et I. D. a Lennep *Observationes de Analogia linguae graecae, editus ab* Ev. Scheidio, Traj. ad Rh. 1790. Linguae Graecae vero, quae in libris N. T. deprehenditur, an certae sint rationes analogicae, alii iudicent; nobis vero persuasum est, eas aut inveniendas aut omnium arbitrio librorum sacrorum interpretationem esse relinquendam.

bunt, qui sibi cavere voluerint a contortis interpretationibus. Placida est Iohannis oratio, eadem vero haud raro verbis formulisque gravioribus distincta; sed Pauli fervida oratio, crebro turbata, omnia alia, ob similitudinem quandam levem proiiciens, efferens sese figuris, tropis, comparationibus, membrorum distinctionibus, dictorum parallelismis; neque ab omni arte rhetorica prorsus aliena; Petro vero velox et turbidum ingenium, vix ferens orationem continuam, sermo incompositus, saepe interruptus, vocabulis novis turbatus, vehemens, sed inconstans. Reliquorum quoque ingenium varium, et diversissima oratio: alia Matthaeo, alia Lucae dicendi ratio; in illo quidem difficilior nec bene composita, ut scriptorem non satis exercitatum agnoscas, in hoc politior et quadam venustate ornata; in Marco summa breviloquentia. Sed singulis et verba propria fuerunt, quasi familiaria, et formulae dicendi, quibus alium aut plane non usum reperias, aut sensu alio. Iam quum alicuius scriptoris sententia reperiri non possit, nisi dicendi eius consuetudinem, familiarem et propriam, accurate cognitam habeas; facile quisque potest intelligere, docuitque experientia omni tempore, illam qui ignoraverint aut neglexerint, interpretationes vel maxime contortas protulisse. Quod factum est inprimis in formulis tropicis, et rerum similium imaginibus, quibus magis minusve unusquisque utitur; idemque saepe accidere solet tum, cum, quae apud alterum scriptorem tropice explicari debent, apud alterum propriam explicationem desiderant, aut quae proprie intelligi voluit hic, eodem modo explicantur in illo. Sed haec admonuisse sufficiat; neque enim de singulorum locorum et scriptorum explicatione, sed de interpretatione in universum disputamus.

Deinde vero plurimum prodesse constat ad quemcunque scriptorem intelligendum et explicandum, temporum quibus vixit, scientiam; qua quidem cernitur

fere tota interpretatio, quam historicam dicunt, ea vero a grammatica nullo modo seiungenda [m]). Quod si tenuissent interpretes permulti, atque rationem habuissent temporum illorum, non dubitari potest, quin minus difficultatis habituri fuissent in indicandis locis N. T. quam plurimis. Iam vero quum hoc negligerent, fieri non potuit, quin loca N. T. multa detorquerent in sensum plane alienum, atque ipsam doctrinam Iesu et Apostolorum perverterent, saltem in Theologiam, religionemque adeo ipsam, inferrent, quae certis temporibus scripta essent, velut ex Ep. ad Hebraeos, imprimisque e vocabulis tropicis nova dogmata procuderent, a mente virorum divinorum aliena. Exempla quum sint in promtu, non opus est addere.

Denique quum utilissimum sit ad interpretandum, attendere ad *homines* illorum temporum, eorumque ingenium, mores, opiniones et vitia, in eo tamen interpretes duplici modo peccarunt, multasque contortas interpretationes protulerunt. Fuerunt enim, suntque cum maxime, qui existiment, Apostolos loquutos esse ex opinionibus praeconceptis hominum illius aetatis, atque adeo Dominum ipsum se accommodasse ad illorum ingenia. In qua sententia etsi veri est aliquid, quod iam olim concesserunt interpretes eruditissimi, modum tamen excedere nonnullos, et virorum sacrorum mentem varie torquere, negari non potest. Cuius rei exempla, quum multa afferri possent,

---

m) Demonstravit utriusque coniungendae necessitatem Keilius, V. S. V. in Comment. *de historica librorum sacrorum interpretatione eiusque necessitate*, *Lips.* 1788. Nulla enim est interpretatio grammatica, nisi cum historica sit coniuncta; utramque vero quum divellunt nonnulli, et de illa iniquius ferunt iudicium et hanc ipsam in effrenatam de verbis divinandi licentiam mutare solent. Conf. G. Laur. Bauerus *in Philol. Glassii his temporibus accommodata. Tom. II. Sect. II. pag.* 256. et seqq.

et fere innumerabilia, tum nulla exstant luculentiora, quam in explicandis miraculis et vaticiniis. Neque enim interpretis est, docere, quam vere dictum aliquid videatur, sed ipsam scriptoris mentem explicare; illud enim non est interpretari, sed philosophari, ut praeclare docuit Ernesti in *Prol. de vanitate philosophantium in religione*; *Opp. philol. crit.* p. 222. Sed ipsam Apostolorum, et Domini ipsius de miraculis et vaticiniis sententiam eiusmodi disputationibus prorsus mutari et detorqueri, vel ab iis concedi debet, quibus persuasum est, illas res, apud illos potissimum vim habuisse, inter quos patratae gestaeque fuerunt. Si ii fuerunt Apostoli, qui falli non possent, sed vere omnia, uti gesta sunt, narrarent, is autem Dominus, qualis describitur in libris sacris, qualemque fuisse concedunt ipsi adversarii, temere profecto agunt, qui ita eorum verba interpretantur, ut aut vituperandi propter fraudem videantur, aut corrigendi propter errorem; Iesum vero aut praestigiatorem faciunt, artibus suis populum decipientem; (nulla enim fraudi a consilio, quo committitur, excusatio esse potest:) aut hominem gloriosum, qui haec vel illa, εἰκῇ a Prophetis dicta, in se ipso non eventum solum habuisse, sed de se ipso proprie dicta esse, temere iactaverit; quod an ferendum sit, magna oratione non opus habet. Quodsi ii fuissent Apostoli, qui decepti narrarent multa, quae, quum vera non essent, vera ab ipsis haberentur, tamen non liceret interpreti, de vera eorum sententia dubitare, aut quum non vera viderentur, quae narrarunt, eorum verba ita explicare, sive potius torquere, ut verosimilia viderentur; quod nemo sibi licere putat in scriptore profano, quum leges iustae interpretationis nulla ratione patiantur. Contra vero et alii fuerunt, inprimis olim, qui eius rei rationem nullam haberent; nec, quibusnam haec vel illa scripta fuerint, contra quasnam opiniones quosve mores illius aetatis, recte animadverterent; inprimis in

iis, quae disputat Paulus in epistolis ad Romanos et Hebraeos. Unde factum est, ut libros sacros nec recte intelligerent, nec rite explicarent, imo vero detorquerent in sententias, a mente virorum divinorum plane alienas. Sed in singulis quoque vocabulis explicandis multos eodem modo lapsos esse videmus, qui, dum homines, quibus scripserunt Apostoli, non accurate discernerent, protulerunt multa, de quibus illi, his potissimum scribentes, prorsus non cogitasse videntur. Sic vocabula *φῶς*, *φωτίζειν*, *ζωὴ*, *πλήρωμα*, e Gnosticorum philosophia petita esse olim quidem existimarunt nonnulli, cum tamen Iudaeis quoque familiaris fuerit illorum vocabulorum usus de Messia. Sic *R. Chaia Gen. I.* 3. *τὸ· φῶς*, אור de Messia interpretatur allegorice, et *Bechai* verba: ויאמר אלהים יהי אור de diebus Messiae, his verbis: לרמוז על ימות המשיח. In *Pes. Rabb.* dicitur Satan ad Deum, quum *lumen* occultaret, accessisse, eumque rogasse ut sibi illud ostenderet, eo autem viso dixisse: בודאי הוא משיח שעתיד להפיל לי ולכל שרי אומות העלם בגיהנם col. Ies. XXV, 8. Atque hanc ipsam lucem, Messiam, ante omnia secula adfuisse, perhibent *Bechai fol.* 5. *col.* 4. qui eandem בראשית adfuisse dicit, principium, lumen sapientiae, שבו נברא הכל, *δι' οὗ τὰ πάντα ἐγένετο*, ut ait Ioh. I, 3. *Bech. in leg. fol.* 125. In *Beresch. Rab. all.* dicit *R. Samuel Bar Nachman*, hoc lumen apud Deum fuisse, sed Bechai fol. 89. 4. idem docet incarnatum esse voluntate Dei. Atque sic mallemus, si opus esset, illas formulas e scriptis Iudaeorum, quam e philosophia Gnosticorum explicare. Similiter *Ioh. IV*, 24. verba: *πνεῦμα ὁ θεός*, nuperrimus interpres Evangelii Iohannis explicavit, sic, ut hodie dicitur philosophis vocabulum spiritus, (*sein ganzes Wesen ist Geistigkeit und Moralität*). Num vero credibile est, haec philosophiae decreta dominum tradidisse mulierculae? Scilicet hoc sensu philosophico neque ab Iudaeis ad-

hibebatur hoc vocabulum, neque apud ullum scriptorem graecum occurrit.

Restat causa interpretationum contortarum tertia, de qua breviter dicemus. Scilicet *orationis contextum*, satis constat, egregium esse subsidium ad reperiendum verum sensum verborum, inprimis in locis iis, in quibus est verborum formularumque ambiguitas quaedam, rerum obscuritas aut novitas, et usus loquendi negligentia. Verum haec ratio sine controversia habet multas et magnas cautiones, praesertim in scriptoribus, ad scholae leges non doctis, *οὐκ ἐν διδακτοῖς ἀνθρωπίνης σοφίας λόγοις λαλοῦσιν*, inprimisque in epistolis, in quibus non unum idemque argumentum tractatur sic, ut omnia cohaereant; neque enim id fieri vulgo solet in epistolis; sed magna est rerum varietas, quarum aliae alias sequi solent. Cui rationi cum nimis, aut soli, confiderent interpretes, contentique, si quid aliquo certe modo contextui accommodatum videretur, ubique nexum aliquem dialecticum et veluti dispositionem logicam quaererent; fieri non potuit, quin inanes saepe coniecturas proferrent, non interpretationes veras, atque loca scripturarum sanctarum torquerent tam diu, donec similitudinem quandam cum serie orationis elicerent. Verum haec sunt in promtu, neque exemplorum copia hoc loco opus habent.

Igitur veniamus ad consilium, cuius causa hanc disputationem instituimus *).

P. P. Dom. Reminisc. A. C. cIɔIɔCCC.
in Vniv. Liter. Lipsiensi.

---

*) Scripta erat haec prolusio ad indicendam orationem, professionis theologicae extraord. suscipiendae causa habitam d.

xiii. Mart. a. CIↃIↃCCC. Quae postea adiecta sunt, asterisco notavi. Paucissima sunt: quamquam enim plura, nisi corrigenda, certe accuratius definienda, aut exemplis illustranda videbantur, tamen intacta multa relinquere malui, ne seriorum annorum fructibus iuventutem ornare voluisse videri possem.

DE

SPIRITU DEI MYSTERIORUM DIVINORUM INTERPRETE

AD LOCUM PAULLI 1. COR. II. v. 10—16.

Quum plurima sint divini numinis beneficia, *Cives Carissimi*, quae, vel hominum levitate atque socordia, vel ipsius consuetudinis pravitate, in oblivionem adducta, negliguntur, tum ea potissimum, quibus vera vita mortalium per institutionem divinam suscitanda et nutrienda est. Nam ista quidem veluti naturae beneficia, quoniam aut sensus suaviter afficiunt, aut superbae lubidini hominum indulgent, frequentius celebrari videmus, licet a paucissimis ad verum auctorem referantur: sed longe illustriora illa, quibus immortalis anima, ex huius mortalis vitae tenebris educenda atque ad veram vitam vocanda, subinde emendatur coelestisque beatur usu virtutis, ea, quum aliena sint a sensibus, et coercere humanam lubidinem videantur, rarissime ab hominibus observantur atque ita, ut par est, coluntur, imo oblivione et stupore plurimorum ita obruuntur, ut paucissimi sint, quorum vita tantorum illorum beneficiorum grata et perpetua recordatione illustretur. Vitam enim plerique, ταῖς τοῦ βίου μερίμναις dediti, ventrique ac sensibus

obedientes, transigunt, plurima naturae se debere intelligunt, sibi haud parum vindicant; divinum antem spiritum, quo omnia sunt et moventur et vivunt, non sentiunt; nesciunt, unde veniat, et quem exitum habeat, ignorant. Ac tales quidem semper fuerunt homines inde ab initiis generis humani, et eo quoque tempore, quo spiritus ille aeternus effusus est in Apostolos, his ipsis diebus, quorum memoriam proxime sumus celebraturi. Non est igitur mirandum, legatos Domini, ἀπαρχὴν τοῦ πνεύματος ἔχοντας, Christianorum propriam indolem in eo potissimum quaesivisse, quod iis divino beneficio, per doctrinam christianam, contigisset spiritus dei, et suae aetatis homines, ne exstinguerent hunc spiritum, constanter et sedulo monuisse. Quod nos quoque videre oportet, *Cives optimi*, et his diebus maxime, quibus parum abfuit, quin δαίμονος τοῦ κόσμου τούτου imperio oppressum τὸ θεῖον πνεῦμα prorsus exstinctum videretur. Quare quum et officii et pietatis causa vos monendi sitis, ut dies festos, qui proxime instant, ita ut par est celebretis, neque alienum neque ingratum facturi nobis videmur, si ex ingenti numero beneficiorum, quae spiritus divini virtute constant, unum certe in memoriam vobis revocaverimus, quod a Paullo in 1. Ep. ad Corinthios Cap. II. v. 10. et sequentibus celebratur, atque in eo verissime cernitur, quod spiritus dei ope cognosci, intelligi, et probari unice possunt mysteria divina.

Dicimus autem mysteria divina non eo sensu, quo in scholis dogmaticis dicuntur, θεωρητικά, quae ita superare captum humanum creduntur, ut rerum, quae in iis continentur, veram rationem et modum internum intelligere mens humana non possit; imo mysteria divina vocamus eadem, quae in libris sacris sic dicuntur, consilia aeterna divina, hominibus, aut ob levitatem ingenii sui obscura, aut ad certum usque tem-

pus abscondita, sed per Christum, τὸ φῶς τοῦ κόσμου, aut tunc primum patefacta, aut certe illustrata, de quibus dubitare amplius non possint, in quibus fuerit spiritus dei. Omnia vero haec divina consilia ad veram saltutem spectant hominum, redeuntque mysteria τῆς βασιλείας τῶν οὐρανῶν ad veram rationem illam salutem consequendi, quam divino beneficio, per Christum, et patefactam, et certam redditam esse omnibus, satis constat. Quod si mysteriorum divinorum interpretem dicimus spiritum dei, nihil aliud nobis volumus, quam quod plurimis locis N. T. affirmatur, rationem consequendi salutem ac beatitudinem, ad quam omnes adspiramus, cognosci, intelligi et probari posse tantum per spiritum dei. Sed quum multa sint loca, in quibus hoc beneficium tribuitur spiritui dei; tum ille inprimis Paulli locus memorabilis est, de quo nunc breviter disputabimus.

Paullus igitur, prudentissimus ille οἰκονόμος τῶν μυστηρίων θεοῦ (1. Cor. IV. 1.), in toto capite secundo epistolae prioris, quae exstat, ad Corinthios, explicat rationem, qua usus ipse fuerit in tradenda doctrina divina de salute per Christum, eumque supplicio affectum, consequenda. Hanc doctrinam (μαρτύριον τοῦ θεοῦ v. 1.) se non tradidisse oratione gravi argumentis sapientiae humanae, sed potius spiritus virtute demonstrandas, ut eorum religio (πίστις) constaret ipsa vi divina. Sed hanc institutionem continere res novas, quas nemo cognovisset eorum, quorum erat imperium hominum huius seculi, scilicet principum Iudaeorum, qui Dominum, auctorem salutis (κύριον τῆς δόξης), supplicio affecissent. Appellat igitur Paullus τὸ μαρτύριον τοῦ θεοῦ, doctrinam de Christo, auctore salutis humanae (Cap. I. 22. sq. II. 2.), σοφίαν θεοῦ ἐν μυστηρίῳ, i. e., ut ipse statim post explicat, ἀποκεκρυμμένην, ἣν προώρισεν ὁ θεὸς πρὸ τῶν αἰώνων εἰς δόξαν ἡμῶν, i. e. instituta divina, ἃ

ἡτοίμασεν ὁ θεὸς τοῖς ἀγαπῶσιν αὐτόν. Erant haec sane occulta et abscondita hominibus, quum reliquis, tum illius aevi (*τοῦ αἰῶνος τούτου*) potissimum, et maxime *τοῖς ἄρχουσι*, quos constat alia omnia curare, quam quae sunt *τοῦ πνεύματος θεοῦ*. Quare recte dixit versu sexto: *σοφίαν λαλοῦμεν ἐν τελείοις*, quae verba, ut nobis quidem videtur, non hunc sensum habent, quem plerique interpretes iis inesse putant: *tradimus sapientiam hanc perfectis tantum*; sed: *tradimus, quae sapientissima esse intelliguntur a perfectioribus*, nam Iudaeis *σκάνδαλον*, reliquis *μωρία* sunt, *τοῖς δὲ κλητοῖς θεοῦ δύναμιν καὶ σοφίαν* (I, 23. 24.). Nam res illae sapientissimae et praestantissimae sunt non secundum iudicium vulgi, nedum eorum, qui iis imperant, (*σοφίαν οὐ τοῦ αἰῶνος τούτου οὐδὲ τῶν ἀρχόντων*) imo his incognita prorsus fuerunt aeterna dei de hominum salute consilia, *quae parata sunt a deo his, qui eum amant, ea nemini antea in mentem venerant. Nobis autem*, pergit v. 10., *deus manifestavit per spiritum suum*; scilicet illa consilia sua de salute humana, *σοφίαν ἐν μυστηρίῳ*, seu *τὰ βάθη τοῦ θεοῦ*, ut in proxime sequentibus vocantur, et *τὰ τοῦ θεοῦ* (v. 11.), i. e. *τὰ ὑπὸ τοῦ θεοῦ χαρισθέντα ἡμῖν* (v. 12.). Nam hae formulae easdem res denotant, divinitus patefactas, sed variae sunt rationes illarum formularum; non temere enim permutantur ab Apostolo. Primum enim sapientiam occultam et absconditam vocat, quippe ignotam hominibus ante Christum, deinde *βάθη τοῦ θεοῦ*, quod in deo veluti recondita fuerunt, ut consilia hominum in mente humana (*τὰ τοῦ ἀνθρώπου*), tum *τὰ τοῦ θεοῦ*, quoniam sunt dei, i. e. non humana, sed divina, denique aperte appellantur suo nomine, *τὰ ὑπὸ τοῦ θεοῦ χαρισθέντα ἡμῖν*: sunt enim saluberrima illa consilia divina ad homines a miseria peccati liberandos, liberatosque ad veram huius et futuri aevi felicitatem perducendos. Haec igitur deus revelaverat Apostolis (*ἡμῖν*), *per spiritum suum.* Dubitari vero non potest, h. l.

eundem spiritum divinum intelligendum esse, cuius virtute imbuti fuerant Apostoli eadem Pentecoste, cuius memoriam his diebus celebraturi sumus, cives carissimi. Aperte enim is ipse spiritus, per quem deus revelavit Apostolis consilia sua, dicitur τὸ πνεῦμα τὸ ἐκ τοῦ θεοῦ, quod acceperunt Apostoli v. 12. Neque de natura huius spiritus licet dubitare. Comparatur enim cum spiritu, qui est in homine, i. e. cum illa vi intelligendi et sentiendi, qua movetur mens humana. Ex quo intelligitur, πνεῦμα θεοῦ h. l. neque personam denotare, neque indolem quandam, sed vim seu virtutem, qua mens humana regatur ac moveatur, eamque non humanam, i. e. natura studiove hominis natam, sed divinitus datam et effectam in homine, πνεῦμα ἐκ τοῦ θεοῦ, ut v. 12. dicitur. Nolumus nunc de variis vocabuli πνεῦμα significationibus disputare, quod multi satis docte fecerunt; sufficiet monuisse, vocabulum hoc ex eorum esse numero, quae postquam a rebus corporeis ad mentis humanae vires legesque traducta sunt, prioris significationis veluti sensum retinuerunt, ita ut veram eorum significationem assequi non possis, nisi rei, cuius signum ab initio fuerunt, constanter memineris. Πνεῦμα enim, de homine dictum, quum proprie significet spiritum illum, quem dum ducimus, vivimus, tum si ad mentis naturam transfertur, vim quandam denotat, qua mens ipsa, veluti spiritu suo, movetur et agitatur. Quo sensu etiam apud alios scriptores graecos nonnunquam πνεῦμα dicitur, ut in Axiocho τὸ θεῖον πνεῦμα est vis quaedam divina animae insita. Atque uti vim vitalem ab ipso corpore secernimus, ita etiam vim illam, qua mens agitatur, ab ipsa mente diversam cogitamus. Quare in eiusmodi locis, quibus τὸ πνεῦμα cuidam homini contigisse, eique inesse et inhabitare dicitur, de virtute quadam seu vi cogitandum est, qua mens humana agitur agitque, non modo de indole quadam naturae, quamquam ex illius spiri-

tus ratione pendet indoles hominis. Itaque in hoc quoque loco nostro *πνεῦμα θεοῦ* est spiritus ille, seu virtus animi, quae divinitus contigerat Apostolis, ut nunc intelligere possent *τὰ βάθη τοῦ θεοῦ*. Nam quae sequuntur: *spiritum illum omnia investigare, etiam occultissima consilia dei*, in iis elegans quaedam inest figura dicendi; scilicet per vim illam divinitus insitam efficitur, ut illa intelligantur.

Quemadmodum enim hominum consilia spiritus tantum cognoscit, qui est in homine, i. e. vis mentis humanae, *ita etiam divina consilia cognosci possunt tantum per spiritum dei*. Verba illa: *τίς γὰρ οἶδεν ἀνθρώπων τὰ τοῦ ἀνθρώπου*; paullo insolentius dicta videntur pro *τί γὰρ ἀνθρώπων*, (non quaeritur enim, quis homo, sed quid sit in homine, quod cognoscat *τὰ τοῦ ἀνθρώπου*) nisi *ἀνθρώπων* pro scholio habendum est. *τὰ τοῦ ἀνθρώπου* autem esse consilia hominis manifestum est; nam *τὰ τοῦ θεοῦ* sunt *τὰ βάθη τοῦ θεοῦ*, ut supra dictum est. Quid vero? quum non tantum Apostoli spiritum divinum acceperint, sed idem spiritus etiam Christianis reliquis contingere suo modo debuerit, qui fit, ut multi, etiamsi imbuti sint doctrina divina, tamen neque intelligant neque probent mysteria dei? Scilicet *non acceperant Apostoli spiritum mundi, sed spiritum dei*. Est autem spiritus mundi ea vis sentiendi et intelligendi, qua hominum, illius aetatis potissimum, mentes agitabantur, i. e. harum rerum terrenarum cogitatione et lubidine orta ac nutrita, cuiusmodi esse solet in hominibus, qui inhiant rebus, quibus sensus movetur, vitamque coecam, rerum immortalium spe, tamquam certissimo lumine, privatam, transigunt, et quae sunt *τοῦ θεοῦ*, neque intelligere neque probare possunt. Sed spiritus ille *ἐκ τοῦ θεοῦ*, cuius ipse deus auctor et fons est, divinus, non humanus, efficit, *ut cognoscamus beneficia dei*. Quod quum de omnibus beneficiis divinis verissime dicatur,

tum de iis potissimum, quae per Christum contingere possunt hominibus. Nam illa quidem naturae bona cognoscere nemo potest, nisi mentem a sensibus revocaverit et cogitationem abduxerit a consuetudine vitae; sed beneficia haec, quibus ipsius animae immortalis salus constat, quo tandem pacto cognoscat aliquis, rebus humanis τοῦ κόσμου τούτου deditus? Imo, ut animum nostrum, supra res humanas, i. e. mortales et caducas, elatum, ad immortalia bona evocemus, vi quadam ac virtute opus est, qua qui caruerit, is, qualia et quanta sint, quae per Christum largitus est hominibus deus, prorsus ignorat. Nam beneficia haec dei nosse, non est auditione accepisse, sed tenere animo et compertum habere, quae quantaque sint et quam necessaria atque salutaria generi humano. Apostoli ipsi olim, dum Christus inter eos viveret, carebant illo spiritu, et beneficia illa ignorabant; sed postquam reliquerat eos dominus, εἰς μαρτύριον τῶν μυστηρίων θεοῦ contigit illis *spiritus* ille, *quem non capit mundus, quoniam neque cognoscere neque intelligere eum potest.* (*Ioh. XIV*, 17.). Est autem spiritus ille elatus supra res mortales, neque contingere cuiquam potest, nisi qui ab huius vitae spe metuque animum prorsus liberaverit, ideoque ne Apostolis quidem prius contigit, quam, Χριστοῦ πορευθέντος εἰς οὐρανόν, vanam, quam hucusque aluissent, spem omnem amiserant; quod ipse Dominus dixit, ob instantem discessum suum eos consolaturus. (*Ioh. XVI*, 7.). Neque erraverit is, qui veram virtutem hominis in eo sitam esse existimaverit, quod, spretis rebus mortalibus, omni vi ad immortalia animum unice intendere possit. Hoc certe non obscure intelligere nobis videmur, cuius vita virtute illa destituatur, eum etiam vera religione carere, neque veram fidem inesse cuiquam posse, nisi totum animum a sensibus et lubidine huius mundi revocatum ad immortalia bona unice quaerenda, optanda et speranda traduxerit. Ἔστι γὰρ πίστις πραγμάτων ἔλεγχος μὴ βλε-

νομένων. (*Hebr.* XI, 1.) Verissime igitur Paullus dixit, se nosse beneficia dei, quoniam acceperit spiritum dei.

Sed non sibi solis sapere Apostolos decebat, imo beneficia illa divina nota facere eos oportebat omnibus; erant enim ὑπηρέται καὶ οἰκονόμοι τῶν μυστηρίων θεοῦ. Tradebant autem τὴν σοφίαν θεοῦ ἐν μυστηρίῳ, *non argumentis ab humana sapientia, sed per ipsum spiritum sanctum suppeditatis.* (v. 13.) Sunt enim λόγοι hoc loco argumenta, quibus veri falsique ratio modusque constat, ut *Act.* II, 40. et *Eph.* V, 6. et in ipso hoc capite v. 4. Saepius sic etiam apud alios scriptores graecos λόγοι dicuntur, uti apud Xenoph. Cyrop. I, 6, 10. et VI, 4, 3. insunt enim sermonibus argumenta, quibus fidem aliis faciamus. Sunt autem illi λόγοι οὐ διδακτοὶ ἀνθρωπίνης σοφίας, i. e. non suppeditati aut traditi ab humana sapientia. Vulgo supplendum esse praecipiunt ὑπό, sed nulla est ellipsis, ubi integra est sententiae enunciandae expressa ratio. Est enim in ipsa forma nominis causa, cur addatur genitivus; nam quod doctum est, id necesse est doctum esse ab aliquo, ideoque nomen eius, qui docuit, adponitur in genitivo; neque magis est de ellipsi praepositionis cogitandum, quam si dicitur παῖς Φιλίππου aut μαθητὴς Σωκράτους. Itaque *Joh.* VI, v. 45. διδακτοὶ τοῦ θεοῦ sunt, qui divinitus instituti sunt, non autem, qui de deo sunt edocti. Quamquam non ignoramus, genitivum addi nonnunquam sic, ut denotet rem, de qua quis edoctus est, ut διδασκόμενοι πολέμοιο apud Homerum, ubi tamen nullam ellipsin esse recte Schaeferus noster monuit. Sed in illo Iohanneo loco διδακτοὺς τοῦ θεοῦ esse, qui sunt a deo instituti, etiam sequentia demonstrant: πᾶς ὁ ἀκούσας παρὰ τοῦ πατρὸς καὶ μαθὼν ἔρχεται πρός με. Ita etiam in loco nostro λόγοι διδακτοὶ ἀνθρ. σοφ. sunt argumenta, quae ab humana sapientia suppeditantur; contra λόγοι διδακτοὶ

πνεύματος ἁγίου sunt, quae ab illo spiritu praebentur. Dicitur vero illud πνεῦμα, quod antea dictum fuerat πνεῦμα θεοῦ, hoc loco ἅγιον, sensu proprio, non est enim spiritus profanus, τοῦ κόσμου τούτου. Itaque Apostolus fatetur, se de beneficiis divinis edocere homines, ita ut non humanae sapientiae argumentis utatur, sed eiusmodi, quae ipse ille suppeditet spiritus sanctus, partim ut veram illarum rerum rationem intelligant, partim ut habeant fidem, ἀποδείξει πνεύματος καὶ δυνάμεως. Sed quoniam haec omnia non sunt commoda τῷ πνεύματι τοῦ κόσμου, imo repugnant vulgari sentiendi rationi, fieri non potest, ut cum fructu tradantur vimque suam exserant apud eos, qui spiritu illo divino destituti sunt, imo necesse est, ut sint πνευματικοί, i. e. spiritu illo imbuti, qui illarum rerum praestantiam et vim divinam intelligant sentiantque. Quod quum Apostoli probe intelligerent, in institutione doctrinae Christianae hac ratione utebantur, ut res divinas illas conferrent ad illos, qui imbuti erant spiritu divino. Hunc enim sensum inesse putamus verbis: πνευματικοῖς πνευματικὰ συγκρίνοντες. Nimirum συγκρίνειν proprie est res a caeteris separatas in unum locum congerere, componere, unde etiam nonnunquam significat comparare, ut apud *Polybium* (XIV, 8.) συνέκρινε καὶ διερεύνα τὰ λεγόμενα, i. e. sermones singulos inter ipsos comparabat et examinabat. Itaque πνευματικὰ συγκρίνειν πνευματικοῖς est conferre res illas ad homines imbutos spiritu; his enim erant πνευματικά, σοφία, reliquis μωρία aut σκάνδαλον. (conf. *Cap. I.* v. 23. *II*, 6.) Quamquam enim Apostoli illas res divinas tradebant non solum τοῖς πνευματικοῖς, sed etiam τοῖς ψυχικοῖς, tamen efficere non poterant, ut eae res recte intellectae probarentur, nisi a πνευματικοῖς. Scimus quidem, συγκρίνειν apud *Alexandrinos* aliquoties dici pro docere, explicare, inprimis de somniis, v. c. Genes. XL, 22. XLI, 12. uti κρίνειν ὀνείρους apud *Homerum* et κρίνειν τὸ σημαινόμενον τῶν ὀνειράτων apud *Io-*

sephum. (*Ant. Iud. II*, 2, 2.) Neque incommodus sensus prodire videtur, si συγκρίνειν h. l. significet *interpretari* seu *exponere*. Sed tamen amplius quid inesse illis verbis opinamur. Scilicet si hoc tantum voluisset Apostolus: tradimus τὰ πνευματικὰ tantum τοῖς πνευματικοῖς, in versu sequenti dicere debuisset ψυχικὸς γάρ ἄνθρωπος, ut appareret causa, cur τὰ πνευματικά tantum τοῖς πνευματικοῖς tradi possent. Scripsit autem ψυχικὸς δὲ ἄνθρωπος, ut intelligeretur, quae τοῖς πνευματικοῖς sint πνευματικά, ea secus videri τοῖς ψυχικοῖς. Denique dubitamus, an non scribendum fuisset cum articulo, τὰ πνευματικὰ τοῖς πνευματικοῖς συγκρίνοντες. Sed omisit Paullus recte articulum, ut intelligerent lectores, quae traderentur ἐν διδακτοῖς πνεύματος ἁγίου λόγοις, ea tantum πνευματικοῖς tradi tamquam πνευματικά, id est, ut vere ab iis, tamquam πνευματικά, cognoscerentur et probarentur, reliquis autem non esse πνευματικά. Eadem fere dixerat v. 6. σοφίαν λαλοῦμεν ἐν τοῖς τελείοις, i. e. quae tradimus, σοφία ἐστὶ τοῖς τελείοις. Itaque sensus illorum verborum hic esse videtur: *tradimus, quae πνευματικά sunt iudicio et sensu τῶν πνευματικῶν.* Quae interpretatio ad summam non multum discrepat ab illa notione conferendi et componendi res, quae inter se aliqua ratione conveniunt, quae est propria notio verbi συγκρίνειν. Neque vero possunt τὰ πνευματικὰ συγκρίνεσθαι nisi τοῖς πνευματικοῖς: nam qui carent spiritu illo, his minime conveniunt τὰ πνευματικά. Is enim demum rem quamcunque intelligere videtur, in cuius mente nulla est illius rei et sensus aut cogitationis dissensio. Quod quum de rebus omnibus, quae a sensibus remotae sunt, verissimum sit, tum de iis potissimum, quibus penitus perceptis vera religio constat. Non possunt enim τὰ πνευματικά intelligi ab his, qui carent τῷ πνεύματι, imo alio spiritu reguntur, qui illis rebus minime conveniat. Neque πίστις vera locum habet, nisi spiritus in homine eiusmodi sit, ut cum rebus illis, quibus fides

19*

habenda est, plane consentiat. Quare veteres theologi verissime dixerunt, spiritum sanctum largiri fidem. Non veremur, ne in mysticismi suspicionem incurramus apud eos, qui verae religionis naturam non humanorum consiliorum rationibus accurate subductis, sed rerum divinarum, τῶν ἀοράτων et αἰωνίων, verissimo certissimoque sensu constare intelligunt. Quamquam sunt, quibus religio non differre videatur a prudenti quadam et solerti cogitatione rerum earum, quae superant captum humanum.

Sed homo ψυχικός illas res divinas probare nullo pacto potest; nam ineptae ei videntur, neque eas intelligere potest, examinari enim et aestumari possunt tantum πνευματικῶς. Quis dicatur h. l. ψυχικός, apertum est; opponitur enim versu sequenti τῷ πνευματικῷ. Sunt igitur ψυχικοὶ, πνεῦμα μὴ ἔχοντες, ut est in Ep. Iudae v. 19. quasi animali tantum vi praediti et agitati, quae non appetit neque intelligit, nisi τὰ βλεπόμενα, caduca et cum huius vitae voluptatibus proxime interitura. Differt autem σαρκικός et ψυχικός. Nam σαρκικός quidem recte dici potest is, qui prorsus deditus est τῇ σαρκί, regiturque sensuum et lubidinis imperio, ὁ τῇ σαρκὶ δουλεύων, ut ait Chrysostomus; ψυχικὸς autem est, in quo est tantum ψυχή, i. e. vis illa animalis, qua vivimus tamquam ζῶα et movemur. Huic opponitur πνευματικός, qui habet spiritum illum eoque regitur, ut non tantum huius vitae rationes intelligat, sed etiam ad res immortales ac divinas contendere vi immortali possit. Quare ὁ ψυχικὸς ἄνθρωπος non probat τὰ τοῦ πνεύματος· nam ἡ ψυχικὴ σοφία (*Iacob.* III, 15.) adversa est τῇ σοφίᾳ θεοῦ. Neque vero potest τὰ τοῦ πνεύματος τοῦ θεοῦ probare ὁ ψυχικός, ὁ τὸ πᾶν τοῖς τῆς ψυχῆς λογισμοῖς διδοὺς, καὶ μὴ νομίζων δεῖσθαι τῆς ἄνωθεν βοηθείας, ἀλλὰ πάντα μωρίαν ἡγούμενος τὰ μὴ ἀπόδειξιν ἔχοντα, ut ait *Theophylactus* ad h. l. Causa autem, cur pro-

bare illas res divinas ὁ ψυχικὸς non possit, imo ineptas eas habeat, (μωρίαν) in promtu est, et ab ipso Apostolo adiicitur: *non potest eas intelligere, nam examinari et aestumari possunt tantum* πνευματικῶς. Nam in verbo γνῶναι est amplius quid quam εἰδέναι: hoc est, nosse aliquam rem, illud autem, rei naturam et indolem perspectam cognitamque habere, rem vere intelligere. Quamquam scimus, εἰδέναι et γνῶναι nonnumquam ita usurpari, ut non differre invicem videantur. Sed ad rem vere intelligendam opus est, ut eam recte examinemus et aestumemus, unde fit, ut eam intelligere non possit, qui vi illam examinandi et aestumandi est destitutus. Res autem illae spirituales, mysteria divina, aestumari et examinari non possunt nisi πνευματικῶς, i. e. per spiritum s. ea ratione, quam ipse spiritus monstraverit; ergo homo ψυχικός, μὴ ἔχων τὸ πνεῦμα, probare illas res non potest, quum eas non intelligat, quoniam aestumantur πνευματικῶς. Nam verbo ἀνακρίνειν hanc significationem inesse, ut denotet diligenter examinare, aestumare, quum aliorum scriptorum loca demonstrant, tum loca N. T., atque in ipsa *epistola ad Corinth. Cap. IV*, 3. 4. Neque opus est, ut moneamus lectores, de industria Apostolum hoc verbo usum esse, quoniam antea usus fuerat verbo συγκρίνειν. Itaque ὁ ψυχικός quidem non potest recte aestumare τὰ τοῦ πνεύματος τοῦ θεοῦ, sed ὁ πνευματικός, qui habet spiritum illum divinum, *recte aestumare omnia potest*, καὶ τὰ βάθη θεοῦ, *ipse autem a nemine*, qui caret illo spiritu, *aestumari recte potest*. Quare Apostolus hominum de se iudicia curare non solebat, sed ὁ ἀνακρίνων με, inquit, (IV, 4.) Κύριός ἐστιν. *Quis enim*, pergit Apostolus, *cognovit mentem domini, qui* (ut) *eum erudiat? Nos autem tenemus mentem Christi.* In prioribus huius versus verbis fraudem fecisse interpretibus videtur locus Rom. XI, 34. τίς γὰρ ἔγνω νοῦν κυρίου; ἢ τίς σύμβουλος αὐτοῦ ἐγένετο; Itaque

verba: ὃς συμβιβάσει αὐτόν, sic explicuerunt, quasi αὐτός referatur ad κύριον. Sed particula γάρ docet, his verbis indicari causam, cur ὁ πνευματικὸς ὑπ' οὐδενὸς ἀνακρίνεται. Cui rationi non conveniebat dicere, neminem erudire posse dominum. Itaque αὐτόν referendum esse videtur potius ad τὸν πνευματικόν. Scilicet, τὸν νοῦν κυρίου οὐδεὶς δύναται γνῶναι, nisi ὁ πνευματικός, ergo nemo, qui adhuc est ψυχικός, potest συμβιβάζειν τὸν πνευματικόν. Nos autem (possumus, nam) *tenemus* mentem Christi. Non dubito enim quin ἔχειν νοῦν τ. χρ. h. l. putem denotare (non, ut vulgo interpretantur, imbuti sumus mente Chr. ut idem sentiamus, sed) tenere, i. e. cognitam et perspectam habere mentem Christi. Saepissime Graeci (ut Latini *tenere*) dicunt ἔχειν de iis, quae mente comprehensa tenemus. Notae sunt formulae: ἔχε δή· accipe, et, πάντ' ἔχεις, habes rem omnem. Aeschyl. Agam. v. 591. πάντ' ἔχεις λόγον. Euripid. Hippol. v. 1436. ἔχεις γὰρ μοῖραν ᾗ διεφθάρης. Orest. v. 747. τοῦτο πάντ' ἔχω μαθών. Qui tenet mentem Christi perspectamque habet, is etiam cognoscere et recte aestumare potest, τὸν νοῦν κυρίου, quem divinus magister, ὁ μονογενὴς υἱός, ὁ ὢν εἰς τὸν κόλπον τοῦ πατρός, planissime exposuit. Sed iam tunc accidit, ut Christiani, divino isto interprete neglecto, hominum auctoritatem sequerentur, de quo Apostolus in sequenti capite conquestus est, unde ad nostra usque tempora ζῆλος, ἔρις καὶ διχοστασίαι ortae sunt non tantum in populo, sed etiam inter eos, quos oportebat esse ὑπηρέτας χριστοῦ καὶ οἰκονόμους μυστηρίων θεοῦ.

Quae quum ita sint, curate, Cives optimi, maxime hoc, ut, spretis rebus humanis, incertis et mox perituris, res divinas et immortales in dies rectius intelligatis, humanamque sapientiam nunquam anteponatis sapientiae divinae. Quod ut fiat, ipsius Apostoli

verbis vos cohortamur: τὸ πνεῦμα μὴ σβέννυτε, imo totam vitam vestram ita instituite, ut alatur in vobis spiritus ille, quem si habueritis, et res humanas recte aestumabitis et ad res divinas omnia studia vestra constanter componetis. Vehementer igitur optamus, ut hunc saluberrimum fructum ex his quoque festis diebus, qui proxime instant, percipiatis; ideoque non tantum officii, sed etiam pietatis caussa indicimus vobis sacra academica, quae more consueto ipsa Pentecoste celebrabuntur.

P. P. Dom. Exaudi a. Dom. cIↃIↃCCCXIV.
in Vniv. Lips.

DE FIDE,

QUAM REBUS CHRISTI FACIT IPSE SPIRITUS DIVINUS AD 1. EP. IOH. CAP. V, v. 6. sq.

Inter argumenta, quibus divinae origini doctrinae christianae fidem faciendam esse docent Theologi, satis constat etiam illud proferri, quod, quoniam a sensu interno potius, quam a rebus externis duci videtur, internum dicere consueverunt. Et antiquissimis quidem ecclesiae christianae temporibus magna huius argumenti auctoritas erat, postea vero, quam prisca fidei simplicitas non amplius sufficere videbatur, a plerisque neglectum est, et in libris apologeticis, quos dicunt, multos quidem de rebus illis externis sermones fecerunt, sed huius argumenti rationem satis habuerunt brevissime exposuisse. Quod non propterea quidem vituperandum est, quasi verborum et demonstrationum subtilitate constet fides rerum christianarum; (nam quemadmodum nullis argumentis humanae sapientiae effici potest, ut esse deum vere credamus, ita etiam vera fides christiana non constat *ἐν σοφίᾳ ἀνθρώπων*,) sed quum illud argumentum tale sit, ex quo vera fides unice pendere videatur, certe non debet negligi nostris temporibus, quibus non solum res illae externae fere omnes, inprimis miracula et vati-

cinia, incertissimae videntur plurimis, sed etiam ipsa fidei veritas impugnari solet, eoque res devenit, ut qui revelationi alicui divinae fidem haberi posse credunt, hi ab omni recta ratione abhorrere videantur. Quamobrem operae pretium fuerit, Cives carissimi, de hoc argumento diligentius meditari his diebus proximis potissimum, qui celebrantur in memoriam τῆς δυνάμεως θεοῦ, qua constat vera fides christiana. Verissime enim Paulus Apostolus gloriatus est, se Corinthios non ambitiosis humanae sapientiae argumentis docuisse, sed ἀποδείξει πνεύματος καὶ δυνάμεως. Itaque quod nuper facturos nos esse diximus, *de fide ea, quam rebus Christi facit ipse spiritus divinus*, breviter disputabimus.

Ac primum quidem quid sit obiectum fidei, paucis explicandum est. Sunt enim multi, iique satis docti et subtiles, qui rerum, a Christo vel olim in his terris gestarum, vel nunc quoque et in posterum peragendarum, magnitudinem ita minuant, ut a rebus per homines gestis minime differant, ideoque fidem rebus Christi habere nihil aliud esse putent, quam credere, vixisse olim inter Iudaeos hominem quendam, prudentem, probum, eumque, non ignarum malorum humanorum, et gentis suae maxime, religionem Mosaicam, multis modis corruptam, emendare naturalemque numen divinum recte colendi rationem, foedissima superstitione obscuratam, instaurare studuisse et saluberrima quaedam praecepta morum dedisse, denique quum eo res devenisset, ut aut invidiae popularium succumbere, aut doctrinam suam turpis inconstantiae exemplo deserere debuerit, supplicium passum esse, idque factum esse non sine providentia dei, cuius nutu omnia aeternis naturae legibus regantur. Sed si nihil amplius esset in rebus Christi, valde verendum esset, ne universa de fide disputatio superflua videri deberet. Nam illa omnia, quae de

tum de iis potissimum, quae per Christum contingere possunt hominibus. Nam illa quidem naturae bona cognoscere nemo potest, nisi mentem a sensibus revocaverit et cogitationem abduxerit a consuetudine vitae; sed beneficia haec, quibus ipsius animae immortalis salus constat, quo tandem pacto cognoscat aliquis, rebus humanis *τοῦ κόσμου τούτου* deditus? Imo, ut animum nostrum, supra res humanas, i. e. mortales et caducas, elatum, ad immortalia bona evocemus, vi quadam ac virtute opus est, qua qui caruerit, is, qualia et quanta sint, quae per Christum largitus est hominibus deus, prorsus ignorat. Nam beneficia haec dei nosse, non est auditione accepisse, sed tenere animo et compertum habere, quae quantaque sint et quam necessaria atque salutaria generi humano. Apostoli ipsi olim, dum Christus inter eos viveret, carebant illo spiritu, et beneficia illa ignorabant; sed postquam reliquerat eos dominus, *εἰς μαρτύριον τῶν μυστηρίων θεοῦ* contigit illis *spiritus* ille, *quem non capit mundus, quoniam neque cognoscere neque intelligere eum potest.* (*Ioh. XIV*, 17.). Est autem spiritus ille elatus supra res mortales, neque contingere cuiquam potest, nisi qui ab huius vitae spe metuque animum prorsus liberaverit, ideoque ne Apostolis quidem prius contigit, quam, *Χριστοῦ πορευθέντος εἰς οὐρανόν*, vanam, quam hucusque aluissent, spem omnem amiserant; quod ipse Dominus dixit, ob instantem discessum suum eos consolaturus. (*Ioh. XVI*, 7.). Neque erraverit is, qui veram virtutem hominis in eo sitam esse existimaverit, quod, spretis rebus mortalibus, omni vi ad immortalia animum unice intendere possit. Hoc certe non obscure intelligere nobis videmur, cuius vita virtute illa destituatur, eum etiam vera religione carere, neque veram fidem inesse cuiquam posse, nisi totum animum a sensibus et lubidine huius mundi revocatum ad immortalia bona unice quaerenda, optanda et speranda traduxerit. *Ἔστι γὰρ πίστις πραγμάτων ἔλεγχος μὴ βλε-*

νομένων. (*Hebr. XI*, 1.). Verissime igitur Paullus dixit, se nosse beneficia dei, quoniam acceperit spiritum dei.

Sed non sibi solis sapere Apostolos decebat, imo beneficia illa divina nota facere eos oportebat omnibus; erant enim *ὑπηρέται καὶ οἰκονόμοι τῶν μυστηρίων θεοῦ*. Tradebant autem *τὴν σοφίαν θεοῦ ἐν μυστηρίῳ*, *non argumentis ab humana sapientia, sed per ipsum spiritum sanctum suppeditatis.* (v. 13.) Sunt enim *λόγοι* hoc loco argumenta, quibus veri falsique ratio modusque constat, ut *Act. II*, 40. et *Eph. V*, 6. et in ipso hoc capite v. 4. Saepius sic etiam apud alios scriptores graecos *λόγοι* dicuntur, uti apud Xenoph. Cyrop. I, 6, 10. et VI, 4, 3. insunt enim sermonibus argumenta, quibus fidem aliis faciamus. Sunt autem illi *λόγοι οὐ διδακτοὶ ἀνθρωπίνης σοφίας*, i. e. non suppeditati aut traditi ab humana sapientia. Vulgo supplendum esse praecipiunt *ὑπό*, sed nulla est ellipsis, ubi integra est sententiae enunciandae expressa ratio. Est enim in ipsa forma nominis causa, cur addatur genitivus; nam quod doctum est, id necesse est doctum esse ab aliquo, ideoque nomen eius, qui docuit, adjungitur in genitivo; neque magis est de ellipsi praepositionis cogitandum, quam si dicitur *παῖς Φιλίππου* aut *μαθητὴς Σωκράτους*. Itaque *Joh. VI*, v. 45. *διδακτοὶ τοῦ θεοῦ* sunt, qui divinitus instituti sunt, non autem, qui de deo sunt edocti. Quamquam non ignoramus, genitivum addi nonnunquam sic, ut denotet rem, de qua quis edoctus est, ut *διδασκόμενοι πολέμοιο* apud Homerum, ubi tamen nullam ellipsin esse recte Schaeferus noster monuit. Sed in illo Iohanneo loco *διδακτοὺς τοῦ θεοῦ* esse, qui sunt a deo instituti, etiam sequentia demonstrant: *πᾶς ὁ ἀκούσας παρὰ τοῦ πατρὸς καὶ μαθὼν ἔρχεται πρός με.* Ita etiam in loco nostro *λόγοι διδακτοὶ ἀνθρ. σοφ.* sunt argumenta, quae ab humana sapientia suppeditantur; contra *λόγοι διδακτοὶ*

πνεύματος ἁγίου sunt, quae ab illo spiritu praebentur. Dicitur vero illud πνεῦμα, quod antea dictum fuerat πνεῦμα θεοῦ, hoc loco ἅγιον, sensu proprio, non est enim spiritus profanus, τοῦ κόσμου τούτου. Itaque Apostolus fatetur, se de beneficiis divinis edocere homines, ita ut non humanae sapientiae argumentis utatur, sed eiusmodi, quae ipse ille suppeditet spiritus sanctus, partim ut veram illarum rerum rationem intelligant, partim ut habeant fidem, ἀποδείξει πνεύματος καὶ δυνάμεως. Sed quoniam haec omnia non sunt commoda τῷ πνεύματι τοῦ κόσμου, imo repugnant vulgari sentiendi rationi, fieri non potest, ut cum fructu tradantur vimque suam exserant apud eos, qui spiritu illo divino destituti sunt, imo necesse est, ut sint πνευματικοί, i. e. spiritu illo imbuti, qui illarum rerum praestantiam et vim divinam intelligant sentiantque. Quod quum Apostoli probe intelligerent, in institutione doctrinae Christianae hac ratione utebantur, ut res divinas illas conferrent ad illos, qui imbuti erant spiritu divino. Hunc enim sensum inesse putamus verbis: πνευματικοῖς πνευματικὰ συγκρίνοντες. Nimirum συγκρίνειν proprie est res a caeteris separatas in unum locum congerere, componere, unde etiam nonnunquam significat comparare, ut apud *Polybium* (XIV, 8.) συνέκρινε καὶ διερεύνα τὰ λεγόμενα, i. e. sermones singulos inter ipsos comparabat et examinabat. Itaque πνευματικὰ συγκρίνειν πνευματικοῖς est conferre res illas ad homines imbutos spiritu; his enim erant πνευματικὰ, σοφία, reliquis μωρία aut σκάνδαλον. (conf. *Cap. I.* v. 23. *II*, 6.) Quamquam enim Apostoli illas res divinas tradebant non solum τοῖς πνευματικοῖς, sed etiam τοῖς ψυχικοῖς, tamen efficere non poterant, ut eae res recte intellectae probarentur, nisi a πνευματικοῖς. Scimus quidem, συγκρίνειν apud *Alexandrinos* aliquoties dici pro docere, explicare, inprimis de somniis, v. c. Genes. XL, 22. XLI, 12. uti κρίνειν ὀνείρους apud *Homerum* et κρίνειν τὸ σημαινόμενον τῶν ὀνειράτων apud *Io-*

sephum. (*Ant. Iud. II*, 2, 2.) Neque incommodus sensus prodire videtur, si συγκρίνειν h. l. significet *interpretari* seu *exponere*. Sed tamen amplius quid inesse illis verbis opinamur. Scilicet si hoc tantum voluisset Apostolus: tradimus τὰ πνευματικὰ tantum τοῖς πνευματικοῖς, in versu sequenti dicere debuisset ψυχικὸς γάρ ἄνθρωπος, ut appareret causa, cur τὰ πνευματικά tantum τοῖς πνευματικοῖς tradi possent. Scripsit autem ψυχικὸς δὲ ἄνθρωπος, ut intelligeretur, quae τοῖς πνευματικοῖς sint πνευματικά, ea secus videri τοῖς ψυχικοῖς. Denique dubitamus, an non scribendum fuisset cum articulo, τὰ πνευματικὰ τοῖς πνευματικοῖς συγκρίνοντες. Sed omisit Paullus recte articulum, ut intelligerent lectores, quae traderentur ἐν διδακτοῖς πνεύματος ἁγίου λόγοις, ea tantum πνευματικοῖς tradi tamquam πνευματικά, id est, ut vere ab iis, tamquam πνευματικά, cognoscerentur et probarentur, reliquis autem non esse πνευματικά. Eadem fere dixerat v. 6. σοφίαν λαλοῦμεν ἐν τοῖς τελείοις, i. e. quae tradimus, σοφία ἐστὶ τοῖς τελείοις. Itaque sensus illorum verborum hic esse videtur: *tradimus, quae πνευματικά sunt iudicio et sensu τῶν πνευματικῶν.* Quae interpretatio ad summam non multum discrepat ab illa notione conferendi et componendi res, quae inter se aliqua ratione conveniunt, quae est propria notio verbi συγκρίνειν. Neque vero possunt τὰ πνευματικὰ συγκρίνεσθαι nisi τοῖς πνευματικοῖς: nam qui carent spiritu illo, his minime conveniunt τὰ πνευματικά. Is enim demum rem quamcunque intelligere videtur, in cuius mente nulla est illius rei et sensus aut cogitationis dissensio. Quod quum de rebus omnibus, quae a sensibus remotae sunt, verissimum sit, tum de iis potissimum, quibus penitus perceptis vera religio constat. Non possunt enim τὰ πνευματικά intelligi ab his, qui carent τῷ πνεύματι, imo alio spiritu reguntur, qui illis rebus minime conveniat. Neque πίστις vera locum habet, nisi spiritus in homine eiusmodi sit, ut cum rebus illis, quibus fides

habenda est, plane consentiat. Quare veteres theologi verissime dixerunt, spiritum sanctum largiri fidem. Non veremur, ne in mysticismi suspicionem incurramus apud eos, qui verae religionis naturam non humanorum consiliorum rationibus accurate subductis, sed rerum divinarum, *τῶν ἀοράτων* et *αἰωνίων*, verissimo certissimoque sensu constare intelligunt. Quamquam sunt, quibus religio non differre videatur a prudenti quadam et solerti cogitatione rerum earum, quae superant captum humanum.

Sed homo ψυχικός illas res divinas probare nullo pacto potest; nam ineptae ei videntur, neque eas intelligere potest, examinari enim et aestumari possunt tantum πνευματικῶς. Quis dicatur h. l. *ψυχικός*, apertum est; opponitur enim versu sequenti *τῷ πνευματικῷ*. Sunt igitur *ψυχικοὶ*, *πνεῦμα μὴ ἔχοντες*, ut est in Ep. Iudae v. 19. quasi animali tantum vi praediti et agitati, quae non appetit neque intelligit, nisi *τὰ βλεπόμενα*, caduca et cum huius vitae voluptatibus proxime interitura. Differt autem *σαρκικός* et *ψυχικός*. Nam *σαρκικός* quidem recte dici potest is, qui prorsus deditus est *τῇ σαρκί*, regiturque sensuum et lubidinis imperio, *ὁ τῇ σαρκὶ δουλεύων*, ut ait Chrysostomus; *ψυχικὸς* autem est, in quo est tantum *ψυχή*, i. e. vis illa animalis, qua vivimus tamquam *ζῶα* et movemur. Huic opponitur *πνευματικός*, qui habet spiritum illum eoque regitur, ut non tantum huius vitae rationes intelligat, sed etiam ad res immortales ac divinas contendere vi immortali possit. Quare ὁ ψυχικὸς ἄνθρωπος non probat *τὰ τοῦ πνεύματος*· nam ἡ ψυχικὴ σοφία (*Iacob.* III, 15.) adversa est *τῇ σοφίᾳ θεοῦ*. Neque vero potest *τὰ τοῦ πνεύματος τοῦ θεοῦ* probare ὁ ψυχικός, *ὁ τὸ πᾶν τοῖς τῆς ψυχῆς λογισμοῖς διδοὺς, καὶ μὴ νομίζων δεῖσθαι τῆς ἄνωθεν βοηθείας, ἀλλὰ πάντα μωρίαν ἡγουμενος τὰ μὴ ἀπόδειξιν ἔχοντα*, ut ait *Theophylactus* ad h. l. Causa autem, cur pro-

bare illas res divinas ὁ ψυχικὸς non possit, imo ineptas eas habeat, (μωρίαν) in promtu est, et ab ipso Apostolo adiicitur: *non potest eas intelligere, nam examinari et aestumari possunt tantum πνευματικῶς.* Nam in verbo γνῶναι est amplius quid quam εἰδέναι: hoc est, nosse aliquam rem, illud autem, rei naturam et indolem perspectam cognitamque habere, rem vere intelligere. Quamquam scimus, εἰδέναι et γνῶναι nonnumquam ita usurpari, ut non differre invicem videantur. Sed ad rem vere intelligendam opus est, ut eam recte examinemus et aestumemus, unde fit, ut eam intelligere non possit, qui vi illam examinandi et aestumandi est destitutus. Res autem illae spirituales, mysteria divina, aestumari et examinari non possunt nisi πνευματικῶς, i. e. per spiritum s. ea ratione, quam ipse spiritus monstraverit; ergo homo ψυχικός, μὴ ἔχων τὸ πνεῦμα, probare illas res non potest, quum eas non intelligat, quoniam aestumantur πνέυματικῶς. Nam verbo ἀνακρίνειν hanc significationem inesse, ut denotet diligenter examinare, aestumare, quum aliorum scriptorum loca demonstrant, tum loca N. T., atque in ipsa *epistola ad Corinth. Cap. IV*, 3. 4. Neque opus est, ut moneamus lectores, de industria Apostolum hoc verbo usum esse, quoniam antea usus fuerat verbo συγκρίνειν. Itaque ὁ ψυχικός quidem non potest recte aestumare τὰ τοῦ πνεύματος τοῦ θεοῦ, sed ὁ πνευματικός, qui habet spiritum illum divinum, *recte aestumare omnia potest*, καὶ τὰ βάθη θεοῦ, *ipse autem a nemine*, qui caret illo spiritu, *aestumari recte potest.* Quare Apostolus hominum de se iudicia curare non solebat, sed ὁ ἀνακρίνων με, inquit, (IV, 4.) Κύριός ἐστιν. *Quis enim*, pergit Apostolus, *cognovit mentem domini, qui* (ut) *eum erudiat? Nos autem tenemus mentem Christi.* In prioribus huius versus verbis fraudem fecisse interpretibus videtur locus Rom. XI, 34. τίς γὰρ ἔγνω νοῦν κυρίου; ἢ τίς σύμβουλος αὐτοῦ ἐγένετο; Itaque

verba: ὃς συμβιβάσει αὐτόν, sic explicuerunt, quasi αὐτός referatur ad κύριον. Sed particula γάρ docet, his verbis indicari causam, cur ὁ πνευματικὸς ὑπ' οὐδενὸς ἀνακρίνεται. Cui rationi non conveniebat dicere, neminem erudire posse dominum. Itaque αὐτόν referendum esse videtur potius ad τὸν πνευματικόν. Scilicet, τὸν νοῦν κυρίου οὐδεὶς δύναται γνῶναι, nisi ὁ πνευματικός, ergo nemo, qui adhuc est ψυχικός, potest συμβιβάζειν τὸν πνευματικόν. Nos autem (possumus, nam) *tenemus* mentem Christi. Non dubito enim quin ἔχειν νοῦν τ. χρ. h. l. putem denotare (non, ut vulgo interpretantur, imbuti sumus mente Chr. ut idem sentiamus, sed) tenere, i. e. cognitam et perspectam habere mentem Christi. Saepissime Graeci (ut Latini *tenere*) dicunt ἔχειν de iis, quae mente comprehensa tenemus. Notae sunt formulae: ἔχε δή· accipe, et, πάντ' ἔχεις, habes rem omnem. Aeschyl. Agam. v. 591. πάντ' ἔχεις λόγον. Euripid. Hippol. v. 1436. ἔχεις γὰρ μοῖραν ᾗ διεφθάρης. Orest. v. 747. τοῦτο πάντ' ἔχω μαθών. Qui tenet mentem Christi perspectamque habet, is etiam cognoscere et recte aestumare potest, τὸν νοῦν κυρίου, quem divinus magister, ὁ μονογενὴς υἱός, ὁ ὢν εἰς τὸν κόλπον τοῦ πατρός, planissime exposuit. Sed iam tunc accidit, ut Christiani, divino isto interprete neglecto, hominum auctoritatem sequerentur, de quo Apostolus in sequenti capite conquestus est, unde ad nostra usque tempora ζῆλος, ἔρις καὶ διχοστασίαι ortae sunt non tantum in populo, sed etiam inter eos, quos oportebat esse ὑπηρέτας χριστοῦ καὶ οἰκονόμους μυστηρίων θεοῦ.

Quae quum ita sint, curate, Cives optimi, maxime hoc, ut, spretis rebus humanis, incertis et mox perituris, res divinas et immortales in dies rectius intelligatis, humanamque sapientiam nunquam anteponatis sapientiae divinae. Quod ut fiat, ipsius Apostoli

verbis vos cohortamur: τὸ πνεῦμα μὴ σβέννυτε, imo totam vitam vestram ita instituite, ut alatur in vobis spiritus ille, quem si habueritis, et res humanas recte aestumabitis et ad res divinas omnia studia vestra constanter componetis. Vehementer igitur optamus, ut hunc saluberrimum fructum ex his quoque festis diebus, qui proxime instant, percipiatis; ideoque non tantum officii, sed etiam pietatis caussa indicimus vobis sacra academica, quae more consueto ipsa Pentecoste celebrabuntur.

P. P. Dom. Exaudi a. Dom. cIↃIↃCCCXIV.
in Vniv. Lips.

DE FIDE,

QUAM REBUS CHRISTI FACIT IPSE SPIRITUS DIVINUS AD 1. EP. IOH. CAP. V, v. 6. sq.

Inter argumenta, quibus divinae origini doctrinae christianae fidem faciendam esse docent Theologi, satis constat etiam illud proferri, quod, quoniam a sensu interno potius, quam a rebus externis duci videtur, internum dicere consueverunt. Et antiquissimis quidem ecclesiae christianae temporibus magna huius argumenti auctoritas erat, postea vero, quam prisca fidei simplicitas non amplius sufficere videbatur, a plerisque neglectum est, et in libris apologeticis, quos dicunt, multos quidem de rebus illis externis sermones fecerunt, sed huius argumenti rationem satis habuerunt brevissime exposuisse. Quod non propterea quidem vituperandum est, quasi verborum et demonstrationum subtilitate constet fides rerum christianarum; (nam quemadmodum nullis argumentis humanae sapientiae effici potest, ut esse deum vere credamus, ita etiam vera fides christiana non constat *ἐν σοφίᾳ ἀνθρώπων*,) sed quum illud argumentum tale sit, ex quo vera fides unice pendere videatur, certe non debet negligi nostris temporibus, quibus non solum res illae externae fere omnes, inprimis miracula et vati-

cinia, incertissimae videntur plurimis, sed etiam ipsa fidei veritas impugnari solet, eoque res devenit, ut qui revelationi alicui divinae fidem haberi posse credunt, hi ab omni recta ratione abhorrere videantur. Quamobrem operae pretium fuerit, Cives carissimi, de hoc argumento diligentius meditari his diebus proximis potissimum, qui celebrantur in memoriam τῆς δυνάμεως θεοῦ, qua constat vera fides christiana. Verissime enim Paulus Apostolus gloriatus est, se Corinthios non ambitiosis humanae sapientiae argumentis docuisse, sed ἀποδείξει πνεύματος καὶ δυνάμεως. Itaque quod nuper facturos nos esse diximus, *de fide ea, quam rebus Christi facit ipse spiritus divinus*, breviter disputabimus.

Ac primum quidem quid sit obiectum fidei, paucis explicandum est. Sunt enim multi, iique satis docti et subtiles, qui rerum, a Christo vel olim in his terris gestarum, vel nunc quoque et in posterum peragendarum, magnitudinem ita minuant, ut a rebus per homines gestis minime differant, ideoque fidem rebus Christi habere nihil aliud esse putent, quam credere, vixisse olim inter Iudaeos hominem quendam, prudentem, probum, eumque, non ignarum malorum humanorum, et gentis suae maxime, religionem Mosaicam, multis modis corruptam, emendare naturalemque numen divinum recte colendi rationem, foedissima superstitione obscuratam, instaurare studuisse et saluberrima quaedam praecepta morum dedisse, denique quum eo res devenisset, ut aut invidiae popularium succumbere, aut doctrinam suam turpis inconstantiae exemplo deserere debuerit, supplicium passum esse, idque factum esse non sine providentia dei, cuius nutu omnia aeternis naturae legibus regantur. Sed si nihil amplius esset in rebus Christi, valde verendum esset, ne universa de fide disputatio superflua videri deberet. Nam illa omnia, quae de

Christo concedunt, eiusmodi sunt, ut non fidem, quae proprie sic dicitur, desiderent, sed tantum historiae et linguarum quandam scientiam postulent. Sunt enim in manibus libri, in quibus illa de Christo narrata sunt, et quaerendae sunt rationes, quibus ea ita gesta esse credamus; sed praecepta vera esse mentis nostrae iudicio optime cognoscitur. Ἔστι δὲ πίστις ἐλπιζομένων ὑπόστασις, πραγμάτων ἔλεγχος οὐ βλεπομένων, non autem ὑπόστασις rerum, quas capit et intelligit ratio humana. Nam quae videmus, et cernimus oculis, et veluti mente nostra comprehendimus, ea non opus est, ut fide amplectamur, sed vera esse intelligimus; veluti praeceptum quoddam verum et salutare esse, non credimus, sed scimus; neque dixit unquam aliquis, se credere, virtutem esse colendam, imo scit, rationis legibus esse obtemperandum. Sed nemo etiam dixit, se scire, animum esse immortalem, imo credit tantum et fidem habet rei, quam neque videre, neque intelligere potest. Quare etiam in Epistola *ad Hebraeos*, *Cap. XI.* v. 13. clarissimum hoc fidei exemplum laudatur in hominibus, qui decesserint ex hac vita non compotes facti quidem promissorum, sed veluti e longinquo ea prospicientes fide amplexi fuerint. Est enim haec natura πίστεως, ut quae neque videmus, neque qua ratione fiant aut fieri possint perspicimus, ea tamen aut facta aut futura esse credamus; neque hactenus differt fides christiana a fide quacunque, sed eandem rationem habet, quamquam habet alias causas in ipso animo τοῦ πιστεύοντος, ut postea dicetur. Denique πίστις illa, quae toties celebratur in libris N. T., nulla est sine fiducia, seu certa animi persuasione et πληροφορίᾳ, quae efficiat, ut rebus, quas credimus, etiam convenienter agamus. Sed redeamus ad propositum. Haec enim breviter de natura πίστεως diximus, ne obscurum esset postea, de quo genere fidei loqueremur.

Huius igitur fidei obiectum (ut in scholis dicunt) esse putamus ipsam salutem generis humani, per Iesum, filium dei, a patre missum, atque reversum ad patrem, instauratam, vindicatam et ad finem usque rerum humanarum tuendam. Talem enim se ipse Dominus habuit et ab hominibus haberi voluit, talem Apostoli celebrarunt, talem vero etiam demonstravit historia ecclesiae christianae. Neque nunc quidem opus est ostendere, ipsum Dominum salutis humanae auctorem et vindicem divinitus datum hominibus sese habuisse et haberi voluisse, exstant enim testimonia clarissima in Evangeliis; et satis constat, primos praecones Evangelii de omnium gentium salute cogitasse, easque, *μὴ λαβόντας τὰς ἐπαγγελίας, ἀλλὰ πόῤῥωθεν αὐτὰς ἰδόντας, καὶ πεισθέντας*, *τὸν λόγον τῆς ζωῆς* docuisse. Quicunque igitur fidem habent rebus Christi, hi credunt, ut breviter Iohannes dixit, Iesum esse filium dei, ut credentes per ipsum accipiant salutem. (XX. 31.) Credunt enim salutem generis humani et suam quoque, per omne aevum pendere ex rebus a Christo, filio dei et olim peractis et in posterum peragendis, eaque fides est conditio salutis per Christum vere consequendae, quoniam haec sola fides nos idoneos reddit ad beneficia divina, immunitatem a miseria peccati, huiusque et futurae vitae veram felicitatem capessendam. Itaque quum loquimur de fide ea, quam rebus Christi faciat spiritus divinus, nullam aliam intelligimus, quam qua verum esse credimus et confidimus, salutis nostrae auctorem et vindicem esse Iesum filium dei.

Sed quum dicimus, ipsum spiritum divinum rebus Christi fidem facere, i. e. certum nobis reddere, Iesum Christum salutis humanae auctorem et vindicem esse, sponte intelligitur, sermonem non esse de persona Spiritus sancti, quae veluti peculiare hoc et proprium opus habeat, ut in hominibus fidem illam

efficiat. Vocatur quidem illud argumentum internum a Theologis testimonium Spiritus sancti, ob locum quendam Iohannis, de quo postea dicemus, neque ignoramus, veteres theologos largitionem fidei proprie ad personam Spiritus sancti retulisse. Sed haec non fuit sententia theologorum ecclesiae nostrae principum, Lutheri et Melanchthonis, ut luculentissime cognoscitur ex illis locis Apologiae, quorum sensum quoniam non recte intelligebant theologi sec. XVII. parum abfuit, quin ecclesiae nostrae sententiam verius, quam ipse Melanchthon, percepisse sibi viderentur. Nam quum in quibusdam locis Melanchthon dixerit, spiritum sanctum largiri fidem, in aliis autem, per fidem donari spiritum sanctum, manifestum est, eum non cogitasse de persona Spiritus sancti, quasi haec fidem efficiat, alioqui sensu careret, quod dixit, fidem donare Spiritum; imo addit fere semper, fidem creare novos s. spirituales motus in animo, ut deum super omnia diligere eique veram obedientiam praestare possimus. Et exstat similis locus in ipsa Augustana confessione. Verum de his quidem alio loco satis dictum est. Hoc autem perspicuum est, quum spiritus sanctus fidem largiri dicatur, et vicissim fides spiritum sanctum, de efficacia quadam divina cogitandum esse, quae cum fide ita sit coniuncta, ut partim sit causa fidei primaria, partim per fidem ipsam nova indies incrementa capiat in animis humanis. Est igitur fides ipsa divino beneficio data, sed postquam ea imbutus est animus, crescit spiritualis vita, et debet crescere in iis, in quibus est vera fides. Neque vero ad pietatem facit quidquam curiosius quaerere de eiusmodi rebus, quarum internam rationem nemo intelligit, imo satius est, veterum theologorum simplicitatem imitari, quam acutis formulis et distinctionibus ipsius fidei naturam obscurare, de quo possemus iure conqueri, si res manifesta longa disputatione indigeret.

At dicat aliquis, nisi constet, quis sit ille spiritus divinus, intelligi non posse, quid sit, quod dicamus, eum facere fidem rebus Christi. Imo vero satis manifestum est, modo a quaestionibus spinosis ad res eas, quas ipse usus certas facit, animum convertamus. Et docet hoc ipse locus Iohannis in *Epist. prima cap. V. v.* 6. 9. *et sq.*, de quo paulo accuratius exponere liceat, quoniam toti de testimonio Spir. S. disputationi occasionem praebuit. Iohannes enim postquam v. quarto et quinto laudaverat virtutem πίστεως, scilicet ὅτι Ἰησοῦς ἐστιν ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ, versu sexto dicit, filium dei, sumta persona Iesu Christi, *venisse*, i. e. *stitisse se* mundo, *per aquam et sanguinem*: nam quum Dominus baptizaretur, qualis quantusque esset, manifestum factum est, ut ipse baptista agnovit, (*Evang. Ioh. I.*, 33. 34.) et multo magis per mortem, quam sequuta est resurrectio, per quam conspicua facta est maiestas filii dei, quare v. 7. et 8. dicit τὸ ὕδωρ et τὸ αἷμα testari hoc ipsum, Iesum fuisse filium dei. Verbo autem ἐλθών inesse significationem, quam diximus, quod Iesus Christus tamquam filius dei *agnoscatur* per aquam et sanguinem, dubitari non potest; dicit enim, filium venisse δι᾽ ὕδατος καὶ αἵματος, quod nihil est aliud, quam eum venisse sic, ut aqua et sanguis essent medium cuius ope venerit; sed non venit in mundum ope aquae et sanguinis, imo vero declaratus et manifestus factus est in mundo filius dei per aquam et sanguinem, ut modo dictum est. Neque differt, quod Iohannes statim post dixit ἐν ὕδατι καὶ αἵματι; nam idem indicat, sed cogitatur tantum eadem res diverso modo. Et in illa quidem formula cogitatur causa ipsa, per quam effectum est, ut venerit, in hac autem cogitatur accidens, quod coniunctum fuit cum adventu sic, ut simul utrumque fieret et conspiceretur. Sed tollit omnem dubitationem, quod ipse Iohannes pro formula, filium dei *venisse per aquam et sanguinem*, deinde posuit aliam, aquam et sangui-

nem *testari*, quod testimonium non est alius rei, quam ὅτι Ἰησοῦς ὁ Χριστός ἐστιν ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ. Ergo Iohannes exponit rationem, qua fides illa, de qua modo dixerat, efficiatur. Sed addit statim haec: καὶ τὸ πνεῦμά ἐστι τὸ μαρτυροῦν, ὅτι τὸ πνεῦμά ἐστιν ἡ ἀλήθεια. Quorum verborum prior pars nullam habet difficultatem, si modo constet, quid h. l. sit τὸ πνεῦμα, quod e sequentibus apparet; sed de posteriori parte non satis constare sibi videntur, qui πνεῦμα diversa significatione accipiunt, quasi verbis, ὅτι τὸ πνεῦμά ἐστιν ἡ ἀλήθεια, indicetur, quid testetur spiritus. Quin verbis illis indicatur causa, cur spiritus quoque testetur, quoniam hic spiritus sit verissimus et certissimus, cuius testimonio certissime intelligatur, Iesum esse filium dei. Incipit igitur Iohannes sermonem facere de alio testimonio, quod cum aqua et sanguine eandem rem testetur (οἱ τρεῖς εἰς τὸ ἕν εἰσιν). Atque hoc spiritus testimonium dicit v. 9. non humanum esse, sed divinum, quippe quod deus ipse illud tulerit de filio suo. Quamquam enim hoc etiam de aquae et sanguinis testimonio dici potest, tamen, de spiritus testimonio potissimum cogitandum esse, proxime sequentia docent. Ostendit enim nunc, quale sit hoc testimonium et quomodo locum habeat. Et primum quidem monstrat, ubi sit, et a quo oriatur, (v. 10.) deinde, qua re efficiatur (v. 11. sq.). Non est autem hoc testimonium extra hominem quaerendum, quasi re externa quadam constet, veluti ἡ τοῦ ὕδατος καὶ τοῦ αἵματος μαρτυρία, sed est in homine ipso, id est, in animo hominis; *nam quicunque fidem habet filio dei, is in se ipso habet illud testimonium.* Sed hoc loco difficultas quaedam oritur. Dicit enim de testimonio quodam quo fides fiat, Iesum esse filium dei, sed hoc testimonium esse in iis, qui id ipsum iam credant; quod si iis iam certum est, non opus habere illo testimonio videntur. Enimvero differunt haec duo, certe hoc loco: πιστεύειν εἰς τὸν υἱὸν τοῦ θεοῦ, et

πιστεύειν ὅτι Ἰησοῦς ἐστιν ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ. Illud nihil aliud est, quam filio dei, qui fuit Iesus Christus, fidem habere, i. e. Evangelium Christi accipere et doctrinae coelesti de salute humana morem gerere, πιστεύειν εἰς Χριστὸν, πιστεύειν εἰς τὸ εὐαγγέλιον: hoc autem significat, credere, Iesum esse filium dei. Est enim diligentius, quam vulgo fit, observandum discrimen formularum in N. T., in quibus ἡ πίστις celebratur, quae quo similiores sibi sunt, tanto magis cavendum est, ne diversus, qui in singulis inest, modus cogitandi negligatur. Differunt autem haec: πιστεύειν τινί, πιστεύειν εἰς τι, ab his: πιστεύειν τι, πιστεύειν εἶναι τι, πιστεύειν ὅτι ἔστι τι. Illa denotant, fidem habere alicui rei, de qua an sit non dubitatur, neque quaeritur, haec autem significant, credere id ipsum, rem vere esse. Sic τὰ δαιμόνια apud *Iacobum* Cap. II. v. 19. πιστεύουσιν ὅτι ὁ θεὸς εἷς ἐστι, sed non πιστεύουσιν εἰς θεόν· nam πιστεύουσι καὶ φρίσσουσι. Itaque hoc loco bene iunguntur haec duo, qui fidem habeat filio dei, eum habere in se testimonium, quod Iesus Christus sit vere filius dei; nam qui Evangelium Christi susceperit eique morem gesserit, is etiam verissime intelliget, Iesum esse filium dei, quod quomodo fiat statim post exponitur. Hoc est igitur testimonium, quod deus ipse de filio suo tulit, quod, qui fidem habet filio, in animo suo habet. Habet autem a deo ipso, ergo *qui non credit huic testimonio, is ipsi deo, tamquam incerto testi, fidem non habet*, ideoque ψεύστην πεποίηκε τὸν θεόν. Non temere enim positum est πεποίηκε, quod erraret, qui pro ποιεῖ esse putaret, quoniam antecedit praesens πιστεύων. Nam qui fidem negat testimonio dei, eum oportet antea dubitare de ipsa fide dei, ergo necesse est ut antea fecerit ψεύστην τὸν θεόν· hoc antecedit, illud sequitur; recte igitur praeteritum perfectum positum est. Et aptissime etiam illud dicitur, ψεύστην ποιεῖν τὸν θεόν, quod est omnino aliud quam ἔχειν seu νομίζειν ψεύστην. Quid

enim? non putat ille tantum, deum non fidem mereri, sed facit etiam, ut irrita sit voluntas dei, scilicet largiendi ipsi ζωὴν αἰώνιον. Sed inest his verbis propria illa dicendi ratio, quae inversione constat cogitationum, quarum una rei antecedentis, altera consequentis notionem habet. Nam quoniam plerumque fit, ut, quod rem quandam antecedat, id eius rei, quae sequitur, causa aut sit aut certe videatur, non magnopere curare solemus, utrum antecedens an consequens proxime coniungamus cum cogitatione eius rei, ad quam utrumque referendum est, immo priori loco ponimus, quod similem quandam notionem refert, ut hoc loco, in quo manifestum est, non expressam esse cogitationem rei ipsius, quae opposita est illi, quae desideratur in homine, qui non fidem habet filio dei, sed eius loco positam esse notitiam rei, in qua inest causa, cur in eiusmodi homine illa res desideretur; non habet enim testimonium illud in se, quoniam non fidem habet deo; nam si fidem deo haberet etiam testimonium illud haberet; atqui ψεύστην πεποίηκε τὸν θεόν, ergo neque πιστεύει εἰς τὸν υἱόν, neque εἰς τὴν μαρτυρίαν. Non veremur, ne quis haec argutius quam verius a nobis dicta putet, quoniam Iohannes formula πιστεύειν τῷ θεῷ idem exprimere voluerit, quod cogitaverit in antecedentibus, πιστεύειν εἰς τὸν υἱὸν τοῦ θεοῦ. Nam verum est quidem, utrumque cum altero coniunctum esse; non potest enim filio dei fidem habere, quin idem etiam deo habeat fidem: sed πιστεύειν τῷ θεῷ h. l. est idem, quod credere testimonio patris, seu certum esse de salute sua et vita aeterna, quam habemus divinitus. Nam *hoc est*, pergit Iohannes v. 11. *testimonium illud, quod deus felicitate aeterna nos donavit, atque haec felicitas contingit per filium.* Nulla est in verbis obscuritas: nam sexcenties in libris N. T. dicitur, deum ζωὴν αἰώνιον nobis largiri per filium suum, et inprimis ipse Dominus hanc adventus sui in hanc terram et

vero etiam reditus sui ad patrem causam esse dixit, ut πᾶσι τοῖς πιστεύουσι contingeret ἡ ζωὴ αἰώνιος. Neque ambigua est haec ipsa formula. Quemadmodum enim in hac vita mortali summum plerumque bonum terrenum ponitur, in morte summum malorum, ita etiam vitae notio quamcunque felicitatem, mors extremam miseriam denotat. Quare ipse Dominus apud Iohannem (Cap. V. v. 24.) dixit, qui fidem habuisset patri, eum iam a morte ad vitam transiisse et habere ζωὴν αἰώνιον. Est igitur ζωὴ αἰώνιος, vera naturae nostrae felicitas, quae non caducis bonis et perfidis voluptatibus, sed animi immortalis virtute constat, ideoque nunquam perit, ne in hac quidem vita, sed perpetue perdurat et in omne aevum nova incrementa capiet. Non vocatur enim αἰώνιος, quod ἐν τῷ μέλλοντι αἰῶνι potissimum contingit: verissime enim Dominus dixit, homines fidem ipsi habentes, μεταβεβηκέναι ἐκ τοῦ θανάτου εἰς τὴν ζωὴν, καὶ ἔχειν ζωὴν αἰώνιον, sed quoniam aeterna est, neque unquam finem est habitura. Quod quum multis aliis locis doceri possit, tum clarissime demonstrat celeberrima illa disputatio, quam Dominus habuit Capernaumi apud Ioh. Cap. VI. Ibi enim non tantum ἄρτον τῆς ζωῆς se dicit saepius, quippe quod verae felicitatis causam et veluti vitae spiritualis nutrimenta praebeat, sed etiam ζωὴν αἰώνιον habere dicit eum, qui ipsi fidem habeat, quippe quod ipse sit panis vitae, de quo qui comederit nunquam moriatur. (v. 47. sq.) Opponit igitur ζωὴν mortalem, quae per aliquod tempus ope mannae servata fuerat in deserto, vitae aeternae, id est aeternae saluti; nam non de immortalitate, quam dicunt, Dominum cogitasse, luculenter docet v. 63. si quidem τὰ ῥήματα αὐτοῦ non immortalitate donant homines, sed beant aeterna felicitate. Postremo quoniam omnia vera mala ex peccato oriuntur et perversitate humana, sequitur, veram salutem immunitate a peccatis constare, neque ζωὴν αἰώνιον consequi posse aliquem, nisi

liberatus fuerit a miseria peccati. Et constans est doctrina Evangelii, verae salutis humanae principium et causam quaerendam esse in liberatione a miseria, quae ex peccato nascitur; ideoque Dominus mortuus est, ut haec liberatio contingeret πᾶσι τοῖς πιστεύουσι. Sed haec quidem, quamvis gravissima sint, tamen non est huius loci uberius exponere. Intelligitur enim, quid sit, quod Iohannes dicat, testimonium illud in eo constare, quod aeterna salute deus nos donaverit, atque haec salus contingat per filium. Insunt huic sententiae haec: nos divinitus habere ζωὴν αἰώνιον, et quoniam cognoscamus nos eam per filium habere, oriri in nobis certam persuasionem de filio dei. Et illud quidem in promptu est, τὴν ζωὴν αἰώνιον, quam, qui fidem habet Christo, certissime se habere intelligit, divinitus datam et pro beneficio Christi habendam esse. Sed quomodo inde oriatur certa de Iesu Christo filio dei persuasio dubitari possit, et dubitatum est quoque ab iis, qui in eo acquiescendum putarunt, quod, quoniam saluberrima sint praecepta Christi et ad summum naturae nostrae immortalis bonum recta ratione quaerendum constanter impellant, Iesum ipsum non sine numine divino in his terris versatum fuisse intelligamus. Neque vero negamus, non necesse esse, ut in hac quidem causa de natura divina filii dei quaeratur, immo satis esse, ut in simplici scripturae sacrae doctrina de maiestate Christi, filii dei, perseveremus. Constat enim, φῶς illud ἀπρόσιτον esse, ideoque nostrum potius esse, ut ex beneficiis plane divinis, quibus Dominus beavit genus humanum, τὴν δόξαν τοῦ μονογενοῦς παρὰ πατρός cognoscamus, illorumque beneficiorum recto usu fidem nostram confirmemus. Atque hoc est potissimum, quod Iohannes innuit. Pergit enim: *qui filium habet, is etiam vitam habet; sed qui filium dei non habet, is nec vitam habet.* Est autem ἔχειν τὸν υἱόν non tantum cognoscere et colere filium, (uti ζωὴν ἔχειν non est,

appetere, quaerere vitam s. salutem aeternam, immo ea gaudere,) sed est, filii doctrina et beneficiis imbutum toto animo recepisse filium, *εἶναι ἐν Χριστῷ, εἶναι τοῦ Χριστοῦ*, ut saepius dicitur in libris N. T., filium tamquam auctorem et vindicem salutis unice sequi, eumque veluti ducem et lumen huius et futurae vitae habere. Itaque qui habet filium, is etiam veram felicitatem habet, et se habere intelligit; neque enim potest dubitare, quin summo naturae suae bono potiturus sit, qui hoc, quo dictum est, modo, filium habuerit. Et docet omnium fere populorum historia, homines, quamvis *γνώντας τὸν θεὸν καὶ τὸ δικαίωμα αὐτοῦ* (*Rom.* I. v. 21. 23.) tamen non intellexisse veram rationem potiundi summo bono, sed multis vanisque modis quaesivisse salutem, quemadmodum ipsi Iudaei, *ἔχοντες τὴν ἐπαγγελίαν, εἰς νόμον δικαιοσύνης οὐκ ἔφθασαν.* (*Rom.* IX, 4. 31.) Sed qui vera felicitate se potitum intelligit, is etiam filium agnoscit: intelligit enim haec divina beneficia sibi contigisse per eum, qui ipse dixerit, se fuisse apud patrem ante mundum conditum et venisse in hanc terram, ut vitam aeternam daret omnibus; neque potest dubitare vera esse, quae ille salutis humanae causa fecerit et passus olim fuerit; intelligit enim, ea omnia sibi quoque cessisse saluti; et quo magis beneficiis divini servatoris se beatum sentit, eo verius *τὴν δόξαν αὐτοῦ, ὡς μονογενοῦς παρὰ πατρός*, cognoscit, fidemque habet ei, qui descendit *ἐκ τοῦ κόλπου τοῦ πατρὸς, καὶ ἀνέβη, ἵνα τὰ πάντα πληρώσῃ.* Verissime igitur Iohannes addit, *se haec illis scripsisse, qui iam fidem haberent filio dei, ut, quum scirent, se habere vitam aeternam, etiam constanter crederent filio dei.* Hoc est enim, quod Melanchthon dixit, spiritum fidem largiri.

Ex his, quae de loco Iohannis disputavimus, intelligi posse arbitramur, quale sit testimonium spiri-

tus, quod internum dicere theologi consueverunt. Est enim hoc ipsum πνεῦμα υἱοθεσίας, quod divinitus contingit omnibus τοῖς πιστεύουσιν εἰς τὸ ὄνομα τοῦ υἱοῦ τοῦ θεοῦ. Est autem divinus ille spiritus, quippe quod divina efficacia, non humana ratione, contingit cuiquam; quare recte dicimus, spiritum divinum ipsum rebus Christi facere fidem. Neque enim divinum dicimus, quod miraculo quodam et supranaturali modo efficiatur illa de filio dei persuasio, (quae nonnullorum opinio fuit) sed quoniam proprium est divini spiritus beneficium, quo carent omnes οἱ μὴ πιστεύοντες τῷ θεῷ. Constat enim illud testimonium non φρονήμασι τοῦ κόσμου τούτου, sed δυνάμει θεοῦ. Et verissime Paulus dixit, spiritum omnia investigare, etiam divina consilia de salute humana, quae non capiant homines, ψυχικοὶ, ὅτι πνευματικῶς ἀνακρίνεται. Requiritur enim ille spiritus, quo qui carent, his μωρία ἐστὶ τὰ τοῦ πνεύματος τοῦ θεοῦ.

Sed quum verendum sit, ne sint, qui haec omnia ad pietatem potius coram populo apte dicta putent, quam ad tollendas dubitationes virorum doctorum et subtilium hominum persuasionem, nostrum est, ut de vi illius testimonii dicamus. Concedendum est igitur, in hoc testimonio non esse eam vim, quae requiritur ab argumentis philosophicis, ut, quod verum esse dicatur, id non posse non verum esse intelligatur ab omnibus, qui ratiocinatione recte uti possunt, cuiusmodi ἀσφάλειαν mathematicam et necessariam dicere in scholis solent. Neque defuerunt, qui divinis rebus Christi fidem haberi posse negarent, quod omnino destituantur argumentis eiusmodi, quibus necessario efficiatur, ut intelligamus, eas non posse non esse divinas, ideoque non tantum internum hoc, de quo quaerimus, argumentum reiecerunt, sed etiam reliqua omnia, quippe quod nihil aliud demonstrari queat, quam res Christi ortas videri posse numine divino.

Sed valde errare videntur, qui in hac nostra causa talia argumenta requirunt, qualia postulantur ad fidem faciendam rebus humanis. Omnis enim fides rerum divinarum et immortalium non capit eiusmodi argumenta, neque vero etiam iis indiget, sed constat πληροφορίᾳ, quae non subtilibus ratiocinationibus effecta est aut potest effici, sed ex immortalis natura nostra ratione nascitur. Nam quae necessario esse cognovimus, ea non credimus sed scimus, cuiusmodi sunt pleraeque res humanae, ut supra dictum est: sed quae credimus, ea vera esse putamus, immo verissime intelligimus, licet ea ita esse cognoscere non possimus. Et habet commune hoc fides rerum Christi cum quacunque fide, ex qua religio oritur, quod non ratiocinatione quadam constet, sed animi ad divina et immortalia contendentis recta ratione, et veluti perceptione quadam interna, qua res divinas comprehendimus, quas non capit mens humana; sensum internum diceremus, nisi vereremur, ne ad vani mysticismi somnia sententia nostra ab imperitis traduci posset. Sed qui sciunt, qualis fides omnino locum habere possit in rebus divinis et immortalibus, seu, quod idem est, in quacunque religione, non veremur, ne quid in rebus Christi requirant amplius, quam πληροφορίαν animae immortalis, certissima ratione ad salutem aeternam contendentis. Quemadmodum enim providae numinis divini sapientiae non res humanae illae, inconstantes et incertae, faciunt fidem, sed verissimus sensus aeternae rationis naturae nostrae immortalis, ita etiam *ἡ πίστις εἰς τὸ ὄνομα τοῦ υἱοῦ τοῦ θεοῦ*, non constat *ἐν διδακτοῖς ἀνθρωπίνης σοφίας λόγοις, ἀλλ' ἐν διδακτοῖς πνεύματος ἁγίου*. (1. Cor. II, 13.) Est enim *ἀπόδειξις πνεύματος καὶ δυνάμεως*, quae rebus Christi facit fidem. Quae quamvis mirifice iam illustrata fuerit insignibus beneficiis, quibus per Christum auctae et beatae sunt res totius generis humani, tamen maximopere in eo laborandum est, ut in no-

stris quoque animis nascatur et incrementa capiat, dum verius indies intelligamus, nos habere ζωὴν αἰώνιον, eamque nos habere per filium dei. Nam quo magis intelligemus, nos habere salutem aeternam, eo laetiora etiam fides incrementa capiet: est enim fides fructus vitae ἐν πνεύματι ἁγίῳ.

Quae quum ita sint, rogamus vos, Cives carissimi, ut diebus proximis, qui sunt sacri memoriae spiritus divini, Apostolis largissime donati, ita utamini, ut vestra quoque fides augeatur.

P. P. Dom. Exaudi a. Dom. cIↃIↃCCCXVII.
in Univ. Lips.

DE

OBEDIENTIA CHRISTI

EX APOSTOLI PAULI SENTENTIA *).

In emendanda theologiae dogmaticae doctrina ex institutione divina, e libris sacris haurienda, pendere omnia, quum res ipsa doceat, tum ab omnibus, qui evangelicae ecclesiae rationem sequuntur, concedendum est. Olim enim formulae dogmaticae, quarum verba e libris sacris petita erant, ad publicam privatamque magistrorum opinionem compositae, a theologis tanto confidentius adhibebantur, quod ipsi Apostoli iis usi fuisse viderentur; unde factum est, ut multae formulae ac phrases, in libris N. T. obviae et veluti solemnes, a theologis contra scriptorum sacrorum mentem usurparentur, et vel novis decretis proferendis, vel parum aptae praecipiendi rationi occa-

*) Scripta est haec disputatio ad indicendam panegyrin d. XXIV. Aug. cIↃIↃcccx celebratam, in qua summi in theologia honores collati sunt in *Gottl. Sigism. Donnerum*, Dioeces. Misenensis tunc Superintendentem, iam ante aliquot annos defunctum, et in virum doctissimum *Car. Godofr. Bauerum*, ad aedem d. Nicolai in hac urbe archidiaconum meritissimum.

sionem darent, ipsa autem christiana doctrina ad verba potius quam ad sententiam scripturae sacrae constitueretur. Itaque post emendatam literas sacras interpretandi rationem, qui ad doctrinam dogmaticam melius constituendam animum adiecerunt, hi in eo potissimum laborarunt, ut dicta classica, quae vocantur, in quibus illae solemnes formulae inesse videbantur, accuratius examinarent. Quod consilium quo felicius haud paucis cessit, tanto magis mirandum est, multas eius generis formulas, quae vel comprobatae in libris symbolicis, vel singulorum sacrae scripturae locorum auctoritate defendi posse viderentur, ex institutione dogmatica nondum eiectas esse, sed in libris scholisque, non sine magno verae disciplinae sacrae detrimento, ad hunc diem imperare. Enimvero facile intelligi potest, qua de causa id factum fuerit. Nam ad iudicium de formulis illis dommaticis ferendum non singula loca, in quibus illae obviae sunt, examinare sufficit, in quo plerique acquieverunt; sed communem notionem, quae in locis illis omnibus imperat, indagare necesse est, ut, quae variis passim modis dicuntur, ad certam veluti regulam exigantur. Quod etsi non unam cautionem desiderat, ne eandem sententiam quaeramus in locis omnibus, in quo a multis erratum est; tamen theologiae dogmaticae emendandae rationem mirifice adiuvabit, quum multis aliis modis, tum propterea maxime, quod Apostolorum de unaquaque re sententiam, variis locis vario expressam, sed communi notione comprehensam, cum formulis dogmaticis, quae plerumque singulis tantum Apostolorum dictis nituntur, scite comparabimus. Itaque in tradenda et emendanda theologia dogmatica hoc potissimum agendum esse existimamus, ut de quocunque dogmate quas notiones oratores divini habuerint, singulorum scripturae locorum comparatione investigemus, ac deinde formularum doctrinae dogmaticae solemnium verum sensum et usum e scri-

piorum sacrorum mente et consilio constituamus. Et Pauli potissimum epistolas eo consilio perlustrare iuvabit, quoniam pleraeque formulae ex illius divini viri disputationibus petitae sunt. Sed in hoc negotio, non veremur, ne quis librorum symbolicorum auctoritatem nobis obtendat; nam et ipsius ecclesiae evangelicae ratio hoc maxime postulat, imo flagitat et exposcit, ut dogmata omnia ad normam scripturae sacrae exigantur, et in libris symbolicis doctrina publica quidem, contra adversarios defensa, proposita est, non autem divinam doctrinam tradendi perpetua norma imperata. Quin theologi ecclesiae nostrae, post formulam concordiae compositam, verbis et formulis, quae in libris symbolicis occurrunt, saepe sensu et modo novo usi sunt, doctrinamque dogmaticam neque ad librorum sacrorum sententiam ipsiusque divinae institutionis rationem, neque ad ecclesiae nostrae statorum consilium librorumque symbolicorum modum composuerunt. Quamobrem, qui singula dogmata ad sententiam scriptorum sacrorum, eo, quem diximus, modo, investigatam definitamque examinaverit, is vero evangelicae ecclesiae rationem optimè sequutus videbitur.

Quod quum demonstrari possit exemplis plurimis, nunc quidem uno tantum, sed celeberrimo, illustrasse sufficiat. Etenim princeps Evangelii de beneficiis Christi locus, quum omnino non ita vulgo explicetur, ut salutis per Christum partae et vero etiam consequendae vera ratio plane perspici possit, tum laborat maxime infinita formularum multitudine, quae petitae sunt quidem e scriptura sacra, sed maximam partem sensu, a scriptorum sacrorum mente alieno, usurpantur, inprimis eo loco, ubi disputatur de modo, quo summa beneficia illa, vel a Christo parta sunt, vel ab hominibus possunt impetrari. De quibus singulis etsi haud pauci docte ac prudenter monuerunt, mirandum

tamen est, horum virorum studiis dogmaticam praecipiendi rationem tam parum mutari potuisse, ut formulae, quibus olim usi sunt theologi, quasi aut sacrorum librorum auctoritate imperatae sint, aut ab ipsa ecclesia evangelica constitutae, ad hunc usque diem retentae fuerint et in scholis librisque constanter repetitae. Ex quibus unum nunc quidem exemplum videamus, *de obedientia Christi*; de aliis alio tempore disputabimus. Sed de obedientia Christi ita dicemus, ut primum dogmaticam de ea docendi rationem exponamus, deinde Pauli apostoli sententiam, singulorum, in quibus illius obedientiae mentio fit, locorum comparatione, distincte explicemus.

Primum igitur satis constat, vulgo doceri, Christum pro hominibus divinae sanctitati et iustitiae satisfecisse veniamque peccatorum et salutem aeternam peperisse, quod patri omnibus modis obtemperaverit, quae obedientia hominibus imputetur. Duplex vero haec *obedientia*, vel *activa* vel *passiva*, fuisse dicitur. Et *passivam* quidem in eo cerni docent, quod Christus poenarum loco, quas peccatores propter iustitiam dei dare debuissent, huius vitae calamitates mortisque supplicium, obtemperans patri, sponte perpessus fuerit, ita ut poenas illas non amplius repetat numen iustissimum ab his, in quibus fuerit vera fides. Sed quoniam perfecta salus non nisi iis contingere possit, in quibus fuerit perfecta virtus, haec autem in hominibus non habeat locum, Christum virtutem quoque perfectam pro nobis praestitisse, ita ut imperfecta virtute nostra numen sanctum acquiescere possit, et Christi summam virtutem nobis imputet, ob eamque virtuti nostrae imperfectae praemia futurae vitae impertiat; hanc *obedientiam activam* dicere schola consuevit. Sed huius distinctionis causae paulo altius repetendae sunt. Scilicet de hac vicaria obedientia Christi usque ad Sec. XVI. magnum silentium fuit.

Nam veteres ecclesiae doctores loquuti sunt quidem de obedientia, a Christo praestita; sed eam aut ad legem Mosaicam, a Servatore, domino legis, observatam retulerunt, aut ad mortem, quam ex voluntate patris, solus innocens filius, pro peccatoribus liberrime oppetiisset; de virtute perfecta autem, quae nostrae virtutis loco esset nobisque imputaretur, vix cogitasse videntur. Solent quidem afferri dicta *Iustini*, *Irenaei*, *Chrysostomi* aliorumque, qui de iustitia Christi, hominibus salutari, loquuti sunt. (vid. *Gerhardi Locc. Theol.* Vol. VII. p. 68. sequ. ed. Cottae). Sed hi omnes nihil aliud in mente habuerunt, quam innocentiam Christi, ob quam pro peccatoribus mortem pati sine sua culpa potuit. Nisi enim innocens fuisset, mortem, tanquam propriae culpae poenam, omnibus communem peccatoribus, pati debuisset, neque ea morte nobis quidquam mereri potuisset; sed quoniam innocens mortem oppetiit, peccatoribus hac morte veniam impetravit. Hac igitur ratione iustitiam Christi nobis salutarem, seu nostram iustitiam esse, veteres ecclesiae magistri existimarunt, sed de virtute, quam, nostro loco praestitam, praeter mortem illam, quam innocens perpessus est, deus nobis imputet, in eorum scriptis nihil reperitur. Quod facili negotio ostendere possemus, si in hac causa ad veteris ecclesiae auctoritatem redeundum esset. Illud tamen non praetermittendum est, neque Tertullianum, qui vocabulo satisfactionis primus usus fuisse dicitur de opere Christi mediatorio, neque Augustinum, qui virtutem humanam fere nullam esse dixit, illius obedientiae activae mentionem vel verbo fecisse; imo Augustinum hoc potissimum egisse, ut intelligeretur, quo modo naturae humanae, propriis viribus prorsus destitutae, recte et honeste agendi facultas divinitus restitueretur, ut ad perfectam virtutem, quam sine gratia dei locum habere Pelagius docere visus fuerat, adspirare homines possent. Scholasticorum aetate ea-

dem sententia impetravit. Neque vero aliam habere poterant hi, ex quorum docendi ratione Pontificii suam de satisfactionibus humanis opinionem repetierunt. Nam si eo tempore, quo summa Scholasticorum auctoritas fuit, illud de obedientia Christi activa seu absoluta satisfactione vicaria, dogma in ecclesia regnasset, nullus illi opinioni de satisfactionibus, per opera quaedam praestandis, locus fuisset. Scholastici igitur doctores, de iustitia et virtute Christi ita docuerunt, ut illius meritum tantum ad mortem retulerint; ceterum perfecta obedientia sua, ad mortem usque praestita, Christum sibi ipsi maiestatem et gloriam promeruisse existimarunt. Aperte Lombardus Lib. III. Sentent. Dist. XVIII. *ad quid ergo*, ait, *voluit pati et mori si ei virtutes ad merendum illa* (de quibus dicit Paulus ad Philipp. II, 9. sq.) *sufficiebant? Pro te, non pro se. Meruit enim nobis per mortis ac passionis tolerantiam, quod per praecedentia* (i. e. per virtutes) *non meruerat, scilicet, aditum paradisi et redemtionem a peccato, a poena, a diabolo*. Et paulo post, *non est autem*, inquit, *inventus inter homines aliquis, quo id posset impleri, nisi leo de tribu Iuda. Nam omnes alii homines debitores erant, et vix unicuique sua virtus sufficiebat et humilitas: nullus ergo eorum hostiam poterat afferre sufficientem reconciliationi nostrae. Sed Christus homo sufficiens et perfecta fuit hostia.* Et Dist. XIX. commode affert Augustini locum: *fuso enim sanguine sine culpa, omnium culparum chirographa deleta sunt*; et alium: *nihil invenit diabolus in Christo ut moreretur, sed pro voluntate patris mori Christus voluit, non habens mortis causam de peccato, sed de obedientia et iustitia mortem gustavit, per quam nos redemit a servitute diaboli.* Sed a pluribus Scholasticorum dictis afferendis tanto rectius abstinemus, quo luculentius constat, universam Scholasticorum de salute, per Christum parta, praecipiendi rationem abhorruisse ab illo

dogmate, quod vulgari ecclesiae Romanae opinioni prorsus repugnasset. Seculo XVI. autem, quum de iustificationis causa et modo acerrime cum theologis Romanis disputaretur, nostri theologi nihil prius aut antiquius habebant, quam ut docerent, Christum pro peccatis hominum sanctitati et iustitiae divinae omni ex parte satisfecisse, atque hanc satisfactionem ita deum recepisse, ut non amplius satisfactionibus humanis, sed fide tantum opus sit, ex qua nova obedientia nascatur. Sed quamquam haec primaria et maxime capitalis controversiarum causa fuit, quod nostrae ecclesiae statores a Christo pro hominibus prorsus satisfactum nihilque relictum existimarent, quod ad impertiendam salutem necessarium videri posset, nullo tamen loco illam obedientiam activam in publicis scriptis commemorarunt aut defenderunt. Quod tanto cupidius facere debuissent, quoniam Pontificiorum de iustificatione et bonis operibus opinioni nullum locum relinquit illa de virtute summa Christi, hominibus imputanda, sententia. Sed neque in Augustana Confessione neque in Apologia huius sententiae vestigia levissima occurrunt, ne iis quidem locis, quibus silentio praetermitti non potuisset, imo sponte se obtulisset, siquidem Melanchthon de ea re cogitasset. Enimvero in Confessionis articulo IV. et VI. tantum abest, ut obedientia Christi activa commemoretur, ut universa salutis partae causa et ratio ad mortem Christi fidemque referatur; in Apologia autem, ubi gravissima de iustificatione doctrina copiose et subtiliter explicatur et contra Romanorum theologorum sententiam strenue defenditur, quamquam saepissime Christus iustitia nostra dicitur, tamen virtutis perfectae, nostro loco ab illo praestitae, nulla mentio facta est. Attamen, si Melanchthon de ea cogitasset, intelligi non posset, qua tandem ratione eam praetermisisset eo loco, ubi de dilectione et impletione legis disputavit, quo loco hoc unice egit, ut demonstraret,

partim fieri non posse, ut praeceptis divinis homines omni ex parte satisfaciant, partim bona opera nostra non nisi propter fidem placere deo. Sic enim aperte disputat in *Apolog.* p. 85. et sequ. inprimis vero pag. 90. et sequ. ubi demonstrat, quomodo legis impletio, seu obedientia erga legem, si fuerit integra, iustitia futura, quum in nobis exigua et immunda sit, tamen deo placeat. Ibi vero non potuisset praetermitti obedientia legalis Christi, si docuissent eo tempore nostri theologi, imperfectam nostram obedientiam placere deo propter perfectam obedientiam Christi. Sed longe alia ratione, cur placeat illa, Melanchthon ostendit; iustitiae autem legalis, quae nobis imputetur, nullam, ne verbo quidem, mentionem facit. Est vero alius locus insignis in Apologia, a Melanchthonis obtrectatoribus lacessitus, (pag. 125. seq. *ed. Rechenberg.*) ubi de iustificatione et fide iustificante loquutus, argumentatur ex illo Pauli dicto ad Rom. V. 1. *δικαιωθέντες οὖν ἐκ πίστεως εἰρήνην ἔχομεν πρὸς τὸν θεόν.* Iustificare, ait, hoc loco significat reum absolvere et pronunciare iustum, sed *propter alienam iustitiam,* videlicet *Christi,* quae aliena iustitia communicatur nobis per fidem. Sed ne quis existimet, Melanchthonem de virtute Christi, s. obedientia activa, loquutum esse, statim adiiciuntur dicta Paulina, in quibus de morte et redemtione Christi sermo est, deinde ita pergitur: Sed quia iustitia Christi donatur nobis per fidem, ideo fides est iustitia in nobis, imputative, i. e., est id, quo efficimur accepti dei — et — fides recte est iustitia, quia est *obedientia erga Evangelium* — et haec obedientia erga Evangelium imputatur pro iustitia adeo, ut tantum propter hanc, quia hac apprehendimus propitiatorem Christum, placeant bona opera seu *obedientia erga legem.* Quid vero? num ita scribere Melanchthon potuisset, si ei illa de obedientia activa Christi opinio fuisset? quin dicere debuisset, bona opera placere deo propter iustitiam seu

obedientiam Christi. Addit enim: *neque enim legi satisfacimus, sed id propter Christum condonatur nobis;* scilicet quod non satisfacimus, non autem ne opus sit satisfacere; Christi enim auxilio legem facere possumus. (p. 217.) Neque Lutherus illum satisfactionis modum docuit. Frustra enim illum Articulorum Smalcaldicorum locum obtendat aliquis, ubi dicit, (pag. 336.) fidem, renovationem et remissionem peccatorum sequi bona opera, et quod in illis pollutum et imperfectum sit, pro peccato et defectu non censeri, idque etiam propter Christum, atque ita totum hominem quum quoad personam suam, tum quoad opera sua iustum et sanctum esse et nominari, ex mera gratia et misericordia in Christo super nos effusa, expansa et amplificata. Etsi enim priora, quae de imperfectis bonis operibus dicuntur, ambigua videri possunt, nequeunt tamen intelligi sic, quasi propter Christum, i. e. propter perfectam Christi virtutem, nobis imputatam, pro perfectis bona opera nostra habeantur, quin ex mera gratia dei, in Christo super nos effusa, quod pollutum et imperfectum est in operibus nostris, id pro peccato et defectu non censetur i. e. non punitur, adeo ut omnia ad veniam peccatorum, morte Christi partam, referenda sint. Et valde verendum est, ne Lutherus illam de iustitia Christi legali sententiam vehementissime improbaturus fuisset, quoniam ab iustitia essentiali, quam infundi hominibus Romani theologi docebant, parum differre visa esset.

Sed ad formulam concordiae perveniamus, in qua primum diserte commemoratur et distinguitur obedientia Christi agendo et patiendo praestita; adeo ut qui ad ecclesiae nostrae doctrinam dogma illud referunt, illis locis unice innitantur. Enimvero, quamquam non negamus, obedientiam agendo praestitam a formulae illius auctoribus tamquam causam iustitiae

nostrae, laudari, existimamus tamen, non eam illis viris opinionem fuisse, quae postea in libris dogmaticis imperavit. Ac primum quidem recordari iuvat, qua occasione quave de causa obedientiam agendo praestitam illi commemoraverint. Constat autem totam disputationem de iustitia fidei coram deo, quae Art. III. Formulae Conc. reperitur, propter controversiam Osiandri et Stancari institutam esse. Osiander enim, de essentiali iustitia loquutus, Christum, filium dei, ideoque secundum divinam naturam, nostram iustitiam esse docuerat, quippe quod dei filius per fidem inhabitet electis eosque ad bene operandum impellat, atque huius inhabitantis essentialis iustitiae ratione omnia peccata hominibus remittantur; Stancarus contra, iustitiam vulgari sensu, de absolutione et venia peccatorum, dicens, contenderat, Christum secundum humanam tantam naturam esse iustitiam nostram, i. e. opus eius mediatorium ad Christum hominem tantum pertinuisse. Itaque formulae concordiae auctores, ut docerent, Christum secundum utramque naturam esse iustitiam nostram, i. e. peccatorum omnium veniam et vitam aeternam nobis promeruisse, totum hoc negotium ad *obedientiam*, quam patri ad mortem usque absolutissimam praestitisset, retulerunt. Dixerunt igitur (*Form. Conc., Sol. Decl.* p. 682.) fidei *iustitiam* esse remissionem peccatorum *propter solam Christi obedientiam*, quae per solam fidem, ex mera gratia, omnibus vere credentibus ad iustitiam imputetur. Sed ne quis existimaret, hanc obedientiam ad mortis tantum supplicium pertinuisse, ideoque ad humanam tantum naturam referendam esse, quippe quod mors humanae naturae non autem divinae esse propria possit, (quae Stancari sententia fuerat) dixerunt, Christum obedientiam illam agendo et patiendo praestitisse, i. e. non paruisse tantum patri in tota sua passione et morte, sed etiam nostra causa legi sese subiecisse eamque obedientia illa sua implevisse. Sed

quod legi sese subiecit nostra causa, id non secundum humanam naturam fecit; Christus enim homo ipse legi subiectus erat; sed secundum divinam naturam, qua legis dominus erat; ergo ad utramque naturam, seu totum Christum, opus mediatorium pertinet. (Form. Conc. p. 684. 685. 696.) Haec igitur causa fuit, cur obedientiam *agendo* praestitam commemoraverint, quoniam, quidquid egisset nostra causa Christus, id non homo sed deus fecisse videretur, quo concesso, Stancari opinio non amplius habebat locum. Sed tamen longe aliam obedientiam activam illi in mente habuerunt, quam Theologi postea in hoc ipso loco doceri crediderunt. Scilicet dixerunt quidem, Christum *agendo* et *patiendo*, in *vita* et *morte* sua, nostra causa patri suo illam obedientiam praestitisse, sed illam ipsam obedientiam, agendo, seu in vita praestitam, in nulla alia re quaesiverunt, quam quod Christus legi se subiecerit, eamque sponte impleverit, quamvis esset legis dominus. Enimvero lex illa, de qua illo tempore et in libro concordiae potissimum loquebantur, non lex divina universa, sed lex Mosaica seu Decalogus erat, cui Christus deus, dominus legis, se subiecisset, eoque pacto ab ea, inprimis a minis eius (ἀπὸ τῆς κατάρας αὐτοῦ) homines liberasset. Ergo non est illa alia obedientia, quam quod legi divinae, in veteri testamento revelatae, sese subiecit, eamque ad mortem usque implevit; nam haec ipsa mors poena legis erat. Neque illa obedientia a passione seiungitur, sed in vita usque ad mortem quaeritur, quia per totam vitam ad mortem usque demonstrata est. Unde intelligitur, obedientiam illam agendo praestitam, ex illorum virorum sententia non esse virtutem perfectam, nostro loco praestitam, sed obedientiam erga legem Mosaicam, cui nostra causa, ut a lege et morte nos liberaret, Christus per totam vitam, ad mortem usque se subiecit. Aperte hoc docent verba, quae (pag. 685.) proxime sequuntur: *Eam ob causam,*

inquiunt, ipsius *obedientia nobis ad iustitiam imputatur* (scilicet quod legis dominus erat); *non ea tantum, qua patri paruit in tota sua passione et morte, verum etiam, qua nostra causa sponte sese legi subiecit eamque illa sua obedientia implevit.* Et tota disputatio de Lege et Evangelio art. V. et VI. instituta, Veteris Testamenti legem intelligi, clarissime demonstrat, inprimis eo loco, ubi de obedientia renatorum disputatur. (pag. 723.) Ibi enim non iustitia Christi, i. e. perfecta virtus eius, ob quam imperfecta virtus hominum deo placeat, commemoratur, sed iustitia fidei propter Christum, quod non ex coactione legis, sed ex renovatione Spiritus sancti ex animo prompte et sponte ea, quae deo placent, faciat. Neque vero Mart. Chemnitio, quem formulae illius verissimum interpretem esse, concedendum est, alia sententia fuit, quum aliis locis, tum disputationibus de legis impletione, de iustificatione et bonis operibus. Itaque obedientia agendo praestita, quae in concordiae formula commemoratur, valde differt ab ea, quam Theologi paulo post a passiva illa distinguere consueverunt. Quod qua ratione factum sit, facile intelligitur: universa enim de satisfactione doctrina, olim cum loco de iustificatione arctissime coniuncta, sed ab eo postea divulsa, inde a Sec. XVII. curiosius descripta est, ut librorum dogmaticorum comparatio docet. Quare quum multis aliis locis, tum in hac de opere Christi salutari docendi ratione, librorum symbolicorum auctoritate frustra se defendunt, qui eiusmodi formulis veram ecclesiae nostrae sententiam constare arbitrantur. Sed hoc loco rationem, qua distinctio illa orta est, breviter monstrasse sufficiet; neque operae pretium est, controversias, de activa obedientia superiori seculo agitatas, enarrare, de quibus in *Walchii* libro (*Neueste Religions-Geschichte Tom. III. p.* 309. *seq.*) accurate scriptum est.

Sed in hoc dogmate diiudicando, quum ad sententiam scriptorum sacrorum recurrendum sit, nunc quidem, quae Paulo Apostolo de universa obedientia Christi sententia fuerit, breviter exponemus. Quamquam enim ad illud dogma confirmandum aliis quoque locis quibusdam in Matthaei et Iohannis commentariis olim usi sunt, praecipui tamen in epistolis Pauli reperiri videntur, quibus addemus locum ex epistola ad Hebraeos. Primarius vero locus in epistola ad Romanos Cap. V. v. 19. reperitur, de quo priusquam dicamus accuratius, ad explicandum Apostoli consilium, pauca liceat praefari. Primum igitur satis constat, Iudaeis de miseria, ex peccato oriunda, longe aliam opinionem fuisse, quam per religionem Christianam coepit imperare. Iudaei enim, ut vulgus hominum, damnum, quod e peccatis nascitur, non ad animi mentisque virium depravationem, sed ad bonorum externorum, ab ipsius animi indole seiunctorum, privationem potissimum referebant, ideoque recte et honeste factorum praemia eiusmodi exspectabant, quae, quum sensibus placeant, a plerisque, τὰ τῆς σαρκὸς φρονοῦσιν, unice appetuntur. Quare non uno modo errant, qui in eiusmodi locis, in quibus de liberatione a peccati miseria cum Iudaeis disputatur, eas notiones quaerunt, quibus per Christianam demum disciplinam homines imbuti sunt. Quis enim, quum recordetur, Iudaeos ab ea animi sanctitate vitaeque puritate, quae omnium officiorum pio cultu perfectaque virtute constat, vel cogitanda vel appetenda alienissimos fuisse, in animum sibi inducat, ut credat, Paulum aliquo loco de eiusmodi hominum virtute (δικαιοσύνῃ) disputasse, ad quam quum adspirare nemo possit, divina Christi virtute succurrendum sit. Quin eiusmodi sermonem Iudaeos prorsus non capturos fuisse, sponte quisque suspicabitur; ultra legem Mosaicam enim et τὰ στοιχεῖα τοῦ κόσμου non sapiebant Iudaei. Sed nolumus coniecturis et suspicionibus uti; est enim ad certam

librorum sacrorum interpretationem pervertendam nihil praestantius; quamquam illud quidem non iniuria contra Iudaeos dixisse videmur. Paulus igitur inde a versu 12. originem miseriae, ex peccato ortae, cum salute, quae per Christum divinitus contingat hominibus, comparat; a primo enim homine, auctore peccati, miseriam mortemque ad omnes pervenisse, ita ut ab uno peccato imperare coeperit peccatum et mors, quoniam omnes, suo quisque modo, peccassent; contra ab uno homine, Christo, liberationem a miseria illa et salutem initium causamque ducere. Hac comparatione varie instituta inde a versu 15., accuratius docet versu 18. et 19. qua ratione liberatio a miseria, uno auctore in mundum introducta, ad unum auctorem Christum sit referenda. Dicit igitur v. 18. per unius peccatum omnibus hominibus, poenae loco, mortem contigisse; atque eodem modo beneficium dei omnibus cedere ad salutem per unius virtutem. Non dubitamus enim, quin *δικαίωμα* virtutem dicamus sensu proprio, non autem eo, quo philosophi virtutem dicere consueverunt. Sed de innocentia neque ob ipsius vocabuli significationem neque propterea cogitare oportet, quod in versu sequenti cum *ὑπακοῇ* commutari videtur. Primum enim *δικαίωμα* non innocentiam denotare, apertum est e versu 16. ubi *τὸ χάρισμα ἐκ πολλῶν παραπτωμάτων* dicitur *εἰς δικαίωμα* cessisse; quod quum viderent interpretes de innocentia seu de perfecta vitae sanctitate intelligi non posse, de qua cogitabant versu 18., *δικαίωμα* singulari plane sensu de absolutione interpretati sunt. In quo duplici modo errasse videntur, primum quod illi vocabulo duplicem significationem, quarum una nullo exemplo confirmari potest, in eadem causa tribuerunt, deinde quoniam vocabulum, quod statum s. rem significat, cum vocabulo, cui notio actionis inest (*δικαίωσις*) confuderunt, quod vitium in Lexicis N. T. haud raro occurrit. Putamus igitur, versu 18. *δι-*

καίωμα significare virtutem, quam Latini dicunt, i. e. id, cuius opera et bonitate aliquid efficitur, ut *deûm virtute* dixit *Plautus* aliquo loco, i. e. beneficio deorum. Ita vero δικαίωμα, quum apud reliquos scriptores tum apud Alexandrinos passim dicitur. Est enim δικαίωμα, quod recte ita, ut par est, factum est, deinde, quo aliquid fulcitur et nititur, seu quo efficitur, ut, quod rectum est, fiat, ἐπανόρθωμα ἀδικήματος interpretatur Aristoteles. Hinc saepissime apud Alexandrinos divina decreta denotat, quo sensu etiam in N. T. dicitur. Ergo quod Paulus dicit, τὸ χάρισμα omnibus hominibus ad δικαίωσιν ζωῆς cessisse δι' ἑνὸς δικαιώματος, id nostra quidem sententia nihil aliud sibi vult, quam donum illud unius virtute seu beneficio contigisse. At vero τῷ δικαιώματι τὸ παράπτωμα opponitur; ergo τὸ δικαίωμα obedientiam s. innocentiam denotat: imo recte factum, per quod τὸ ἐκ πολλῶν παραπτωμάτων κατάκριμα tollitur, seu, ut Aristotelis verbis utamur, τὸ τοῦ ἀδικήματος ἐπανόρθωμα. At versu sequenti τὸ δικαίωμα dicitur ὑπακοή: imo hoc versu demonstratur, quale fuerit hoc δικαίωμα, haec ipsa enim ὑπακοή est causa τοῦ δικαιώματος. Et sunt multa alia vocabula in N. T., quorum unum causam, alterum, quod ea causa effectum est, denotat, quae, quum idem plane significare, seu ut vulgo dicunt, synonyma existimarentur, multorum errorum causa fuerunt. Sed ipsum Paulum audiamus. *Quemadmodum enim*, pergit ille, *per inobedientiam unius hominis* ἁμαρτωλοὶ *facti sunt omnes homines, ita per unius hominis obedientiam omnes* δίκαιοι *reddentur.* Haec verba priusquam interpretari adgrediar, hoc mihi concessuros esse aequos iudices arbitror, eandem rationem τῆς ὑπακοῆς quaerendam esse, quae sit τῆς παρακοῆς in priori parte comparationis; ideoque e sententia Pauli per unius ὑπακοὴν δικαίους reddi omnes eodem modo, quo per unius παρακοὴν ἁμαρτωλοὶ omnes facti sunt. Sive igitur prius videamus, qua

ratione per unius παρακοὴν reliqui omnes ἁμαρτωλοὶ facti fuerint, quod oppositum est, simul intelligemus, qua ratione δίκαιοι reddantur οἱ πολλοὶ διὰ τῆς παρακοῆς· sive hoc prius quaeramus, contraria eodem modo ratio constabit. Sit igitur ὑπακοή obedientia Christi vel activa vel passiva; sint δίκαιοι omnes propter hanc obedientiam, quoniam hominibus ea obedientia imputatur; sequitur, per unius hominis inobedientiam ἁμαρτωλούς redditos esse omnes, quoniam haec illius inobedientia iis est imputata. Nam si in obedientia est imputationi locus, necesse est, ut etiam in illa inobedientia reperiatur; sin minus, neutra parte locum habebit. Non satis enim sibi constaret, qui alio modo per unius inobedientiam ἁμαρτωλούς factos esse homines diceret, ac per unius obedientiam δίκαιοι sint futuri; quin, quo modo illud factum esse creditur, eodem hoc quoque fieri existimandum est. Enimvero neminem divinae iustitiae et sanctitatis sensu adeo carere existimamus, qui putet, unius Adami peccato, nulla propria culpa, homines omnes ἁμαρτωλούς factos esse, i. e. peccatorum instar a deo habitos propter Adami peccatum, aut miseros factos, non quod ipsi quoque peccaverint, sed quod peccaverit olim Adamus. Nam quod Theologi olim imputationem culpae et poenae distinxerunt, id valde vereor, ut omnem cuiuscunque imputationis invidiam tollat; idem est enim, in poenae societatem, tanquam reum, venire, et reum vere haberi. Sed Paulus omnem dubitationem sustulit eo loco, ubi primum dixit, mortem inde ab Adami peccato ad omnes pervenisse, v. 12.; ne quis enim dubitare posset, quo pacto illud factum esset, statim causam adiecit, *quoniam omnes peccarunt.* Itaque in toto hoc loco propria hominum culpa non excludenda est; propriae hanc nequitiae poenam damus. Etsi enim Adami peccato mors in mundum venit, poenae tamen naturam ob singulorum peccata habet; ab his enim, qui, cum venia peccatorum, per fidem novum spiritum ac-

ceperunt, quamquam mors imperat, quemadmodum imperavit καὶ ἐπὶ τοὺς μὴ ἁμαρτήσαντας ἐπὶ τῷ ὁμοιώματι τῆς παραβάσεως Ἀδάμ, tamen pro malo seu poena mors non amplius habenda est. Quare, quod Paulus postea dixit, homines per unius Adami inobedientiam ἁμαρτωλούς factos esse, id non obscurum esse p[illegible], quo sensu dixerit. ἁμαρτωλοί enim non sunt peccato obnoxii, sive naturae quadam necessitate ad peccatum propensi, sed qui peccati consuetudine et societate sunt contaminati, miseri ob commissa peccata, ideoque poenis divinis obnoxii, νεκροὶ τοῖς παραπτώμασι, τέκνα φύσει ὀργῆς. Tales autem facti sunt per unius inobedientiam, ἐφ' ᾧ πάντες ἥμαρτον. Sed quomodo per unius obedientiam, quaerat aliquis, si nulla locum habet imputatio. Primum peccati primus auctor Adamus exstitit, per hunc miseria e peccato oriunda initium habuit, deinde ad omnes pervenit, quoniam omnes peccarunt. Itaque post Adami peccatum nemo non peccando miser factus est, et ipsa mors quoque, quae per unum illum coepit imperare, ad omnes transiit, quoniam omnes ἁμαρτωλοί facti sunt. Ergo quemadmodum unius hominis inobedientia coepit regnare miseria peccati omnibus, ita etiam unius obedientia δίκαιοι omnes κατασταθήσονται. Sunt enim δίκαιοι, hi, quibus contigit ἡ δικαιοσύνη τοῦ θεοῦ, οἱ δικαιωθέντες, i. e., quibus beneficia illa, virtute Christi parta, et nominatim veniam peccatorum, deus impertivit, beati spe veniae peccatorum, (εἰρήνην ἔχοντες πρὸς τὸν θεόν,) fide erecti et confirmati (τὸ πνεῦμα λαβόντες) nova indole novisque per illam fidem viribus imbuti, ideoque a miseria peccati, ipsoque mortis metu liberi (ἀπαλλαγέντες, ὅσοι φόβῳ θανάτου διὰ παντὸς τοῦ ζῆν ἔνοχοι ἦσαν δουλείας.) Tales igitur fient seu futuri sunt omnes unius Christi obedientia, i. e. quoniam Christus mandato patris coelestis obedivit, et consilio divino plane satisfecit. Quid enim? Adamus non fecit, ut iussus erat, peccavit; Christus autem voluntati divi-

hac omni ex parte obtemperavit, atque sic salutis causa exstitit omnibus τοῖς πιστεύουσιν. In eo est enim obedientia Christi, quod voluntati patris sponte se subiecit, neque aut facere quidquam aut pati detrectavit eorum, quae ad liberandos a miseria homines facere et perpeti debebat. Quare haec obedientia virtute perfecta Domini cernitur, qua munere a patre demandato, usque ad mortem perfunctus est; atque hac virtute beabuntur omnes eo, quod habuerint fidem, quemadmodum Adami peccato miseri facti sunt, quoniam omnes peccarunt. Ut enim miseria illa, per Adamum orta, non excludit propriam culpam hominum, ita etiam salus, virtute Christi parta, non nisi per fidem locum habet, τοῖς πιστεύουσι tantum contingit, ἵνα τὸ δικαίωμα τοῦ νόμου πληρωθῇ ἐν ἡμῖν, τοῖς μὴ κατὰ σάρκα περιπατοῦσιν ἀλλὰ κατὰ πνεῦμα. Itaque auctor miseriae fuit omnibus Adamus, si quidem omnes peccarunt (lex enim παρεισῆλθεν ἵνα πλεονάσῃ τὸ παράπτωμα) sed auctor salutis est omnibus Christus, qui patri obtemperavit; nisi enim obtemperasset patri usque ad mortem, auctor salutis humanae non exstitisset. Paulus igitur eam obedientiam hoc loco celebrat, quam ad mortem usque patri praestitit, atque in ipsa morte oppetenda luculentissime demonstravit. Quod non modo constans scriptorum sacrorum ratio docet, semper enim ab hac morte ἡ δικαίωσις repetitur; sed clarissime locus ad *Philippenses* Cap. II. versu 8. ostendit. Ibi enim obedientia Christi non in eo quaeritur, quod omnibus pietatis et honestatis officiis satisfecerit, (quamquam hoc quoque verissime fecit Dominus) sed quod huius vitae calamitates, quibus supersedere potuisset, sponte susceperit, seque ipsum totum consilio ac voluntati patris subiecerit usque ad mortem cruentam, quam in cruce perpessus est. Atque hoc Christi exemplum Christianis proponitur ab Apostolo, ut ταπεινοφροσύνην eius imitati, aliorum commodis inservire discant; (v. 3. 4.) ideoque ad

dogma illud de obedientia Christi referri locus ille non potest. Sed exstat alius in epistola ad Hebraeos Cap. V. v. 8. seq. in quo haec ipsa obedientia, tamquam causa salutis nostrae spectatur, sed longe alia ratione, quam praecipi solet in libris dogmaticis. Dicitur enim Christus per huius vitae calamitates (v. 7.) obedientiam didicisse (v. 8.) atque hac ratione τελειωθεὶς aeternae salutis causa exstitisse τοῖς ὑπακούουσιν αὐτῷ, quippe aeternum a deo sacerdotium consequutus. Ergo illius obedientiae fructus non in eo quaerendi sunt, in quo vulgo quaeruntur, sed in maiestate ac potestate domini, ad quam per hanc obedientiam evectus est, ut in epistola ad Philippenses l. c. dicitur. Ex quibus locis certe hoc intelligitur, quotiescunque a Paulo obedientia Christi commemoretur, calamitatum et mortis tolerationem voluntariam ab ea non excludendam esse. Quod vere a nobis dici, ea quoque loca demonstrant, in quibus legi subiectus fuisse Christus dicitur. Sic in epistola ad *Galat. Cap. IV*, 4. non obscurum est, quo sensu Paulus dixerit, deum filium suum, γενόμενον ὑπὸ νόμον, misisse; addit enim: ἵνα τοὺς ὑπὸ νόμον ἐξαγοράσῃ, quod quomodo fecerit Christus, et sequentia docent, ἵνα τὴν υἱοθεσίαν ἀπολάβωμεν, quae quidem υἱοθεσία, veniae peccatorum, morte Christi partae, certa spe verissime constat, et intelligitur ex *Cap. III. v.* 13. ubi Christus, γενόμενος ὑπὲρ ἡμῶν κατάρα, ἐκ τῆς κατάρας τοῦ νόμου nos liberasse dicitur; quod morte factum esse, sequentia docent. Eandem ob causam in *ep. ad Romanos Cap. X. v.* 4. Christus τέλος τοῦ νόμου dicitur, εἰς δικαιοσύνην παντὶ τῷ πιστεύοντι, quoniam ἡ δικαιοσύνη θεοῦ non per legem Mosaicam, sed per fidem contingit, dum spem salutis a Christo, coelitus misso et mortis supplicium passo, in vitam revocato et ad patrem reverso, unice repetimus. Atque haec est illa ipsa δικαιοσύνη, ἡ διὰ πίστεως Χριστοῦ, quam in *ep. ad Philipp.* Cap. III. v. 9. se quaerere dicit Apostolus.

Nam, quam τῇ ἐκ νόμου δικαιοσύνῃ opponitur, quam in lege Mosaica constare, cum Iudaeis, διώκοντα νόμον δικαιοσύνης, Apostolus olim crediderat, dubitari non potest, qualem δικαιοσύνην intellexerit. Contingit enim ἐκ θεοῦ ἐπὶ τῇ πίστει, i. e. τοῖς πιστεύουσιν, ideoque non est δικαιοσύνη Χριστοῦ, quae ἐκ πίστεως imputatur, sed ἡ ἐκ θεοῦ δικαιοσύνη, quam deus impertit his, qui Christo habuerint fidem; cuius quidem δικαιοσύνης causam in morte potissimum Christi quaerendam esse, sexcentis locis Apostolus demonstravit; siquidem benignitatis et indulgentiae divinae beneficia, (δικαιοσύνην θεοῦ, *Rom. III*, 25.) per fidem solam consequimur. Iudaei contra haec beneficia ob legem suam petentes, imo postulantes, *τὴν ἰδίαν δικαιοσύνην ζητοῦντες στῆσαι*, sed rationem δικαιοσύνης veram *ἀγνοοῦντες*, (*Rom. X*, 3.) *δικαιοσύνην τὴν ἐκ πίστεως οὐ κατέλαβον* (*Rom. IX*, 30. 31.) i. e. gratiae divinae beneficia non consequuti sunt. Verissime igitur Paulus se nihil antiquius habere dixit, quam ut hanc δικαιοσύνην, quae per fidem unice contingit et contingere potest, consequutus videretur; sed de virtute seu iustitia Christi, quam deus hominibus fidem habentibus imputaret, hoc loco non cogitavit. Neque vero *δικαιοσύνη θεοῦ* a Paulo hoc modo usquam dicitur, quod longius foret hoc loco demonstrare. Satis enim ex iis, quae disputavimus, intelligi posse arbitramur, quam de obedientia Christi sententiam Apostolus habuerit, a theologorum quidem formulis haud parum diversam, sed quae meriti Christi magnitudinem fideique necessitatem et rationem clarissime demonstret. Christus enim, dei filius, dum voluntati patris ad mortem usque obtemperavit, et mandato divino per totam vitam summa cum virtute perfunctus est, vel in pristina vita et morte, vel praesenti imperio, ad quod evectus est, salutis auctor et vindex est eritque *ἕως τῆς συντελείας τῶν αἰώνων*. Verissime igitur docent, qui perfectam virtutem, qua Christus, in vita et morte sua, man-

dato et consilio patris planissime satisfecit, hominibus, qui fidem Christo habeant, et per Evangelium divinitus emendentur, salutarem esse praecipiunt. Nobis autem veniam viri docti largientur, quod locum, qui iam dudum confectus esse videtur, (vid. *Mori Dissertat. Tom. I. p.* 308. *seq.*) eum nos breviter pertractandum nobis sumserimus. Quod non eo consilio factum est, ut quod ab omnibus, qui Evangelii veram rationem norunt, conceditur, carperemus, solo Christi merito spem veniae et salutis aeternae constare, sed ut dogmaticum de obedientia Christi universa praecipiendi modum, ostenderemus Pauli sententia non posse defendi.

INDEX VERBORUM.

[Numeri paginas indicant.]

Ἀγαθός. 19.
ἀγαθοεργεῖν. 55.
ἀγαθοποιεῖν. 55.
ἀγαπᾶν. 51. sq.
ἅγιος. 22.
ἁγιοσύνη. 22.
ἁγνεία. 22.
ἁγνός. 22.
ἀγρυπνέω. 159.
ἀδημονεῖν. 134.
ἀδικία. 48.
ἀθετεῖν. 154.
ἀΐδιος. 38.
αἰνέω. 155.
αἴρειν ἁμαρτίαν. 155.
αἰών. 39. sq.
αἰώνιος. 38.
ἀκαθαρσία. 150.
ἄκακος. 29.
ἀκέραιος. 28.
ἀκήρατος. 28.
ἀκυροῦν. 155.
ἀλαζών. 73. sq.
ἀληθής· ἀληθινός. 155.
ἀληθῶς. 182.
ἄλλος. 155.
ἅμα. 156.
ἀμαθής. 75.
ἁμαρτία. 45. sq.
ἄμεμπτος. 29. sq.
ἀμετάθετος. 87.
ἀμίαντος. 27.
ἀμφί. c. verb. compos. 221.
ἄμωμος. 29. sq.
ἀναγεννᾶσθαι. 61.
ἀνακαινοῦσθαι. 61.
ἀνακρίνειν. 293.
ἀνανεοῦσθαι. 61.
ἀναπληροῦσθαι. 228.
ἀνασταυροῦν. 235.
ἀναστενάζειν. 228.
ἀνέγκλητος. 30.
ἀνελεήμονες. 69.
ἀνεπίληπτος. 30.
ἄνευ. 93. sq.
ἀνέχεσθαι. ἀνοχή. 194.
ἄνοια. ἀνόητος. 142. sq.
ἀνομία. 48.
ἀνταναπληροῦν. 230.
ἀνταποδιδόναι. 231.
ἀνταποκρίνομαι. 231.
ἀντιδιατιθέμενοι· ἀντιλέγοντες. 157.
ἀντιπαρέρχομαι. 231.
ἀπαλλάσσω. 101.
ἀπαράβατος. 87.
ἀπάτη. 160.
ἀπεκδέχομαι. 106. 231.
ἀπεκδύομαι. 231. sq.
ἀπέχει. 157.
ἀπιστία· ἀπείθεια. 157.
ἁπλοῦς. 27.

ἁπλότης. 28.
ἀπό. in compos. 222. 237.
ἀποκαραδοκεῖν. 106.
ἀποκαταλλάττεσθαι. 101. sq.
ἀποκαταλλάττειν. 105.
ἀποκρίνομαι. 157.
ἀπολαμβάνω. 166.
ἀπορεῖσθαι. 160.
ἆρα. 157.
ἀργὸν ῥῆμα. 270. sq.
ἄριστον. 159.
ἄῤῥωστοι. 76.
ἀρχαῖος. 184.
ἀρχή. 158.
ἀσέλγεια. 151.
ἀσθενής. 75.
ἄσπονδος. 74.
ἀστήρικτος. 75.
ἄστοργοι. 69.
ἀσύνετος. 145.
ἀσύνθετοι. 75.
ἀσωτία. 152.
αὐθάδης. 74.
αὐστηρός. 138.
ἄφεσις. 185.
ἄφρων. 143.
ἀχρεῖος. 138.
ἄχρηστος ib.
ἄχρι. 33. ἄχρι καιροῦ. 37.
βάρος. 158.
βέβαιος. 87.
βέβηλος.
βίος. 158.
βλέπειν. 111.
βόσκειν. 159.
βούλομαι. 124. sq.
βραδὺς τῇ καρδίᾳ. 144.
βρῶμα. 159.
γεννᾶν. 159.
γρηγορέω. 159.
δεῖπνον. 159.
δεισιδαιμονία. 159.
διά c. acc. et genit. quomodo diff. 210. sq. in compos. 222. 236.
διαλλάττεσθαι. 101. sq.
διαπαρατριβαί. 233.
διαστέλλεσθαι. 85.
διατάσσειν. 85.
δίκαιος. 19.
δικαιοσύνη θεοῦ. 329.
δικαιοῦσθαι χωρὶς ἔργων. 96.
δικαίωμα. 324.
δικαίωσις. 12. sq.
δίλογος. 160.
διπλόος ib.
διστάζειν. 160.
δόλος. 160.
δοξάζειν. 155.
δοχή. 159.
δύναμαι. pro βούλομαι. 126. sq.
δωρεάν. 161.
εἶδος. 117.
εἰκῆ. 161.
εἶναι τινός. 71. sq.
εἰπεῖν. 80.
ἑκάστοτε. 161.
ἐκδέχομαι. 106.
ἐκδικέω. 231.
ἐκεῖθεν. 161.
ἐκζητέω. 164.
ἐκθαμβεῖσθαι. 134.
ἐκλελυμένοι. 162.
ἐκπλήττεσθαι. 134.
ἐλεέω. ἔλεος. 69.
ἑλκύω. 56.
ἐν et εἰς permut. 268.
ἔνδικος. 162.
ἐνδυναμοῦν. 163.
ἐνδύομαι. 163.
ἐνέδρα. 163.
ἐνεδρεύειν. 163.
ἐνέχω ib.
ἐνισχύω. 163.
ἔννοια. 163.
ἔνταλμα. 163.
ἐντέλλομαι. 191.
ἐξαγοράζεσθαι τὸν καιρόν. 42.
ἐξαλείφω. 154. 163.
ἐξάπινα. 164.
ἐξερευνάω. 164.
ἐξίστασθαι. 136.
ἐπαναπαύομαι. 232.
ἐπανέρχεσθαι. 232.
ἐπεκτείνεσθαι. 232.
ἐπερχόμενα. 40.
ἐπιβλέπω. 165.
ἐπίγειος. 165.
ἐπιδημέω. 165.
ἐπιθανάτιος. 165.
ἐπιθυμία. 133. sq.
ἐπιλαμβάνομαι. 165.
ἐπισκέπτομαι. 165.
ἐπιστομίζω. 165.
ἐπιτυγχάνω. 166.
ἐρεῖν. 81.

ἔρχομαι. 166. ἔρχεσθαι διά τινος. 301. sq.
ἕτερος. 155.
εὐθέως. 166.
εὐλάβεια. 148.
εὐλαβής. 147.
εὐσεβής. 146.
εὐσχήμων. 167.
εὐτραπελία. 167.
ἔχειν ἀπό τινος et ἀπέχειν. 225.
— νοῦν τινος. 294.
ἐχθροὶ τ. παραπτώμασι. 12.
ἕως. 167.
ζηλοῦν.
ζόφος. 167.
ζωογονέω. 167.
ἥκω. 166.
ἡλίκος. 168.
ἤπιος. 140. sq.
ἤρεμος. 65.
ἡσύχιος. 65.
θανατόω. 168.
θαυμάσιος. 168.
θαυμαστός. ib.
θεᾶσθαι. 120. sq.
θέλω. 124.
θεωρεῖν. 121. θάνατον. 122.
θνητός. 169.
θυμός. 131. sq.
θύρα. 169.
ἰδεῖν. 116.
ἴδιος. 180.
ἱεράτεια. 169.
ἱεράτευμα. ib.
ἱερόν. 178.
ἱερός. 26.
καθαρός. 26.
κάθημαι. 169.
καθίζω. 169.
καινός. 59. sq.
καιρός. 41. πρὸς καιρόν. ἕως καιροῦ. 43. κατὰ κ. 44.
καλύπτω. 170.
καμόντες, κεκμηκότες. 77.
καραδοκεῖν. 107.
καρπὸν ποιεῖν, φέρειν. 170.
κατάκειμαι. 171.
κατακλίνομαι. 171.
κατακυριεύω. 172.
καταλάλος. 72.
καταλλάσσω. καταλλαγή. 102. sq.
κατατομή. 171.
καταφιλέω. 172.
καταφρονεῖν. 100.
κατεξουσιάζω. 172.
κατέχω. 172.
κατηχέω. 172.
κατοπτρίζομαι. 172.
κείρασθαι. 173.
κειρίαι. 173.
κενός. 173.
κληρόω. 166.
κλῆσις ἁγία. 24.
κολλοβιστής. 173.
κρατεῖν τι et τινός. 89.
κρύπτω. 170.
κύλλος. 196.
κωφός. 174.
λαγχάνω. 166.
λαλεῖν. 79.
λαμβάνω. 166.
λέγειν. 80.
λογισμός. 175.
λόγοι. 289.
λόγος. in Ev. Ioh. 267.
λοιπόν, τό. 175.
λούω. 175.
λύω. λυτρόω. 175.
μαλακία. 175.
μᾶλλον. 176.
ματαιολογία. 173.
μάταιος. 173.
μάτην. 161.
μάχαιρα. 188.
μάχομαι. 66.
μεγαλύνω. 155.
μέλει μοι. 176.
μελετάω. 176.
μέμφομαι. 30.
μεριμνᾶν. 137.
μεστός. 176.
μετὰ θεῶν. 176.
μετακαλέω. 177.
μεταλαμβάνειν. 177.
μεταπέμπομαι. 177.
μέχρι. 34. καιροῦ, παντός. 87.
μήπω. 98. sq.
μιαίνω. 177.
μνεία. μνήμη. 178.
μογιλάλος. 174.
μόγις. 178.
μοιχάομαι. 178.
μολύνω. 177.
μωμέομαι. 30.
ναός. 178.
νέος. 59.

νεφέλη. νέφος. 82. sq.
νήπιος. 142.
νήφω. 159.
νίπτω. 175.
νόημα. 175.
νομίζω. 179.
νόσος. 175.
νοσφίζω. 179.
νοῦν τινος ἔχειν. 293. sq.
νυστάζω. 180.
ξενίζομαι. 180.
ξένος. 180.
ξίφος. 188.
ὁδεύω. 180.
ὁδοιπορέω. 180.
ὀδύνη. 196.
οἰκεῖος. 180.
οἰκτείρω. 69.
οἰκτιρμοί. 68.
οἴομαι. 179.
οἷον (ἐστί.) 181.
ὀκνηρός. 181.
ὁλόκληρος. 181.
ὅλος. 181.
ὁλοτελής. 181.
ὅλως. 181.
ὄμμα. 111.
ὁμοίωμα. 181.
ὄνειδος. 182.
ὄντως. 182.
ὀξύς. 182.
ὁπότε. 182.
ὄπτομαι. 118. ὄπτεσθαι τὸν θεόν. 119.
ὁράω. 114.
ὀργή. 132. sq. 255.
ὀρέγομαι. 133.
ὁρκωμοσία. 183.
ὅσια. 25.
ὅσιος. 25.
ὅτε. 182.
οὔπω. 98. sq.
ὀφθαλμός. 111.
ὄψις. 117.
παιδαγωγός. 183.
παλαιός. 184.
παρά. in compos. 223. sq.
παραθαλάσσιος. 184.
παρακύπτω. 184. 224.
παράλιος. 184.
παράπτωμα. 47.
παρασκευάζω. 184.
παρατριβαί et παραδιατριβαί. 233.
παραυτίκα. 184.
παραχρῆμα. 184.
παρεπίδημος. 185.
πάρεσις. 185.
πᾶς. 181.
παχύνομαι. 185.
πειράζω. πειράω. 186.
πέρας. 186.
περί. 222.
περικάθαρμα. 186.
περιφρονεῖν. 100.
περίψημα. 186.
περπερεύεσθαι. 74.
πιστεύειν τι et εἴς τι. etc. 293
πλεονεξία. 186.
πληροῦν. 192.
πνεῦμα. 286.
ποιέω. 187.
πολεμέω. πόλεμος. 66.
πονηρός. 19.
πράσσω. 187.
πραΰς. 140. sq.
προγινώσκειν. 227.
προορίζω. 227.
προςδοκεῖν. 107.
πρόςκομμα. 188.
προστάσσω. 191.
πρόφασις. 188.
πυλη. 169.
ῥῆμα. 188.
ῥομφαία. 188.
σαίνω. 189.
σανδάλιον. 193.
σαρκικός. 23. 292.
σάρκινος. 23.
σιγάομαι. 189.
σιωπάω. 189.
σκληρός. 139.
σκότος. 167.
σπεύδω. 190.
σπλάγχνα. 68.
σπουδάζω. 190.
στενοχωρέομαι. 190.
στηρίζειν πρόςωπον. 190.
συγκρίνω. 290.
σύμψυχοι. 67.
συνευδοκέω. 191.
συνήδομαι. 191.
συνιέναι. 191.
συντάσσω. 191.

συντέλεια τ. αἰῶνος. 40.
συντέμνω. 191.
σύρω. 56.
ταλαιπωρία. 192.
τελειόω. 192.
τίκτειν. 159.
τόπος. 192.
τρυφάω. 193.
ὑβρισταί. 74.
ὑπακούω. 193.
ὕπαρξις. 193.
ὑπάρχω. 193.
ὑπεναντίος. 193.
ὑπερήφανοι. 73. sq.
ὑπερφρονεῖν. 100.
ὑπέχειν. 194.
ὑπό. c. acc. et genit. 208. sq.
ὑπόδημα. 193.
ὑποκρίνομαι. 194.
ὑπολαμβάνω. 157.
ὑπομένω. 194.
ὑπομονή. 194.
ὑποστέλλομαι. 194.
ὑστερήματα θλίψεων. 230.
φθόγγος. 195.
φιλεῖν. 51. sq.
φρονεῖν, τὸ ἕν. τὸ αὐτό. 67. sq.
φρόνησις. 191.
φροντίζειν. 137.
φωνή. 195.
φῶς. 279.
χρήσιμος. χρηστός. 140. 195.
χρόνος 39. sq. χρόνοι. 40.
χωλός. 196.
χώρα. 192.
χωρεῖν. 196.
χωρίς. 93. sq.
ψιθυρισταί. 72.
ψυχή. 196.
ψυχικός. 292.
ᾠδίν. 196.
ὥρα. 44. sq. πρός καιρὸν ὥρας. 45.

INDEX

RERUM PRAECIPUARUM.

Abstracta pro concr. pag 268.
analogia . . . . - 275.
Dialectus Alex. . - 265.
— communis . . - 261.
— hellenica et hellenist. . . . - 263.
— Iudaeorum . . - 265.
— macedonica . - 264.
Elegantia in N. T. - 217.
Emphasis . . . - 105.
— non efficitur compositione . . - 218.
Fides . . . . . . - 297. sq.
Form. conc. de ob. act. . . . . - 319. sq.
Grammatica diligentia . . . . . - 200. sq.
grammaticae leges - 204.
Ep. ad Hebraeos ἅπαξ λεγ. . . . . - 78.
Hebraismi . . . - 269.
Hellenistica lingua - 259.
Interpretatio grammat. . . . - 255.
— simplex . . . - 241.
— contorta . . - 252. sq.
Interpretatio arguta pag. 258.
— inepta . . . - 257.
— historica . . . - 277.
Mysteria . . . . - 283.
Obedientia Chr. act. - 311. sq.
Osiandri et Stancari sent. . . . . . - 320.
Petri Lombard. sent. - 316.
Praepositionum vis et munus . . - 207.
— casus div. regunt - 208.
— in compositione - 217.
— — vis duplex . - 226. sq.
— nunquam abundant . . . - 220.
— tres c. verbis coni. . . . - ibid.
Pronomen demonstr. otios. . . . - 270.
Reconciliatio pag. 12. 13. 103. sq.
Schemata orat. . - 212.
Scriptorum N. T. or. mixta . . . - 215.
— simplicitas . . - 248.
Simplicitas in interpr. . . . . - 240.

Spiritus S. testim. pag. 299. sq.
Substantiva duo iuncta . . . . - 131. sq.
Synonymorum notio - 7. sq.
— varia genera . - 9. sq.
— distinguendi diffic. - 5. sq.
— — necessitas . - 32. sq.
Synonyma falso credita . . pag. 11. sq.
— iuxta se posita - 62. sq.
Usus loquendi observatio . . . - 259.
Verba composita . - 217. sq.
— c. trib. praep. - 233.

INDEX
LOCORUM SCRIPTURAE SACRAE.

Evang. Matthaei.

II. 18. . . . . . . pag. 127.
V. 5. . . . . - 140.
— 28. . . . . . . - 111.
— 53. . . . . . . - 54.
X. 19. . . . . . . - 136.
XI. 30. . . . . . . - 141.
XII. 36. . . . . . - 170.
XXVII. 45. . . . . - 175.
XXVIII. 15. . . . . - 86.

Evang. Marci.

III. 21. . . . . . . - 136.
VI. 5. . . . . . . - 127.
VIII. 15. . . . . . . - 114.
X. 21. . . . . . . - 54.
XIV. 33. . . . . . . - 135.

Evang. Lucae.

IX. 62. . . . . . . - 112.
X. 31. 32. . . . . . - 231.
XII. 58. . . . . . - 102.
XXIV. 25. . . . . . - 144.

Evang. Iohannis.

IV. 24. . . . . . . - 279.
VI. 44. . . . . . . - 56.
— 57. . . . . . . - 210.
VII. 1. . . . . . . - 127.
XI. 3. 5. 36. . . . . - 53.
XXI. 6. 8. 11. . . . - 58.
15. . . . . . . - 51.

Acta Apostol.

II. 5. . . . . . pag. 147.
— 24. . . . . . - 196.
IX. 27. . . . . . - 165.
X. 30. . . . . . - 36.
XIII. 11. . . . . - 37.
— 34. . . . . . - 25.
XVII. 15. . . . . - 129.
XXII. 25. . . . . - 162.

Epist. ad Romanos.

III. 21. . . . . . - 96.
— 25. . . . . . - 186. 212.
IV. 6. . . . . . - 97.
V. 6. . . . . . . - 44.
— 12. . . . . . - 46.
— 13. . . . . . - 34.
— 19. . . . . . - 323.
VI. 19. . . . . . - 150.
VII. 7. . . . . . - 46.
VIII. 4. . . . . . - 47.
IX. 11. . . . . . - 98.
— 15. . . . . . - 70.
X. 14. . . . . . - 95.
XI. 25. . . . . . - 35.
XV. 24. . . . . - 121.

Epist. I. ad Corinth.

II. 4. . . . . . . - 249.
— 10. — 16. . . . - 282. sq.
XIV. 19. . . . . - 125.

Epist. II. ad Corinth.

III. 18. . . . . . pag. 172.
V. 7. . . . . . - 117.
VII. 11. . . . . - 22.
X. 4. 5. . . . . - 175.

Epist. ad Galat.

II. 21. . . . . . - 161.

Epist. ad Ephes.

V. 16. . . . . . - 42.

Epist. ad Philipp.

II. 2. . . . . . - 67.
III. 9. . . . . . - 329.

Epist. ad Coloss.

I. 24. . . . . . - 230.
II. 18. . . . . . - 130.
III. 10. . . . . . - 60.
IV. 5. . . . . . - 42.

Epist. I. ad Thessal.

II. 3. . . . . . - 150.
III. 3. . . . . - 189.
V. 22. . . . . . - 117.

Epist. I. ad Timoth.

III. 16. . . . . - 147.
IV. 12. . . . . . - 101.
VI. 6. . . . . . - 146.
— 18. . . . . . - 56.

Epist. II. ad Timoth.

I. 9. . . . . . pag. 24.

Epist. ad Hebraeos.

IV. 14. . . . . - 91.
V. 7. . . . . . - 148. 329.
VI. 18. . . . . - 91.
IX. 12. . . . . - 210.
— 14. . . . . . - 30.
— 20. . . . . - 191.

Epist. Iacobi.

I. 18. . . . . . - 130.
— 25. . . . . . - 224.
III. 1. . . . . . - 254.
IV. 11. . . . . - 73.

Epist. II. Petri.

I. 8. . . . . . . - 211.
III. 5. . . . . . - ib.

Epist. I. Iohann.

II. 12. . . . . . - 210.
V. 6. . . . . . - 296.

Apocalypsis.

I. 5. 6. . . . . . - 213.
— 12. . . . . . - 113.
XII. 11. . . . . . - 210.
— 14. . . . . . - 143.

IOH. AUG. HENR. TITTMANNI

THEOL. PROF. PRIM. IN UNIV. LIPS.

DE

SYNONYMIS IN NOVO TESTAMENTO

LIB. II.

POST MORTEM AUCTORIS EDIDIT

ALIA EIUSDEM OPUSCULA EXEGETICI ARGUMENTI

ADIECIT

GUILIELMUS BECHER

AA. M.

LIPSIAE

SUMTIBUS AUGUSTI LEHNHOLDI

1832.

AUGUSTO HAHNIO

THEOLOGIAE DOCTORI ET PROFESSORI PUBLICO
ORDINARIO IN ACADEMIA LIPSIENSI

PRAECEPTORI SUO SUMME REVERENDO

S.

GUILIELMUS BECHER.

Si quid accidit unquam, quod intimos animi mei recessus percelleret rerumque humanarum inconstantiam et vel eorum, quibus nihil in hac terra carius nobis atque dulcius est, fragilitatem penitus persentiscere me doceret, profecto mihi lugendi rationumque terrestrium omnium mutabilitatem deplorandi caussa nullo tempore gravior fuit, quam nuper, quum *Tittmannus*, grande de-

cus columenque meum, morte mihi ereptus est omniumque opinione citius evenit id, quod insignis hic vir ipse praesensit, quum in primo lexici synonymorum libro Lips. 1829 praeceptori quondam suo, Carolo Friderico *Hesslero*, quem Deus per longam adhuc annorum seriem salvum conservare velit! p. X. scriberet: mea aetas me monet, ut sarcinas colligam. Sed quo libentius tantam calamitatem non acerba fati necessitate obortam esse confido, sed divina moderante providentia mihi immissam, quae saepe aliter, atque nos optamus, vitae nostrae naviculam gubernat; eo magis meum me pectus impellit, ut, qui me vivus singulari plane amore amplexus est, eidem ego mortuo pii gratique animi documenta qualiacunque in publicum proferam, in eoque potissimum moeroris mihi inflicti mitigationem aliquam et solatium quaeram. Huic autem pectoris desiderio non citius meliusve satisfacere posse

mihi visus sum, quam si fasciculo alio de synonymis in Novo Testamento commentationum priori alterum etiam adiecissem, quem, quominus ipse ederet, morte praematura est impeditus. Quaecunque me moverint caussae ad b. *Tittmanni* memoriam sylloge horum programmatum instituta colendam et conservandam, iam Tibi, *Vir Summe Reverende*, hoc opus dedicare sine ulla dubitatione ausus sum, quippe qui et ipse cum b. *Tittmanno*, Tuo et meo praeceptore incomparabili, arctissimis vinculis fueris coniunctus, et eximiae benevolentiae specimina evidentissima inde a primis vitae meae academicae temporibus mihi exhibueris. Neque enim solum, ex quo tempore in hac urbe altiorum literarum studiis operam dedisti, frequentissimus fuisti b. *Tittmanni* auditor, verum etiam interioris admissionis discipulis adnumerare recte Te poteras, quum ita eius consuetudine utereris, ut pauci

candem sortem sibi contigisse gloriari possent. Quod iunctae cum eo amicitiae initium doctrinae studiorumque theologicorum similitudine non minus, quam frequentissimo usu nutritum laetiora in dies incrementa cepit, in primis ex quo collegarum cognatione ei associatus eras. Exinde enim non tantum de eadem cathedra iuveniles animos discendi cupidos ad veram et solidam theologiam informare studuisti, sed etiam pristinam b. *Tittmanni* familiaritatem integram servasti et usque eo religiose coluisti, ut, quodcunque ab ipso bonum et utile susceptum esset, eius felicem faustumque progressum ad Te ipsum pertinere putares, atque ei et aegrotanti saepissime adesses et mortuo publice de cathedra, praesentibus multis nostrae Academiae civibus, Tuae erga ipsum pietatis ac reverentiae monumentum ipso dignissimum poneres.

Praeter hanc vero intimam, quae Te inter atque

illum intercedebat, coniunctionem inprimis etiam Tua in me insignia merita sunt, quae me adduxerunt, ut publicum grati erga Te animi mei testimonium exstare cuperem, quo, quantopere Te suspiciam, clarissime elucesceret. Primum enim, quaecunque in recta Novi Testamenti interpretatione profeci, eorum haud exiguam partem Tibi debeo, cuius rectae et solidae interpretationis ratio quantam vim et potestatem habeat in eum, qui ad literas sacras admovet animum, magis mihi in dies magisque liquet, quanto accuratius et diligentius in Domini ipsius et Apostolorum sententias inquiro et cum cognitione inde comparata rationem theologorum nostratium compono. Neque minus in eo magnam existimavi repositam esse felicitatem, quod Tuis de doctrina dogmatica institutionibus interesse mihi contigit, quibus eo magis delectatus sum, quod, quum alii in aliorum quidem opinionibus pro-

ponendis ac refutandis multi sint, ipsi autem quid statuant, incerti vagentur, Tu non variarum solum sententiarum rationes ponderabas, sed ea quoque de quibus Tibi ipsi persuasum erat, aperte profitebaris et singulorum fidei capitum omnium expositione animi Tui sinceritatem ab omni specie et simulatione alienissimam testabaris, quae nullus dubito, quin vel iis satisfecerit, qui sibi interdum paullisper a Te dissentiendum esse putent. Denique ex quo societatis Tuae homileticae consortium mihi concessum est, de vera oratoris Christiani indole ac specie longe aliter, quam antea, sentire didici, cuius usus fructusque exinde percepti memoriam fieri non poterit, ut ulla unquam ex animo meo deleat oblivio. Accedit, quod ab eo tempore, quo vitae Academicae curriculum inire coepi, ad hunc usque diem singulari me Tua humanitate ac benignitate ornasti, ita ut et votis meis, quantum fieri posset, satisfaceres, et in

rebus ambiguis incertum me consilio adiuvares, dubitantem confirmares, afflictum erigeres.

Accipe igitur hoc *Tittmanni* opusculorum volumen alterum, non alienum illud a Tuorum studiorum ratione, quod quidem specimen plausum Tuum profecto peraeque feret, atque eius scholae exegeticae, quibus suffragari Tua assensione minime olim dubitabas. Enimvero quam perfectae interpretationis speciem ille animo sibi informaverat, eam intuens in eaque defixus hoc quoque opusculo exprimere studuit, quod quidem ei, si quid video, ita contigisse putandum est, ut vix quidquam desideres. Plane enim singularem artem *Tittmanni*, qua veri mirifice perspicax, facili negotio vel perplexa penetrabat, qua ubique pectus inundatum recto prae se ferebat, in omnibus ac singulis iusti et periti huiusmodi rerum aestumatores admirabuntur intelligentque, legem, qua diligentem omnibusque numeris absolutum Novi Testamenti in-

terpretem teneri in scholis docuit, incomparabilis viri normam fuisse, ad quam omnia ipse referret. Fuit autem haec eadem lex, quam Melanchthon, Praeceptor Germaniae, crebro sermone usurpare solebat: non posse evadere bonum theologum, qui non antea fuerit bonus interpres, neque posse scripturam intelligi theologice, nisi antea intellecta sit grammatice. In hanc unice rectam viam, de qua multos nostrae ecclesiae theologos deflexisse non sine dolore animadvertit, quum nihil antiquius haberet, quam ut suos discipulos reduceret, haec tenenda esse, in scholis monuit: Quoniam scriptura sacra est fons doctrinae divinae, intelligitur, hanc doctrinam e scriptura sacra hauriendam esse ope legitimae interpretationis. Est autem interpretari indagare et exponere sensum, quem scriptor per verba sua ab aliis cogitari voluit. At que hic est sensus grammaticus, quem scriptor cum verbis suis vere coniunxit, et

grammatica interpretatio dicitur, quae hunc ipsum sensum verbis scriptum exponit. Huic sensui grammatico, seu literali opponunt sensum spiritualem et moralem. Sed inprimis placuit olim interpretatio allegorica, quae verbis scriptoris propriis tribuit sententiam impropriam, et mystica interpretatio, quae cum propria verborum sententia coniunxit sensum obscurius latentem, spiritualem. Sed falsa est quaevis interpretatio, quae in verbis quaerit aliam sententiam, quam scriptor ipse in animo habuit et verbis suis cogitari ab aliis voluit.

Quod reliquum est, nihil magis habeo in votis, quam ut hoc b. *Tittmanni* opere legendo ii quoque ad defuncti memoriam pie recolendam eiusque insignia de interpretatione Novi Testamenti merita abripiantur suspicienda, qui nondum ipsis datam eorum cognoscendorum copiam dolerent, iique novum earundem virtutum documentum agnoscant, qui et argumentorum, quae sibi

tractanda sumsit, praestantiam, et iudicandi, qua eminuit, subtilitatem, et linguae elegantiam, qua ut qui maxime antecelluit, iam dudum admirati fuerunt. Tu vero, *Vir Summe Reverende*, noli fastidire hanc infucatam pii gratique in Te animi mei significationem neque unquam me destituere ea, qua vitam meam academicam hucusque beasti, benevolentia. Ita vale et mihi fave.

Scr. Lipsiae Dom. Reminiscere a. D. cIɔIɔCCCXXXII.

INDEX.

I. Lexici Synonymorum in N. T. Cap. XI. idque ultimum (qua prolusione ad Orationem beneficii Kregel-Sternbachiani caussa die XV. m. Septembr. a. D. MDCCCXXXI. habendam Tittmannus invitavit) . . . . p. 1—15.

II. Disputatio de locis Matth. X, 34. 35. et Luc. XII, 49—51. (ad festum nativitatis Christi a. D. MDCCCXXX. indicendum script.) . . . . p. 16—31.

III. De usu particularum in N. T. Cap. I. (ad festum resurrectionis Christi MDCCCXXXI. indicendum script.) p. 42—51.

IV. De usu Particularum in N. T Cap. II. (ad sacra pentecostalia indicenda script.) . . . . p. 52—74.

LEXICI SYNONYMORUM IN N. T.

CAP. XI.

Synonymorum ea vis est, ut rei eiusdem varios cogitandi modos exprimant, efficiantque, ut audientes legentesque idem quidem (obiectum quod in scholis vocant,) cogitent, sed eiusdem diversam imaginem mente concipiant. Hinc fit, ut apud optimos et accuratissimos scriptores duplex potissimum synonymorum usus reperiatur, quorum unum necessarium (logicum), alterum non necessarium (rhetoricum) appellare possimus. Et necessarium quidem dicimus, quum scriptor certum quendam rei cuiusdam modum et ipse in animo habuerit, et a lectoribus cogitari voluerit; veluti si quis de homine opibus quidem carente, sed suo sibi labore improbo victum necessarium quaerere coacto, loquatur, hunc *πένητα* vocare debet; si *πτωχόν* diceret, hominis mendici, stipem quaerentis, cogitationem in lectorum animis excitaret. Itaque qui accurate loquuntur, e pluribus synonymis, i. e. vocabulis affinem notionem habentibus, illud eligere solet, quod eundem eiusdem rei cogitandi modum exprimit. Alter usus, quem non necessarium diximus, iis locis apparet, ubi duo aut plura synonyma iuxta ponuntur, quod duplici de causa fieri potest; primum quod is, qui verba facit, has ipsas eiusdem rei notiones affines ab audientibus cogitari et veluti separari mente velit, deinde

quum eandem rem ab omnibus partibus describere eiusque pleniorem et acriorem imaginem proponere cupiat, quod oratoribus et poetis maxime proprium esse solet, apud quos vocabulorum synonymorum cumulationes frequentissime reperiuntur. Ex priori genere ii quoque loci sunt, ubi duo synonyma negatione copulantur, v. c. quum Paulus in ep. ad *Galat.* 1, 12. dicit: **οὐδὲ γὰρ ἐγὼ παρὰ ἀνθρώπου παρέλαβον αὐτὸ, οὔτε ἐδιδάχθην.** Negat enim utrumque: **τὸ παραλαβεῖν** et **τὸ διδάχθαι.** Differunt enim haec verba, ut solent synonyma; eiusdem enim rei (notitiae ab *alio* acceptae) diversos modos indicant, ut suo loco ostendemus. Negatio eadem est, nam ad verba **παρ' ἀνθρώπου** pertinet. Quamquam igitur graeci scriptores in eiusmodi loquutionibus plerumque non **οὔτε** sed **οὐδέ** scribere consueverunt, hoc tamen loco **οὔτε** non sollicitandum videtur. (*vid. Schaefer. App. ad Demosth.* III, p. 449.). Posterius genus tam frequenter occurrit, ut mirari satis nequeamus, qua ratione in animum inducere sibi quidam potuerint, ut in libris N. T. ubi duo aut plura synonyma iuxta posita reperirentur, unum alterumve pro glossemate habendum et vel sine omni Codicum auctoritate eiiciendum esse affirmarent. Quod quam temere *Wassenberghius* (*Dissert. de Glossis N. T.* praemissa *Valckenarii scholiis in libros N. T. Tom. I,* p. 1. sq.) fecerit, nuper *F. A. Bornemannus* satis ostendisse videtur, (*de glossemat. N. T. caute diiudicandis. Schol. in Luc.* p. IX. sq.) et nuperrime *Beckius* noster (*Contin. II. de glossem. quae in sacris libris occurrunt* p. 15.) subtiliter monuit, non omnia, quae illustrandae aut definiendae orationis causa addantur, pro glossematis habenda esse, atque exempli causa illum quoque locum Tit. III, 1. attulit, ubi **ὑποτάσσεσθαι** et **πειθαρχεῖν** iunguntur. Ibi enim Wassenberghius **πειθαρχεῖν** scholion praecedentis verbi **ὑποτάσσεσθαι** esse dixit; neque enim Paulum in epistola tam brevi eodemque in loco *idem bis dicere* voluisse videri. Bornemannus (l. c. p. XXVIII.) quidem **ὑποτάσσεσθαι** ad **ἀρχαῖς**, **πειθαρχεῖν** ad

ἐξουσίας respicere putavit. Sed acute Beckius monuit, non *idem* Paulum dixisse, neque enim ὑποτάσσεσθαι et πειθαρχεῖν, idem significare. Nos quum hac scribendi necessitate praeter spem oblata de synonymis disputationem continuare constituerimus, primum de illis verbis:

ὑποτάσσεσθαι· πειθαρχεῖν.

dicamus. Verissime Beckius: (l. c.) ὑποτάσσεσθαι, qui lubens et *sponte* se alteri, cui imperandi ius est, submittit, πειθαρχεῖ, qui *coactus* etiam obsequitur. Nempe uterque alterius auctoritatem agnoscit, ad eiusque voluntatem vivit, sed qui sponte id facit, vel non iubente illo aut praecipiente, is ὑποτάσσεται, contra πειθαρχεῖ, qui dictis, legibusve obtemperat, et obsequitur imperanti facitque quod imperatum est. Quod quamquam lubens non vi metuve coactus facere vir honestus solet, si quidem iusta et honesta sunt, quae imperantur, non sponte tamen facit ὁ πειθαρχῶν, sed alio imperante. Est enim etiam in v. ὑποτάσσεσθαι conspicua vis verborum mediorum, ut denotent, sponte sua quemquam facere (pati) aliquid, non alio suadente, impellente aut imperante. Sic v. ἀντιλαμβάνεσθαι, de quo postea dicturi sumus, denotat *sponte* alicuius suscipere curam, unde fit, ut bruta animalia et res inanimes quoque dici possint βοηθεῖν, non autem ἀντιλαμβάνεσθαι. Esse autem v. πειθαρχεῖν hanc propriam vim, ut significet, *dato* praecepto aut legi *latae* obtemperare alterius iussa facere, vel hic unus locus Lucianeus (III. Saturn. fin. p. 892.) luculenter ostendit: ὥστε νῦν μὲν — ἐπὶ τῇ ἐλευθερίᾳ ἤδη ζῶμεν. εἶτα βασιλέας χειροτονῶμεν καὶ πειθαρχῶμεν αὐτοῖς. Hinc etiam ὁ βίος apud eundem (II. Amor. 20. p. 420.) dicitur πειθαρχεῖν οἷς ἡ φύσις ἐνομοθέτησεν. Neque vero mirandum est, v. ὑποτάσσεσθαι hoc sensu, ut sit sponte se subiicere aut submittere alteri, frequenter quidem in sacris libris, neque vero apud alios scriptores reperiri. Est enim hoc proprium christianae disciplinae, ut homines non metu coacti lucrive studio impulsi, sed sponte, omnia vitae officia obire, divinaeque voluntati obtemperare, et

humanis quoque legibus, nisi quum iubeant peccare, obsequi consuescant.

Quare neque in illo loco alterutrum pro interpretamento habendum est, et reliquis quoque locis N. T. πειθαρχεῖν est, iubenti vel suadenti obsequi et obtemperare. Act. V, 29. (excusant se Apostoli, quod interdicto non obsequuti fuerint, v. 27.) Act. XXVII, 21. Eodem modo ὑποτάσσεσθαι, nisi ubi habet vim passivam, de iis dicitur in N. T., qui *sponte* se subiiciunt et submittunt, magistratibus Rom. XIII, 1. 5 dominis Tit. II, 9. hominibus honore dignis 1 Cor. XV, 27, 28. humanitatis causa Eph. V, 21. maritis ibid. v. 22. imperio Christi ibid. v. 24. deo eiusque decretis, Rom. X, 3. Hebr. XII, 9. Iacob. IV, 7. Sed haec de his sufficiant. Nunc de aliis nonnullis synonymis dicamus, et primum quidem de vv.

βοηθεῖν· ἀντιλαμβάνεσθαι. ἐπιλαμβάνεσθαι.

quorum modo obiter mentio facta est.

Conveniunt, quatenus auxilium, s. opem ferre denotant. Sed differunt tamen. Nam βοηθεῖν latissime patet, ut nostrum *helfen*, *succurrere*, ἀντιλαμβάνεσθαι est *suscipere* curam, tutelam, causam, alicuius, *sich jemandes, einer Sache, annehmen*, ἐπιλαμβάνεσθαι est *iuvare* aliquem, uti nos, alia usi imagine, dicimus *beistehen*. (βοηθεῖν etiam bruta animalia et res aliae, sed ἀντιλαμβάνεσθαι et ἐπιλαμβάνεσθαι homines tantum dicuntur.)

Est igitur βοηθεῖν vere ferre auxilium, i. e. ope sua, viribus, consilio, fortitudine etc. subsidium, auxilium praestare; in v. ἀντιλαμβάνεσθαι et ἐπιλαμβάνεσθαι studium potissimum et animus auxiliandi cogitatur. Omnes medici ἀντιλαμβάνονται τῶν νοσούντων, sed non omnes βοηθοῦσι. Sed non opus est, ut significatio v. βοηθεῖν exemplis N. T. illustretur. V. ἀντιλαμβάνεσθαι in N. T. semper sic dicitur, ut a βοηθεῖν distingui possit. Luc. 1, 54. ἀντιλαβεῖν Ἰσραὴλ τοῦ παιδὸς αὐτοῦ. Non dixit, ἐβοήθει, nam succurrit quidem, sed frustra, ὁ παῖς enim non accepit auxilium, certe tunc incertus erat eventus. Sic etiam Act. XX, 35. δεῖ ἀντιλαμβάνεσθαι τῶν ἀσθε-

νούντων, nam curam eorum suscipere, succurrere possumus omnes, sed *βοηθεῖν* non semper possumus. Miror hanc significationem deseruisse plurimos interpretes in loco 1 Tim. VI, 2. *οἱ τῆς εὐεργεσίας ἀντιλαμβανόμενοι*. (Rectius Wahlius.) Fingunt nescio quam notionem percipiendi, sentiendi, fruendi, eiusque exempla afferunt parum idonea. Vid. Elsner. Observ. Sacr. ad h. l. et Wettsten. Ipse Schleusnerus deceptus est inepto scholio ad Thucyd. VII, 66. nam ibi nihil aliud, quam succurrere denotat. Speciosius est exemplum, quod ex Aeschinis Axiocho (1, 6.) affertur: *ὁ δὲ οὐκ ὢν οὐδὲ τῆς στερήσεως ἀντιλαμβάνεται*. Vertunt: non sentit; sed quidni vertamus: non curat; nihil enim ad eum pertinet. Locus quem ex Plut. Pericle affert Elsnerus alienus est; ibi enim iungitur cum accusativo. In altero loco Porphyrii de anim. abst. *πλειόνων ἡδονῶν ἀντιλήψεσθαι*, est quidem genitivus, sed eum postulabat *ἡδονή*. Nam *ἀντιλαμβάνεσθαι* et similia, si de eiusmodi rebus dicitur, quae animo aut sensibus percipiuntur, cum genitivo construitur. Eadem ratio est, cur medium ponatur. Praeterea qui verba, *τῆς εὐεργεσίας ἀντιλαμβανόμενοι*, intelligunt de iis, qui beneficia acceperunt, sive ad dominos sive ad servos referant, sententiam Apostoli pervertere videntur. Neque vero domini intelligi possunt; nam si verba *ὅτι πιστοὶ* etc. de dominis dicta essent, scribendum fuisset in antecedentibus: *μᾶλλον δουλευέτωσαν αὐτοῖς*. Sed si servos intelligamus, alienum est, hos quidem dominis christianis magis etiam servire, quia beneficia ab iis acceperint. Imo causa vera, cur servi christiani dominis, *ἀδελφοῖς*, debeant lubentius servire, haec est, quod ipsi sunt *πιστοὶ καὶ ἀγαπητοί*. Sunt autem *ἀγαπητοὶ οἱ τῆς εὐεργεσίας ἀντιλαμβανόμενοι*. Quare hoc quoque loco *ἀντιλαμβάνεσθαι* sic accipiendum puto, ut sit, curam habere, operam navare, ut recte vertit Wahlius. Sententia haec esse videtur: Qui servire dominis,(non christianis) coguntur, hos omni honore prosequantur (v. 1.). Sed qui christianos habent dominos, hos ne negligant, quia fratres (pares)

ipsorum sint, imo vero magis iis serviant, quoniam christiani sunt ipsi (servi) et dilecti (dominis) quippe beneficio operam dantes sedulo, i. e. studentes bene mereri de dominis. Clarior fiet sententia si oratione directa exprimatur: *ihr, die ihr christliche Herren habt, vernachlässigt sie nicht, weil ihr ihre Brüder seyd* (ineptum esset: *weil sie eure Brüder sind*); *vielmehr dient ihnen desto eifriger, weil ihr Christen* (*wie sie*) *und* (*von ihnen*) *geschätzt seyd, als Leute, die sich um sie verdient zu machen bemüht sind.* Haec est enim vis propria v. *εὐεργεσία*, unde *εὐεργετεῖν* est bene mereri de aliquo. Aristoph. Plut. v. 836.

— *κἀγὼ μὲν ᾤμην, οὓς τέως*
εὐεργέτησα δεομένους, ἕξειν φίλους
ὄντως βεβαίους —

Sic v. 913. 914. *τὴν πόλιν εὐεργετεῖν.* Dignissimus hic locus, quem sedulo inspiciant hodie, qui bene de republica mereri cupiunt. Servis *εὐεργεσίαν* erga dominos iam Homerus tribuit Odyss. XXIII, 374. Apud Thucydidem I, 137. Themistocles Regi scribit: *καί μοι εὐεργεσία ὀφείλεται, καὶ νῦν ἔχων σε μεγάλα ἀγαθὰ δρᾶσαι, πάρειμι.* Itaque *ἀντιλαμβάνεσθαι εὐεργεσίας* est, sedulo curare ut bene merearis.

V. *ἐπιλαμβάνεσθαι*, eo sensu, ut denotet iuvare aliquem, vix differre a praecedenti videri possit. Sed si propriam eius vim diligentius consideramus, etiam discrimen apparet. Est enim *apprehendere*, nostrum *anfassen, ergreifen, zugreifen.* Dicitur *ἡ χεὶρ ἐπιλαμβάνεσθαι, ἐπιλαβεῖν τῇ χειρί.* Sed *ἐπιλαμβάνεσθαί τινος* (nulla ellipsi) est aliquem apprehendere. Sic saepius dicitur in N. T. etiam 1. Tim. VI, 12. 19. et Hebr. VIII, 9. Hinc improprie de auxilio ferendo est, veluti prehensum manu iuvare, in quo manifesto aliud quid cogitatur, quam in *ἀντιλαμβάνεσθαι*, indicat enim praesens auxilium s. operam, qua quis iuvatur labore aut periculo. Sic dicitur Hebr. II, 16. *οὐ γὰρ δήπου ἀγγέλων ἐπιλαμβάνεται, ἀλλὰ σπέρματος Δαβίδ.* Neque alio sensu acci-

piendum videtur Act. IX, 27. *Βαρνάβας δὲ ἐπιλαβόμενος αὐτὸν ἤγαγε πρὸς τοὺς ἀποστόλους.* Interpretati sunt multi, qui eum hospitio exceperat, sed nullum huius significationis exemplum attulerunt, neque vero reperturi sunt. Praeterea scribendum fuisset *Βαρν. δὲ, ὁ ἐπιλαβόμενος αὐτόν*, non poterat abesse articulus; sed *αὐτόν* ad *ἤγαγεν* referendum est, ex frequenti attractione, *ἐπιλαβόμενος (αὐτοῦ) ἤγαγεν αὐτόν.* Mihi quidem haec Lucae sententia videtur: Quum Paulum timerent discipuli, ut is frustra se iis adiungere studeret, Barnabas eum adiuvit et ad illos adduxit, *er stand ihm bey und führte ihn zu den übrigen.* Ceterum *ἐπιλαμβάνεσθαι* sensu opitulandi s. iuvandi non memini alibi dici; saepe tamen *συνεπιλαμβάνεσθαι*, apud Lucianum, ipsumque Herodotum et Thucydidem, vid. Hemsterhus. ad Lucian. I. Prometh. p. 196. Schol. ad locum Aeschyli praestantissimum Pers. v. 739. verba: *ὁ θεὸς ξυνάπτεται*, explicat: *ὁ θεὸς αὐτοῦ ἐπιλαμβάνεται.* Serioris est graecitatis; occurrit apud Siracid. IV, 12. Optime interpretatus est Ernesti in Ep. ad Hebr. II, 16. Dicitur in utramque partem ut lat. *vindicare.*

ἐναντίοι: (ὑπεναντίοι) ἐχθροί· ἀντιδιατιθέμενοι· ἀντιλέγοντες· ἀντίδικοι· ἀντικείμενοι· ἀντιτασσόμενοι.

Tanta est inimicorum et adversariorum multitudo et diversitas, sed tanta etiam amicorum raritas, ut omnes fere linguae abundent nominibus, quibus illi designentur, sed amicorum paucissima nomina habeant. Graeca lingua unum tantum proprium *φίλων* nomen habet, sed plurima inimicorum, ex quibus, quae in indice leguntur, in libris N. T. reperiuntur.

Ἐναντίος, quod proprie contrarium, adversum denotat, latissime patet, neque in se hostilis animi aut odii notionem habet, sed simpliciter significat hominem, qui non est *μεθ' ἡμῶν*, adversarium, *Gegner.* In N. T. semel tantum de hominibus 1 Thess. II, 15. *πᾶσιν ἀνθρώποις ἐναντίων*, qui *omnibus* adversantur, in quo

perversitatis notio est. Sed Tit. II, 8. ὁ ἐξ ἐναντίας nullam habet significationem animi hostilis. Occurrit etiam ὑπεναντίος Coloss. II, 14. Hebr. X, 27. quod non incommode vertitur adversarius clandestinus.

In v. ἐχθρός manifesta est notio odii et animi hostilis, *Feind.* Sunt qui in N. T. dicant ἐχθρόν significare scelestum, flagitiosum, improbum, praesertim ἐχθροὺς θεοῦ, sed falluntur. Rom. V, 10. ἐχθροὶ ὄντες sunt quidem iidem qui v. 8. ἁμαρτωλοί dicuntur, sed non significant flagitiosos, sed homines perverso animo adversantes deo, ut docent quae sequuntur. Dicit enim: ἐχθροὶ ὄντες κατηλλάγημεν. Haec autem καταλλαγή non dei sed hominum est, ut alio loco demonstravi. Sic etiam Coloss. II, 21. non flagitiosos denotat, sed homines ἀπηλλωτριωμένους, et mente sua adversantes deo. Sed ἐχθροὶ θεοῦ non dicuntur in N. T. Deus enim non odit homines, ne pessimum quidem. Verissime Paulus Rom. VIII, 7. τὸ φρόνημα τῆς σαρκὸς, ἔχθρα εἰς θεόν, quod pessime quidam interpretantur odiosum deo, quamquam idem Paulus aeque vere addit v. 8. οἱ ἐν σαρκὶ ὄντες θεῷ ἀρέσαι οὐ δύνανται. Scilicet sunt, qui perinde habeant omnia neque dubitent, quin ἔχθραν εἰς θεόν et ἔχθραν θεοῦ, ἐχθρὸν εἶναι θεοῦ et τῷ θεῷ idem significare putent. Graeci hominem invisum diis non ἐχθρὸν θεῶν, sed ἐχθρὸν τοῖς θεοῖς vocant. Sophocl. Oed. R. v. 1336. Rem clarissimam reddit locus Iacobi IV, 4, 5. ἡ φιλία τοῦ κόσμου ἔχθρα τοῦ θεοῦ ἐστιν· ὃς ἂν οὖν βουληθῇ φίλος εἶναι τοῦ κόσμου ἐχθρὸς τοῦ θεοῦ καθίσταται. i. e. qui consuevit amare mundum, non potest amare deum, nam amor mundi adversatur amori dei.

Verba quae sequuntur, varios exprimunt modos, quibus aut adversus aut hostilis animus conspicitur. Ac primum quidem

ἀντιδιατιθέμενοι sunt, qui diversam sententiam fovent, *Andersgesinnte*, qui non vituperandi quidem et obiurgandi, sed, si errant, leniter erudiendi sunt. Itaque recte monet Paulus 2 Tim. II, 25. ἐν πραότητι παιδεύειν τοὺς

ἀντιδιατιθεμένους. Compositum hoc ex hoc tantum loco affertur. Sed bene habet. διατιθέμενοι saepissime dicuntur, qui animo quocunque modo, εὐ, κακῶς, δεινῶς etc. affecti sunt. Itaque ἀντιδιατιθέμενοι sunt, quibus est mens contraria, qui dissident animo. His propinqui sunt

οἱ ἀντιλέγοντες, qui verbis repugnant, contradicunt, obloquutores. Act. XIII, 45. ἀντιλέγοντες καὶ βλασφημοῦντες. Graviorem reprehensionem habet Ioh. XIX, 12. ἀντιλέγει τῷ Καίσαρι. Paulo lenius Lutherus reddidit, *der ist des Kaisers Freund nicht.* Verum qui nobis contradicunt, hi quidem saepissime pro inimicis haberi, atque nos iniuria afficere videntur; sunt enim pauci, qui contradicentes ferant aequo animo. Sed multo magis inimici esse videntur

οἱ ἀντίδικοι, qui causam contra alios agunt, litigantes, *Widersacher*. Sic Matth. V, 25. Luc. XII, 58. XVIII, 3. Et 1 Petr. V, 8. διάβολος dicitur ἀντίδικος, tamquam obtrectator hominum apud Deum, ex Iudaeorum quidem sententia. Plerumque obtrectare nobis iniuria videntur, qui lite contra nos contendunt, ideoque in malam partem ἀντίδικος sumitur. Xenoph. Apol. 20, 25: sed possumus etiam περὶ δικαίων ἀντιδικεῖν. Xenoph. Memor. IV, 4, 8.

Denique etiam ἀντικείμενοι et ἀντιτασσόμενοι differunt. Nam ἀντικείμενοι sunt, qui a parte contrarii sunt, quasi ex adversa parte siti, ἀντιτασσόμενοι, qui veluti in acie resistunt neque verbis tantum sed factis repugnant. Luc. XXI, 15. πάντες οἱ ἀντικείμενοι ὑμῖν, qui contra vos contendunt, adversarii. Ita etiam 1 Cor. XVI, 9. sunt, qui sese obiiciunt atque impediunt, quo minus διὰ τῆς θύρας intrare possit. Et Philipp. II, 28. πτυρόμενοι ὑπὸ τῶν ἀντικειμένων, sunt, qui eos, qui sese obiiciunt, reformidant. Talis est etiam ignotus ille ἀντικείμενος. 2 Thess. II, 4. Quamquam latiori quoque sensu, de quocunque adversario dici videtur. v. c. 1 Tim. V, 14. et Luc. XIII, 17. Sed in v. ἀντιτάσσεσθαι inesse aliquid amplius videtur, quam obiicere se et impedire.

ἀντιτασσόμενοι sunt, qui in adversa acie stantes, oppugnant et adgrediuntur. Sic Rom. XIII, 2. ὁ ἀντιτασσόμενος τῇ ἐξουσίᾳ non est tantum, qui non obedientiam promtam magistratui praestat in rebus omnibus, sed qui auctoritatem magistratus iustam et debitam laedit et adgreditur, ac veluti bellum gerit cum magistratu. Xenoph. Cyrop. III, 1. 10. πόλιν ἀντιταττομένην πρὸς ἑτέραν, ἥτις, ἐπειδὰν ἡττηθῇ, παραχρῆμα ταύτῃ, ἀντὶ τοῦ μάχεσθαι, πείθεσθαι θέλει. Act. XVIII, 6. de iis dicitur, qui verbis resistebant et Apostolum adgrediebantur et oppugnabant, ἀντιτασσομένων καὶ βλασφημούντων. Sic etiam a Graecis elegantoribus dicitur. Nec potest dubitari, fortius quid in ἀντιτάσσεσθαι cogitari, quam in ἀντικεῖσθαι. De deo dicitur Iac. IV, 6. et 1. Petr. V, 5. secundum Alexandrinos, τοῖς ὑπερηφάνοις ἀντιτάσσεται, ubi respondet hebr. יָלִיץ, i. e. superborum consilia irrita reddit, cui recte opponitur: τοῖς δὲ ταπεινοῖς δίδωσι χάριν. Proverb. III, 34. In loco obscuriori Iac. V, 6. κατεδικάσατε ἐφονεύσατε τὸν δίκαιον· οὐκ ἀντιτάσσεται ὑμῖν, de quo valde disceptarunt interpretes, mihi quidem aut passive sumendum esse videtur, ut sit: non rependitur vobis malum quod fecistis, aut potius: non rependit vobis, sc. ὁ δίκαιος, non ulsciscitur, s. ulsciscetur. Etenim τὸν δίκαιον esse Christum, dubitari non potest; hunc necaverant Iudaei, ergo habebant eorum populares, ad quos scripsit Iacobus, quod vindictam metuerent. Concitata est et brevior oratio. Nam hoc certum est, in his verbis quaerendam esse aliquam consolationem: additur enim statim: μακροθυμήσατε οὖν. Exprobraverat scelera, vitamque nequitiosam, satis acerbe, summum erat, τὸν δίκαιον ἐφονεύσατε ..... μακροθυμήσατε οὖν. Videt quisque in verbis interiectis esse debere causam, cur tamen possint μακροθυμεῖν, i. e. patienter ferre praesentia mala usque ad παρουσίαν τοῦ κυρίου. Quod si vindicta adhuc metuenda fuisset, non exspectare laeti, sed reformidare τὴν παρουσίαν debuissent. Itaque his verbis metus tollitur; non ulsciscitur ὁ δίκαιος scelus, i. e. non

ulsciscetur; saepissime enim in eiusmodi oratione praesens pro futuro. Simillimus est, si codicibus fides habetur, locus apud Euripidem Suppl. V. 1150. (1143.)

ἆρ' ἀσπιδοῦχος ἔτι ποτ' ἀντιτάσσομαι
σὸν φόνον; —

scil. *τιμωρήσων*. Canterus ex coniectura *ἀντιτίσομαι*. Hoc quidem loco vindictae notio ex sequentibus apparet, *ὅταν ἔλθοι δίκα πατρῷος*, sed apud Iacobum ex antecedentibus colligitur.

ἀχρεῖοι· ἄχρηστοι.

Lutherus *ἀχρείους δούλους* Luc. XVII, 10. reddidit: *unnütze Knechte.* item Matth. XXV, 30. Eodem voc. expressit *ἄχρηστον* ad Philem. v. 11. ubi opp. *εὔχρηστον*. Ille quidem recte, nam illud voc. utrumque denotare potest. Sed Theologi, qui priori loco interpretantur servos non magni momenti, veluti quorum opera et studium nullum pretium habeat, hi quidem a vera sententia Domini longe aberrarunt. Quid enim? Exemplum servi proponitur: is, quum finito labore, impiger (*εὐθέως*) ex agro rediisset ad herum, hic non statim eum ad coenam admittit, sed antea sibi cibos parare, coenantique ministrare iubet. Quod quum ille fecisset, nullam, dicit, gratiam herum habiturum ei videri, licet omnia *τὰ διαταχθέντα* recte fecerit. Ita igitur vos quoque *λέγετε, ὅτι δοῦλοι ἀχρεῖοι ἐσμέν.* Sed is profecto non est homo nullius pretii, vilis, qui strenue omnia *τὰ διαταχθέντα* fecerit. Sin minus, *ἄχρηστον* potius diceremus. Imo causam addit, cur *ἀχρείους δούλους* se existimare debeant, nimirum, quod fecerint, quod facere debebant. Sed qua tandem ratione postulemus, ut is, qui recte fecerit, quae debet, se inutilem, vilem, nullius pretii servum esse existimet? Scio quidem, *ἀχρεῖον* saepe cum *ἀχρήστῳ* permutari, ideoque eodem modo reddi a Lexicographis. Sed hoc tamen manifestum est, in isto loco, *ἀχρεῖον* non esse hominem nullius pretii, inutilem, vilem. Est autem ut mihi quidem videtur *ἀχρεῖος* proprie, *οὗ οὐκ ἔστι χρεία*,

seu potius χρέος, quo non opus est; sed ἄχρηστος, quo uti recte non possumus, quia nullum usum praebet, incommodus, inutilis: ἀχρεῖος est *entbehrlich*, (cui nihil debeas,) ἄχρηστος *unbrauchbar*, *unnütz*. Festive Paulus ad Philem. l. c. Onesimum, ad nomen eius alludens, olim ἄχρηστον fuisse dicit, nunc autem εὔχρηστον esse. Sed recte etiam servus ille Matth. XXV, 30. ἀχρεῖος dicitur, quamquam fuerat ἄχρηστος, πονηρὸς καὶ ὀκνηρός, nam qui operam non praestat, eo non opus est. Doederlinus Lection. Homer. Spec. I. eo differre putat, quod ἄχρηστος plerumque de rebus, sed ἀχρεῖος de animantibus dicatur; sed falli virum doctum plurima exempla docent.

De v. ἄχρηστος quum nulla sit dubitatio, quin inutilem (ac deinde πονηρόν potius quam χρηστόν) denotet, h. l. tantum de v. ἀχρεῖος dicemus. Est autem compositum, ut modo dixi, non ex χρεία, hoc sensu, ut usum, χρῆσιν, denotet, sed potius ex χρέος s. χρείος. (χρειώ apud Homerum) quo sensu χρεῖα quoque dicitur. Hinc ἀχρεῖος hanc primam significationem habere videtur, ut denotet rem, qua non opus est. Occurrit bis apud Homerum hoc sensu: Iliad. II. v. 269. ἀχρεῖον ἰδών, et Odyss. XIII. v. 162. ἀχρεῖον ἐγέλασσεν, de quibus vid. inprimis Doederlin. l. et Eustath. p. 217. 25. sq. Scholiasta Ambros. p. 498. ed. Buttm. ad locum Odysseae, ἄκαιρον, μηδενὸς προκειμένου (χρέους), ἀχρειῶδες, οὐδὲ πρὸς χρείαν ἁρμοζόμενον. In utroque loco denotare Scholiastis videtur quod non debebat, quia hoc loco et tempore non debebat et fieri, ut nos dicimus *das war nicht nöthig*, indicantes, quidquam praeter quam oportebat, ideoque inopportune, indecenter, factum esse. Sed certe non convenit loco alteri, ubi Penelope ἀχρεῖον ἐγέλασσε. Rectius dicatur, risum fuisse simulatum, non verbis convenientem. Neque male Eustathius p. 1842. 25. Imitatus est incertus poeta in Epigrammata Anal. Br. III. p. 165. Theocrit. Id. XXV, 70. sq. de canibus: — τὸν δὲ γέροντα

ἀχρεῖον κλάζον τε περίσσαινόν θ' ἑτέρωθεν,

ubi potius est blande (non serio) allatrare, quam feroci-

ter. Apud reliquos scriptores, quamquam saepius ἀχρεῖος idem quod ἄχρηστος denotat (nam quod ἄχρηστον est, eius οὐδὲ χρέος esse solet,) tamen in multis locis propria etiam potestas apparet. ἀχρεῖον καὶ ἀνωφελὲς iunguntur apud Xenoph. Memor. I, 2. 54. Etiam apud Thucyd. I, 84. τὰ ἀρχεῖα sunt res, quibus non opus est, et II, 6. urbe cum feminis et pueris emissi dicuntur οἱ ἀχρειότατοι, *die Entbehrlichsten*, quibus non opus erat. Omnino in v. ἄχρηστος non inest tantum notio negativa, quam vocant, (οὐ χρήσιμον) sed adiecta est plerumque contraria τοῦ πονηροῦ, quod non tantum nihil prodest, sed etiam damnum affert, molestum et damnosum est. Apud Xenoph. Hier. 1, 27. γάμος ἄχρηστος non est inutilis, sed molestissimus, et in Oecon. 8, 4. Sed in v. ἀχρεῖος per se nulla inest nota reprehensionis, tantum denotat rem aut hominem, quo non opus est, quo supersedere possumus, *unnöthig*, *entbehrlich*, quae ipsa tamen raro sine vituperatione dicuntur. Nam humana superbia etiam ex eo cognoscitur, quod, qui vix officio suo satisfecerint, hi alios sua opera carere non posse putent, ideoque maxima praemia suo sibi iure repetere videantur. Hinc perpetuae illae querelae hominum, qui pro merito suo non satis se beatos huius vitae bonis putant, atque virtutis suae perpetua praemia ab ipso deo exposcunt. Scilicet non intelligunt, homines, etiamsi omnibus officiis et mandatis dei satisfecerint, tamen nihil amplius requirere praemii loco posse, sed in recte factorum conscientia acquiescere debere, quippe quod recte agendo non deo gratificati fuerint, sed officiis suis functi sibi ipsis gratum fecerint, ideoque postulare non possint, ut deus ipsis habeat referatque gratiam, quasi beneficium acceperit: ipse enim gratificatur hominibus, non gratum facit. Monuit igitur amicos suos, ut ἀρχείους δούλους se ipsi existimarent, non quod inutiles s. ignavi servi sint aut a deo habeantur, sed quod deus nullam iis gratiam debeat: deus enim οὐ προςδέεταί τινος, (Act. XVII, 25.) neque accipit ab hominibus beneficium, cuius gra-

tiam habeat. Quare dixit v. 9. herum servo non ἔχειν χάριν, i. e. non habiturum esse gratiam, quod est eorum, qui acceperunt beneficium, ideoque hominibus quidem, non autem deo convenit. Verba Lutheri ambigua sunt (ex usu quidem vulgari) sed tamen sensum recte exprimunt, ut *danken* sit, aliquid pro beneficio acceptum habere, quod est ἔχειν χάριν. Iniquissimus fuerit herus, qui servum, omnibus officiis impigre perfunctum, pro servo inutili, neque ita magni pretii, habeat (quae superbia etsi in huius terrae dominis reperiatur, certe non deo convenit;) sed iure tamen suo postulat haec munera, servumque, nisi ποιῇ τὰ διαταχθέντα, merito punit, servum tamen, quamvis gratum fecerit hero, tamen quod fecit, non pro beneficio, sed pro debito habere decet. Neque herus iniustus est, quod non ἔχει χάριν, i. e. non pro beneficio accepto habet, quamquam ipse servum non ἀχρεῖον putet, i. e. hominem qui praemium postulare non possit, quia tantum quod debebat, fecit, deus enim οὐ χρεῖαν ἔχει τινός, neque ab hominibus θεραπεύεται. Sed rara haec hominum modestia, ideoque tanto frequentior esse solet μεμψιμοιρία.

βόσκειν· ποιμαίνειν.

Ioh. XXI, 15. 17. βόσκε τὰ ἀρνία μου. Non casu hoc uno loco βόσκειν dicitur, quum alias ποιμαίνειν dicatur. Nam in v. βόσκειν inest tantum notio pascendi i. e. nutriendi, (unde grex βοσκομένη *die weidende Heerde.*) Sed ποιμαίνειν non tantum est pascere, sed etiam ducere, custodire, curare gregem. Recte Lutherus: *weide meine Lämmer.* Ipse Dominus est ὁ ἀρχιποιμήν 1 Petr. V, 4. Sed gregis cura in his terris demandanda erat Apostolis; itaque statim addit: ποίμαινε τὰ πρόβατά μου. Hinc saepius de iis, qui praesunt ecclesiae v. c. Act. XX, 28. 1 Petr. V, 2. Non excluditur tamen notio pascendi ut in ep. Iudae v. 12. ἑαυτοὺς ποιμαίνοντες. Antiquissima haec imago. Notissimi ποιμένες λαῶν apud Homerum. Aeschylum reges ποιμάνορας dixisse, iam H. Stephanus no-

tavit. Extat Pers. v. 239. Idem ποιμανόριον dixit gregem hominum, seu potius exercitum Pers. v. 73. Utrumque autem verbum, si etymon spectes, a pascendo quidem derivatum videtur; neque tamen deest ratio discriminis. Nam in v. βόω, unde est βόσκω, inest universalis notio nutriendi, unde etiam de hominibus dicitur, sed ποιμαίνειν proprie est herbis (ποίᾳ) pascere, quod gregibus convenit, neque usquam de hominibus *proprie* dictum reperitur. Sed improprie ποίμνη et ποιμνίον de hominibus commode dictiur, ut grex apud nos *Heerde.* Lucian. II. Amor. p. 457. de philosophis supercilia contrahentibus: σεμνῶν ὀνομάτων κομψεύμασι τοὺς ἀμαθεῖς ποιμαινέτωσαν. Idem III. adv. Indoct. 3. p. 112. musarum cultores ποιμνία vocat. Sed non opus est pluribus.

Sed haec nunc quidem hactenus. Indicenda est enim solemnis oratio, qua viri Generosissimi et Illustris C. F. Kregelii a Sternbach, Senatoris quondam Lipsiensis amplissimi, qui theologorum iurisconsultorum et medicorum ordd. satis larga, quibus bini a singulis deinceps studiosi iuvarentur, stipendia legavit, grata memoria pie recoletur. Quod quum anni superioris temporibus intermissum, etsi hoc ipso anno dies solemnis, quo ex hac vita vir meritissimus decessit, iam occupatus sit, suo tamen officio alumnorumque pietati theologorum ordo deesse nolui. Etenim hac aetate nostra, incertae vitae dubiis fragilibusque bonis unice fere intenta, rerumque perditarum sensu metuque perturbata, egregiae in literas liberalitatis quo rariora facta sunt exempla, tanto maiori religione eorum decet memoriam conservare, qui literarum studio, quo ipsi olim clarissimi verissimos vitae humanae fructus percepissent, inter posteros alendo iuvandoque benignissime prospexerunt.

P. P. Dom. XV. p. Trin. a. Dom. MDCCCXXXI. in Vnivers. Lipsiensi.

DISPUTATIO DE LOCIS

Matth. X, 34. 35. et Lucae XII, 49 — 51.

Quum nuper de hoc libello scribendo cogitarem, *cives carissimi,* incidi in librum quendam plenum querelarum de perpetua discordia in ecclesia Christi. Lutherum enim infaustis superbiae suae studiis non tantum universam ecclesiam, ad seculum usque XVI. mirifica unitate beatam, dilacerasse, sed etiam inter omnes, qui, spreta divinae magistrae auctoritate, in doctrina christiana suum ingenium sequi decrevissent, perpetuas animorum contentionis opinionumque dissensionis causas sparsisse, neque ullam pacis restituendae spem relictam esse, ipsiusque ecclesiae labentis et prope cadentis ruinam fulciri posse, nisi ad communem matrem redierint omnes, qui nunc tamquam oves fido pastore relicto in deserto vagentur. Ecquis autem est, quin eiusmodi querelas audiverit, praesertim hac nostra aetate, quae, quum odiis, discordiis dissidiisque flagret, multis iisque cordatis viris ob perpetua theologorum certamina et christianorum ipsorum diversissima studia multo etiam miserior esse videtur? Sed venit mihi tunc in mentem illius loci, quo ipse Dominus ita eventurum esse praedixit Matth. X, 34. et Luc. XII, 49. sequ., et quamquam bene intelligerem, Dominum proprie de tempore, quod proxime immineret, loquutum esse, operae pretium tamen me facturum putavi, si veram eius sententiam diligentius exploraverim. Nam

quum in eo simus, ut natalium J. Ch. memoriam pia mente celebremus, fieri non potest, quin, coelestem illam vocem: δόξα ἐν ὑψίστοις θεῷ καὶ ἐπὶ γῆς εἰρήνη, repetentes, rerumque humanarum conditionem intuentes, de causis discordiae illius acrius cogitemus.

Videtur autem Dominus bis diversis temporibus de futura animorum dissensione loquutus esse; certe diversa dicendi occasio fuit. Nam apud Matthaeum quidem X, 34. sq. haec dixisse narratur ad Apostolos, quos modo elegerat (v. 1. sq.). Hos igitur postquam monuerat, ut inter magna, quae ipsis imminerent, pericula bono animo essent, confiderentque tutelae divinae neque causam ipsis traditam desererent, praedixit fore, ut summa rerum perturbatio et gravissima dissidia orirentur. Μὴ νομίσητε, ὅτι ἦλθον βαλεῖν εἰρήνην ἐπὶ τὴν γῆν· οὐκ ἦλθον βαλεῖν εἰρήνην, ἀλλὰ μάχαιραν. ἦλθον γὰρ διχάσαι ἄνθρωπον κατὰ τοῦ πατρὸς αὐτοῦ. κ. τ. λ. Deinde finita admonitione, cum Apostolis Galilaeam peragravit, XI. 1. col. Marc. VI, 1. Sed secundum Lucam alio tempore haec dixisse Dominus videtur. Narrat is enim, Iesum Apostolos elegisse, Cap. IX, v. 1. eosque exiisse et rediisse v. 6, 10., deinde Dominum cum Apostolis per Samariam iter fecisse, ut Hierosolymas profisciseeretur, IX, 51. sq. tum alios LXX discipulos elegisse X, 1. sq. atque in Galilaeam profectum esse. De his septuaginta discipulis nihil habet Matthaeus: sed quae Lucas iis dixisse Dominum narrat X, 3. sq., ea secundum Matthaeum τοῖς δώδεκα dicta sunt X, 9. sq. Lucas autem Cap. XII. narrat, Dominum coram ingenti hominum multitudine πρὸς τοὺς μαθητάς verba fecisse, (1. sq.) eosque etiam de imminente rerum perturbatione monuisse: (v. 49. sq.) πῦρ ἦλθον βαλεῖν εἰς τὴν γῆν. καὶ τί θέλω εἰ ἤδη ἀνήφθη; βάπτισμα δὲ ἔχω βαπτισθῆναι, καὶ πῶς συνέχομαι, ἕως οὗ τελεσθῇ; Δοκεῖτε ὅτι εἰρήνην παρεγενόμην δοῦναι ἐν τῇ γῇ; οὐχί, λέγω ὑμῖν, ἀλλ' ἢ διαμερισμόν. κ. τ. λ. Constat vero, Evangelistas non eundem ordinem servasse, et Lucas inpri-

mis tantum in summa rerum enarranda temporis rationem habuisse, singula autem dicta Domini plurima commentariis suis eo loco, quo in mentem veniebant, inseruisse videtur. Neque ad verborum, de quibus nunc quidem quaerimus, veram sententiam intelligendam interest quidquam haec diversitas. Nam sive semel tantum sive bis illa dixerit Dominus, certum est tamen, ea dicta esse eodem consilio ad μαθητάς, ut horum animi ad futura pericula fortiter subeunda atque ad odia et persequutiones hominum quippe non inexspectatas, constanter perferendas, praepararentur.

Quid sit, quod eventurum esse praedixit Dominus, haud obscurum est. Hoc unum dubium videri possit, utrum dissensio illa et veluti bellum omnium contra omnes, quod oriturum esse dicitur, domesticum an civile sit. Mihi quidem Dominus eam animorum dissensionem indicasse videtur, quae ex diversis de doctrina christiana opinionibus gentis Iudaicae oriebatur, non autem publicam civium discordiam, illosve tumultus, qui denique in exitiosum illud bellum exarserunt, quo ipsa Hierosolyma conflagravit. Nam huius civilis quidem discordiae origines non in doctrina Apostolorum de Christo servatore quaeri possunt; sed fieri non poterat, quin ex diversis hominum de hac doctrina sententiis domesticae irae, simultates et pugnae orirentur. Neque ab illis sed ab his metuendum erat Apostolis, quorum munus tanto maiorem prudentiam constantiamque desiderabat, quo magis homines, quibus tradenda erat doctrina, in varias opiniones distracti et atrociori, quod Judaeis proprium fuit, patriae religionis studio incensuri erant. Et quamquam in eiusmodi descriptionibus singulae rerum imagines non argutius explicandae sunt, manifestum est tamen, domestica et privata potius quam civilia certamina describi; nam de his longe alia ratione Dominus loqutus est. Sed, quod summum est, Dominus horum dissidiorum causam se ipsum esse dixit; fuit autem per doctrinam, quam propagare iusserat Apostolos; unde sequitur, eum hanc ipsam discordiam

ob doctrinam suam orituram, hominumque arctissimis vinculis coniunctorum dissociationem, iras mutuas et proditiones praedixisse. Tale enim futurum erat tempus, quale a Micha praedictum fuerat, cuius verbis (Cap. VII. v. 6.) ipse Dominus apud Lucam *v.* 52. usus est. Sed quoniam saepissime fit, ut aliorum, quos ipsi ament, amore abducti, peiores partes, quas illi defendunt, sequantur homines, apud Matthaeum gravissima admonitio adiecta est: *ὁ φιλῶν πατέρα ἢ μητέρα ὑπὲρ ἐμὲ, οὐκ ἔστι μου ἄξιος· καὶ ὁ φιλῶν υἱὸν ἢ θυγατέρα ὑπὲρ ἐμὲ, οὐκ ἔστι μου ἄξιος.* Hortatur enim omnes asseclas suos (*μαθητάς*) ut in munere propagandi evangelium omnes odii atque amoris causas spernant, eoque in maxima dissensione constanter fungantur.

Deinde etiam hoc manifestum est, quod Dominus dixit *ἦλθον βαλεῖν πῦρ, οὐ παρεγενόμην δοῦναι εἰρήνην, οὐκ ἦλθον βαλεῖν εἰρήνην*, id non de consilio et voluntate Domini, sed de eventu, quem evangelii propagatio habitura erat, intelligi posse. Quod quum ab omnibus concedi debeat, tum in eo haerere quidam videntur, qui flat, ut formulae *ἦλθον, παρεγενόμην βαλεῖν* non consilium sed eventum denotent. Dicunt plerumque, eiusmodi formulas (qualis est etiam illa *ἐγένετο-ἵνα*) proprie quidem consilium denotare, sed saepius secundum rei indolem, (et contextu quem dicunt.) de eventu, *ἐκβατικῶς*, intelligi debere. Sed quoniam haec opinio non satis mihi explorata videtur, liceat mihi de infinitivi, quum verbis additur, significatione quaedam dicere; de ista formula alio loco dicendum est. Est autem haec infinitivi natura, ut ipsum tantum praedicatum, (quod dicunt) indicet, non autem definiat modum, quo praedicatum ipsum, tamquam obiectum, ad aliquod subiectum referri cogitatione debeat. Grammatici Graeci *ἀπαρέμφατον* dixerunt, quod nihil *παρεμφαίνει*, i. e. simul significat *καθ' ἑαυτήν* nisi praedicatum seu rem ipsam, cuius notio verbo inest; latini infinitivum, quia per se rei modum non definiat. Ex quo fit, ut si infinitivus verbo iungatur, cuius mo-

dus finitus est, per se quidem modus et ratio praedicati et subiecti non definita sit, sed partim ex notione, quae verbo finito inest, partim ex toto verborum nexu cognosci debeat. Et ab initio quidem, quum rudis esset lingua graeca, haec ambiguitas, ut in reliquis linguis, minus offensionis habere poterat, sed postquam melius exculta est, Graeci scriptores, infinitivum nunquam coniunxerunt verbo, nisi in huius verbi notione certa subiecti et praedicati notitia inesset. Scripserunt igitur: *θέλω λέγειν, γράφειν, βούλομαι λαὸν σαὸν εἶναι, ζητῶ ἀποκτεῖναι,* etc., quia in verbis *θέλω, βούλομαι, ζητῶ* inest notitia voluntatis in aliquam rem propensae, ita ut qui dicat, *βούλομαι σώζειν, θέλω γράφειν,* is rem ipsam, quam vult, ostendat, ideoque voluntatis suae obiectum, seu consilium suum declaret. Sed si in verbo finito haec certa voluntatis s. consilii notitia non inest, non infinitivum, sed participium aut praepositionem vel coniunctionem posuerunt. Certe non memini apud accuratum scriptorem graecum verbum cum infinitivo iunctum legi, si ambigua futura fuisset utriusque verbi relatio. Nam quum in infinitivo modus, quo praedicatum cum subiecto coniunctum sit, non significetur, sequitur ut, nisi in altero verbo eius notitia reperiatur, ambigua dicentis sententia fiat, quod gravissimum orationis vitium Graecos diligenter vitasse inter omnes constat. Sunt autem multa verba, in quibus nulla certa inest notio modi, quo subiectum cum praedicato coniunctum cogitari debeat; quae si cum infinitivo coniunguntur, in quo indefinita tantum praedicati notio inest, fieri non potest, ut vera ratio intelligatur. Ex horum numero haec ipsa verba sunt, quae actionem vel conditionem aliquam subiecti indicant, cujusmodi sunt *ἔρχομαι, ἥκω, παραγίνομαι, πάρειμι, ἀνίσταμαι* et alia. Nam qui *ἔρχεται*, is aut causam et consilium, cur veniat, habere dicitur, aut res ipsa, quae cum eius adventu, tamquam effectus cum causa coniuncta cogitatur, indicari potest. Itaque infinitivus si verbo additur, rem ipsam quidem denotat, quae adventum sequuta est, sed utrum

is eam ob rem venerit, an res ipsa praeter voluntatem eius acciderit, in dubio relinquit. Quare Graeci, qui accurate loquuntur, quum consilium cogitari volunt eius, qui fecisse aliquid, aut advenisse, adesse etc. dicitur, rem ipsam; quam ille voluit, non infinitivo, sed aut participio aut praepositione exprimunt. Sed in sermone vulgari et apud seriores scriptores usus infinitivi negligentior esse solet, quemadmodum etiam populares nostri, quorum lingua patria non satis exculta est, verbis iungere infinitivos solent, licet ambiguum sit, utrum consilium an eventum indicare velint. Quae quidem negligentia hanc excusationem habet, quod consilii atque eventus notiones ita fere semper coniunctae sunt, ut causae et consilii notio permutetur. Atque haec ipsa causa est, cur particulae, quae causales vocantur, (ἵνα, ὥστε, nostrae *damit*, *dass*) de consilio et de eventu promiscue usurpentur ab his, qui non accurate loquuntur. Quod quamquam a viris, quorum lingua exculta est, rarissime fiat, saepissime tamen in vitae communis usu deprehenditur; satis enim habent homines rudiores, sententiam suam utcunque expressisse, et quoniam, quid sibi velint, ipsi sciunt, verbis et formulis ambiguis utuntur, quarum sententiam ipsi tamen intelligunt. Hinc factum est, ut labente graeci sermonis elegantia, scriptores verbis infinitivos promiscue iungerent, sive consilium sive causam exprimere vellent, quod boni scriptores non fecerunt. Hi enim ubi infinitivo utuntur, nunquam obscurum est, utrum in praedicato, quod infinitivo inest, eventus an obiecti s. finis notio cogitanda sit; imo in eiusmodo loquutionibus, si ex ipsa verbi finiti notione intelligi vera ratio non potest, ut in verbis θέλω, ζητῶ, αἰτῶ, βούλομαι etc., infinitivo non finem sed eventum exprimunt. Non obstat locus apud Thucydidem Lib. 1, c. 50. πρὸς τοὺς ἀνθρώπους ἐτράποντο, φονεύειν διεκπλέοντες μᾶλλον ἢ ζωγρεῖν. Nam sive ab ἐτράποντο, sive a διεκπλεύσαντες regantur infinitivi, non est tamen obscurum, de consilio facti sermonem esse. Sic apud Euripidem Heracl. *v.* 297. recte dicitur: — παρὰ μικρὸν ψυχὴν ἦλθεν

διακναῖσαι. Itaque etiam in N. T. infinitivus promiscue verbis iungitur, et modo finem, modo eventum denotat, quod etiam Alexandrinis frequentissimum est. Et manifesti sunt loci multi, in quibus finis cogitandus est, v. c. Matth. II, 2. ἤλθομεν προςκυνῆσαι Luc. V, 32. ἐλήλυθα καλέσαι δικαίους. VIII, 35. ἐξῆλθον ἰδεῖν τὸ γεγονός. XIX, 10. ἦλθεν ὁ υἱός τοῦ ἀνθρώπου ζητεῖν. (Apud Iohannem plerumque ἵνα ποιῶ τὸ θέλημα. XVII, 4. τὸ ἔργον, ὃ δέδωκάς μοι ἵνα ποιήσω. conf. XVIII, 37). Sed saepius etiam eventum denotat. Quis enim v. c. Matth. IV, 1. ἀνήχθη εἰς τὴν ἔρημον ὑπὸ τοῦ πνεύματος, πειρασθῆναι ὑπὸ τοῦ διαβόλου putet, Dominum eo consilio a spiritu in desertum deductum esse ut tentaretur? Conf. Marc. I, 12. 13. Luc. IV, 1. (ἤγετο εἰς τὴν ἔρημον πειραζόμενος). Sic etiam in pluribus locis, in quibus dicunt, infinitivum consilium s. finem denotare, mihi quidem obiectum potius significari videtur, quamquam finis et obiecti notiones ita affines sunt, ut vix separari cogitando nonnunquam possint; cuiusmodi sunt, ut mihi quidem videtur, ipsae illae formulae, in quibus infinitivus coniunctus est cum verbis, quibus inest notio studii et voluntatis v. c. αἰτεῖν, ζητεῖν, παρακαλεῖν, βούλεσθαι, θέλειν etc. Sed redeamus ad illa verba, quae motus notionem habent. His enim quum infinitivus additur, hoc quidem cogitatur, rem ipsam cuius notitia in verbo addito inest, consequutam esse, sed consilio id factum esse non intelligitur, ut supra dictum est. Ergo qui dicit: ἦλθον βαλεῖν πῦρ εἰς τὴν γῆν, is hoc tantum dicit, cum adventu suo coniunctum esse discordiam, veluti si homo optimus, qui se contra voluntatem suam mali quid adventu suo aliis attulisse videt, dicat apud nos: *ich bin gekommen Streit zu stiften*, non quasi haec adventus sui causa fuerit, ut discordiae semina spargeret, sed quia vel ipso invito, adventus discordiae causa exstitit. Lingua germanica enim quum in multis aliis rebus, tum in usu infinitivi, magnam cum graeca similitudinem habet. Itaque in eiusmodi formulis e verborum contextu

indicanda est sententia; nam per se infinitivus non finem solum indicat, potest enim et finem et eventum denotare. Quare si quo loco sententia falsa et animo dicentis reique ipsi repugnans proditura esset, si τελικῶς, quo dicunt, infinitivum intelligeremus, de eventu explicandus est. Recte igitur dicunt, Dominum in illis locis non de consilio suo, sed de eventu loquutum esse; sed quod dicunt, formulas illas ἦλθον βαλεῖν, παρεγενόμην δοῦναι, proprie quidem consilium denotare, ἐκβατικῶς intelligendas esse, falsum est.

Sed apud Lucam alia difficultas est in verbis: καὶ τί θέλω, εἰ ἤδη ἀνήφθη. Multi interpretes ita haec intelliguunt, ut τί sit pro πῶς, εἰ pro εἴθε vel ὅτι positum, hoc sensu: quam velim ut iam accensus sit. Alii ita distingunt: καὶ τί θέλω; εἰ ἤδη ἀνήφθη. Verba τί θέλω comparant cum illis: τί εἴπω, quae sunt apud Iohannem XII, 27. Videtur enim ex eorum sententia Dominus in utroque loco veluti se ipsum correxisse, deinde addidisse meliorem sententiam et apud Iohannem quidem: imo hanc ob causam veni ad hanc horam, apud Lucam: utinam iam accensus esset. Fuerunt quoque, qui particulam εἰ ex hebraismo verterent: *ecce*. Sed quod primam interpretationem attinet, concedimus quidem, particulam εἰ (ut nostrum *wenn*) habere posse optandi notionem. Quamquam plerumque sequitur γάρ, rarius sola significat utinam. (Vid. Valckenar. ad Euripid. Phoeniss. v. 761). Sed nullis, opinor, exemplis probari poterit, εἰ cum indicativo ita dici; semper enim, quum hanc notionem habet, cum optativo construitur. Afferuntur quidem loci pauci N. T., in quibus εἰ cum indicativo dicunt utinam significare. Sic v. c. Luc. XIX, 42. εἰ ἔγνως τὰ πρὸς εἰρήνην σου. νῦν δὲ ἐκρύβη, vertuntur: utinam nosses, et cap. XXII, 42. εἰ βούλει παρενεγκεῖν τὸ ποτήριον τοῦτο πλὴν μή, utinam tibi placeret πάτερ. Sed iam dudum ab aliis demonstratum est, in eiusmodi loquutionibus ἀπόδοσιν deesse. Itaque in utroque loco εἰ propriam significationem habet, et in priori quidem, si nos-

ses, in altero, si velis, si haec esset voluntas tua, sed in utroque deest *ἀπόδοσις*, ut *καλῶς ἔχοι*, aut simile quid intelligatur. Neque in ista formula *εἰ ἔγνως* indicativus offendit; saepe enim etiam in re, quam constat non factam esse, *εἰ* cum indicativo iunctum reperitur v. c. Xenoph. Cyrop. IV, 1, 8. *εἰ γὰρ ἔφυγον οἱ πολέμιοι, ἴσως ἂν τὸ διώκειν ἀσφαλῶς ἔχει*. i. e. si fugissent; additur ut in loco Lucae: *νῦν δὲ* res ita se non habet. Vid. Hermannum ad Viger. p. 812. sq. Deinde *τί* pro *πῶς* dici in N. T. non memini, nisi quis putet Lucam insolentius dixisse, ut vitaret repetitionem eiusdem particulae: sequitur enim *πῶς συνέχομαι*. Denique *θέλειν* non est optantis, sed tantum volentis, ut alio loco demonstrasse mihi videor. Neque apud reliquos scriptores *πῶς θέλω*, dictum reperiant, ut sit quantopere opto. Sed perveniamus ad secundam interpretationem. Distinguunt *καὶ τί θέλω; εἰ ἤδη ἀνήφθη*. Quasi Dominus priorem sententiam correxisset: sed quid volo? utinam iam esset accensus. Sed nihil antea dixerat, quod sequenti voto corrigeretur. Nam quum dixisset eventurum esse, ut doctrinae suae propagatione lites oriantur, quae statim addit: utinam iam ortae essent, ea non emendant priora sed potius amplificant: non optaverat hoc, ut lites non orirentur, ergo non opus erat, ut se corrigeret verbis quae addidit, imo simpliciter dixerat, lites esse orituras.

Eadem loci, qui comparatur, ratio est, Ioh. XII, 27. Dixerat perturbatum esse animum suum, iam statim addit: *καὶ τί εἴπω; σῶσόν με ἐκ τῆς ὥρας ταύτης*. Haec non corrigunt, quae modo dicta erant, imo optime cum iis conveniunt; nam qui imminentibus calamitatibus perturbatus est, ei maxime convenit optare, ut iis eripiatur. Noluit autem: sciebat enim eas perferendas esse ad salutem humanam, quare addit: *ἀλλὰ διὰ τοῦτο ἦλθον εἰς τὴν ὥραν ταύτην*. Quod decuit, precatus est: *πάτερ δόξασόν σου τὸ ὄνομα*. Mihi quidem totius loci sensus ita reddendus esse videtur: *Perturbatus est animus meus; sed quid dicam?* libera me ab hac

hora; *imo propter id ipsum veni in hanc horam* i. e. gravissime quidem sentio quid mihi immineat, sed num rogem te, ut liberes me? (non faciam) imo oportet me haec perferre ex tua voluntate. Quare quum adesset tempus mortis, in oliveto illo, ut Lucas narrat XXII, 42. precatus est quidem: *εἰ βούλει παρενεγκεῖν τὸ ποτήριον τοῦτο*; i. e. (ut ego quidem arbitror) *visne auferre a me hoc fatum?* sed statim addit: *verum non mea, sed tua voluntas fiat.* Non mirum est, quod eadem hora qua iam appropinquaret proditor, paullo commotior animus fuerit, quam eo tempore, quo ista verba, quae apud Iohannem leguntur, dixit coram pluribus (v. 29—36). Neque vero etiam in ultimo discrimine rogavit patrem, ut auferret *τὸ ποτήριον*, sed tantum dubitanter quaesivit, an vellet, quod non indignum erat divina virtute Domini. Ceterum *εἰ* etiam in N. T. saepissime simpliciter positum interrogat. Vid. v. c. Actor. 1, 6. VII, 1. Luc. XIII, 23. XIV, 3. etc. T[illegible]ia interpretatio eiusmodi est, ut vix verbo refutari debeat. Nam quis unquam audivit, *εἰ* pro ecce dici? Proferunt hoc monstrum tantum ex versione Alexandrina Gen. IV, 24. Tob. IV, 18. XV, 15. Ezech. IV, 14. Sed non currendum est ad barbarum istud genus dicendi in locis N. T. explicandis, si ex usu graecae linguae commoda prodeat sententia. Mihi vero omnia perpendenti haec vera loci sententia esse videtur. Veni ut ignem coniicerem in terram, *et quid vellem, si iam accensus esset.* Dixerat, doctrinae suae propagationem causam esse dissensionum; non dixerat, fore, nam in verbo *βαλεῖν* incertum tempus est. Enimvero illae dissensiones post mortem quidem ipsius asseclis eius perniciosae futurae erant, ideoque eos ad vigilantiam et constantiam hortatus fuerat, sed iam exortae erant ipsi mortem allaturae. Nam *ἀνήφθη* initium incendii denotat, est enim accendere (*anzünden*) non autem ardere (*brennen*). Sic etiam in reliquis locis N. T. in quibus occurrit, dicitur. Nam Actor. XXVIII, 2. *ἀνάψαντες πυρὰν* ipsum accendendi actum significari; et Iac. III, 6. *ὀλίγον πῦρ ἡλίκην*

ὕλην ἀνάπτει eadem vis propria verbo inest, nam ὀλίγον πῦρ non comburere ingentem materiam, sed tantum accendere potest. Erat autem iam accensus ille ignis quum ista diceret, neque id ipse dominus aut mirabatur aut factum nolebat, sed ita, ut debebat, factum intelligebat; hoc declaravit his ipsis verbis: τί θέλω, εἰ ἤδη ἀνήφθη, i. e. quid volo, si iam accensus est, h. e. nihil volo, non recuso. Prospiciebat ita eventurum esse; et iam initium factum esse videbat; sed statim initio, vix accenso igne, sibi ipsi pereundum esse sciebat. Itaque statim addidit: βάπτισμα δὲ ἔχω βαπτισθῆναι, καὶ πῶς συνέχομαι ἕως οὗ τελεσθῇ. Sententia satis clara est horum verborum, sed quomodo cum iis, quae proxime antecedunt, cohaereant, ambiguum videri potest. Lutherus in versione ingeniose addidit temporis distinctionem, vertit enim: *aber ich muss mich zuvor taufen lassen*, quasi Dominus voluisset significare, illa quidem oritura esse, atque se valde optare ut iam exstiterint, sed antea sibi baptisma subeundum esse. Sed mihi tamen non indicasse videtur Dominus, priusquam illa fierent, calamitates sibi subeundas esse, sed iam coepisse illud tempus discordiae et contentionis, sibi vero ipsi summas imminere calamitates (in quarum societatem quandam discipulos venturos esse dixit Marc. X, 38. 39.) atque valde se συνέχεσθαι ἕως οὗ τελεσθῇ. Sed quoniam hoc proprii periculi praesagio interrupta erat oratio, v. 51. recipit se, et quae brevius tantum de igne dixerat v. 49., ea accuratius explicat, deinde ad omnes, qui adstabant, conversus (v. 54.) eos reprehendit, quod ex iis, quae iam adessent, ea quae futura essent non prospicerent aut curarent, neque quid faciendum esset (τὸ δίκαιον) intelligerent. Quod antea dixerat, πῦρ ἤδη ἀνήφθη, id nunc alia imagine usus declarat.

Sed ad primarium dictum Domini redeamus, se venisse non ut pacem daret, sed ut discordia oriretur; quod verissime eum dixisse eventus docuit. Enimvero si adventus Christi atque doctrinae coelestis propagatio discordiae, irarum dissidiorumque causa futura erat, mirum

profecto videri potest, quod secus evenerit, quam futurum esse omnes exspectarent. Nam in Veteri Testamento tempus Messiae ita potius descriptum est, ut pacem summam ubique regnaturam esse, sperare omnes possent. Notissima est temporis Messiani, ut putatur, descriptio, quae apud Micham legitur Cap. IV, v. 1. sqq. Sed etiamsi nulla causa esset, cur dubitaremus, prophetam de Messiae tempore loquutum esse, hoc certe omnes concedent, eius imaginem descriptam esse ex Iudaeorum sententia, quos quamvis saepe monitos a prophetis, (v. c. Ierem. XXXI.) non de spirituali, sed de externo Messiae regno cogitasse, inter omnes constat. Et si premere singula velimus, animadvertendum est, prophetam ipsum hanc pacem perpetuam post magnam demum rerum omnium conversionem exspectasse: dixit enim v. 3. de iudicio gravissimo, quo deus gentes vel remotissimas sit affecturus. Fuit vero haec superba Iudaeorum exspectatio, cui si satisfacere Dominus voluisset, populares suos promtiores habuisset. Nam hi quidem a Messia hoc postulabant, ut ante omnia ingentem gentium, inprimis Romanorum, stragem ederet, (Iesaias et Micha Assyrios ante oculos habebant), deinde vero summam dignitatem, potentiam felicitatemque genti Iudaicae vindicaret, in cuius societatem reliquae gentes essent venturae, postquam debellatae cultum Hierosolymitanum suscepissent. Itaque quum Iesum Nazarenum earum rerum omnium nihil agere aut promittere viderent, sed ad coelestium bonorum sensum torperent, eum vere esse τὸν ἐρχόμενον non crediderunt; postea vero, quum Iesum crudelissimo mortis supplicio necatum sed ad summam in coelis dignitatem evectum Apostoli tamquam sospitatorem omnium gentium divinitus datum praedicarent, regnique Messiani beneficia non legis Mosaicae observatione constare docerent, sed gentibus omnibus secundum novam legem τοῦ πνεύματος civitatem coelestem impertirent, fieri vix poterat, quin haec tota res Iudaeis σκάνδαλον esset, quemadmodum multis, τοῖς σοφοῖς τοῦ κόσμου τούτου, μωρία visa est. Quae

quum ita sint, nulla causa est, cur illa Domini sententia offendamur, illamve discordiam, quam orituram esse praevidebat, ipsi numinis divini beneficio repugnare existimemus. Quemadmodum enim corporis diuturna valetudine languescentis sanatio saepissime in gravissimo morbo posita est, et tempestates, coelo terraque coortae, quibus exhaustae vires terrae instaurantur et reficiuntur, magnam singulis calamitatem afferunt, ita etiam fieri non poterat, quin felicissima, cuius auctor Christus exstiturus erat, rerum humanarum multorum seculorum vitiis afflictarum instauratio, summam et vehementissimam multisque perniciosam (εἰς πτῶσιν) conversionem afferret: neque enim sine multis doloribus homo novus nascitur Ioh. XVI, 21. Quamobrem illis quidem temporibus, quibus primum doctrina Christi sparsa et propagata est, maxima inter homines dissidia orta esse, minime mirandum est. Sed postquam ecclesia dei pervicaciam Iudaeorum et reliquarum gentium superstitionem in cultissimis terrae partibus devicit, inter ipsos Christianos nunquam non dissidia fuisse, sed ad nostram usque aetatem perdurasse et his temporibus maxime veluti denuo refocillata flagrare, id vero multi fuerunt, qui gravissime deplorarent, atque aut ipsi doctrinae, tamquam perpetuae irarum causae et fonti, aut huic in primis ecclesiae evangelicae vitio verterent et exprobrarent. Nos autem, quamquam pacis amantissimi sumus, illisque rixis perpetuis, praesertim quae aut ignorantia aut perversis studiis nascuntur, minime delectamur, etsi bene scimus, illam Domini praedictionem proprie ad ista tempora spectasse, tamen neque doctrinam neque ecclesiam nostram accusandam, imo discordiam illam necessariam et salutarem esse arbitramur, ἕως οὗ πάντα τελεσθῇ, nondum enim adest τὸ τέλος. Quod quomodo se habeat, liceat mihi in fine huius disputationis breviter explicare.

Ac primum quidem quid volunt sibi arguti isti τοῦ χριστιανισμοῦ obtrectatores? Nimirum laudant tempora paganae superstitionis, quibus philosophorum rectius sen-

tientium opiniones nemo curaret, ipsi haruspices, quum sibi obvii fierent, mutuo riderent, totusque populus idolis suis sacra faceret et ne petulantissimis quidem, quibus veneranda numina in theatris afficiebantur, opprobriis commoveretur, neque ulla de cultu deorum contentio esset, neque religionis causa atrocissima bella gererentur. Tunc enim suam quisque spartam colebat, literae artesque liberrime excolebantur, cives ad patriam ornandam defendendamque paratissimi erant, et sua quisque aut sapientia aut superstitione beatissimus vivebat, quomodo de diis reliqui sentirent, nemo curabat, nisi quod cultus sacri publicum contemtum inprimis mysteriorum profanationem, magistratus, ut par erat, coercerent. Non ego is sum, *cives carissimi*, qui ista tempora τῆς ἀγνοίας despiciam, quae ipse ὑπεριδὼν ὁ θεός, εἴασε πάντα τὰ ἔθνη πορεύεσθαι ἐν ταῖς ὁδοῖς αὐτῶν, sed ingenue tamen fateor, si quis tempora illa ob hanc concordiam laudet, eum mihi quidem haud dissimilem iis hominibus videri, qui servitutem defendunt, quia mancipia magis secure quam rustici sui iuris vivere possint, aut libertatem ipsam accusant, quod discordiam, dissidias et bella civilia parere soleat. Est enim ita comparatus animus, ut quo minus excultus sit, eo magis rebus terrenis acquiescat, res autem divinas non curet studiosius, sed satis habeat, quod numen divinum suis rebus, agris, mercaturae, familiae, reliquisque huius vitae negotiis prospiciat, ceterum immortalia illa et coelestia bona aut non appetat aut prorsus ignoret. Itaque inter illas gentes nullae de rebus divinis controversiae, nulla nisi de bonis huius mundi certamina fuerunt, suis quaeque numinibus confidebat, et si quando tutelare aliquod numen, quo alia gens beata videbatur, aut furto aut vi abstulisset, universa civitas eo beatior esse videbatur. Fateamur, *carissimi cives*, per christianam doctrinam haec omnia mutata esse, rebusque humanis divinarum et immortalium rerum cognitione et cura auctis, novas irarum et dissidiorum causas accessisse, nunc non amplius de bonis terrestribus dimicari, ex ipso-

que veritatis coelestis studio nova mendacii, superstitionis, multa etiam ignorantiae superbiaeque odia nata esse. Sed illud quoque lubenter fateamur omnes, bonorum, veritatem quaerentium discordiam illarum gentium concordiae, id vero est inertiae et tempori, longe praeferendam esse.

Sed quum fieri non possit, quin veri quaerendi studio quo magis erecti exercitatique sint christianorum animi, eo saepius dissentiant, mirum non est, quod in ecclesia evangelica plurima dissidia reperiantur. Itaque si qua est felicitas in eo posita, quod plurimi bona fide credant omnia, quae quis credenda esse dixerit, et an vera sint, quaerant paucissimi, huius quidem concordiae laude non infitiamur ecclesiam nostram ab ecclesia Romana longe superari. Haec enim ecclesia quum divinum verbi dei interpretem habeat, de cuius decretis nefas est vel dubitare, multi quidem eius dogmata aut prorsus non curant aut taciti reiiciunt, sed publica tamen discordia rarissime in ea nascitur, ipsi doctores ecclesiae, licet suspicari liceat multos nihil eorum, quae ex mente ecclesiae docent faciuntque, credere, publice tamen non contradicunt, ut beneficiis suis fruantur, et τὸν ζυγὸν χρηστὸν, eumque neque a Christo neque ab Apostolis impositum, placide ferunt, reliqui, excordes et stupidi, ceu pastorem palantes oves, magistros suos secure sequuntur. Sed nos quidem neque invidemus ecclesiae Romanae hanc concordiam, neque cur adversariis animorum contentio in nostra ecclesia displiceat, ignoramus. Nimirum homines incauti, temere omnia credentes, in verba iurare adsueti, facilius decipiuntur. Nisi scirent, hac ipsa discordia acui animos, exercitari et ad artes ipsorum odorandas sagaciores reddi, non quererentur de discordia nostra, quae quo perniciosior nobis esset, eo maiorem ipsis spem faceret, fore, ut tandem defatigati certaminibus et opinionum pugnantium pertaesi, ad matrem ecclesiam, in qua omnia certa, explorata, immutabilia sunt atque unus omnia regit spiritu divino, sponte redeamus. Quamobrem eiusmodi querelis ego ita non commoveor, ut quo plura illos,

quae ipsis displiceant, habere videam, eo minus de rebus nostris metuendum esse intelligam. Scio enim quidem, ecclesiam nostram multis malis aegrotare, sed video quoque, discordiam illam, de qua etiam multi e nostris conqueruntur, non seculi levitate, aut aequalium impietate, ut multi putant, nunc demum natam, sed praeteriti temporis vitiis inductam et perversis nonnullorum studiis concitatam, in eorum malorum numero esse habendam, quibus solis, quamvis magnum periculum afferre videantur, tamen diuturni vel singulorum, vel rerum publicarum morbi et cognosci et sanari iuvante deo possunt; *ὅπου γὰρ ἐὰν ᾖ τὸ πτῶμα, ἐκεῖ συναχθήσονται οἱ ἀετοί.*

Nos autem hoc agere oportet, CIVES CARISSIMI, ut his quoque malis sapienter utamur, et dolorem praesentem futuri temporis felicioris certissima spe leniamus. Ad quam quidem excitandam, alendam confirmandamque quum gratissima eorum, qui instant, dierum celebratione ipsiusque Domini, qui regit ecclesiam suam, pia memoria nihil praestantius esse possit, sacra natalia divini servatoris ea qua par est religione publice privatimque celebremus. Quod vos omnes, et vos quoque, COMMILITONES HVMANISSIMI, sponte facturos esse, certissime confido.

P. P. Dom. IV. Advent. a. Dom. MDCCCXXX in Vniv. Lips.

DE VSV PARTICVLARVM IN N. T.

CAP. I.

Vsum loquendi, licet non omni certa ratione destituatur, tamen in omnibus linguis quam liberrime dominari, *inter* omnes constat. Sed quamquam doctissimi quique philologi in eo observando magnam artis hermeneuticae partem positam esse docuerunt, saepe tamen miratus sum, qui factum fuerit, ut, quum concessum ab omnibus sit, non tantum temporibus singulis, quibus in ore populi viveret lingua, sed etiam scriptoribus singulis diversum loquendi usum fuisse, nihilo minus in iis libris, qui omnium diligentissime tractati sunt, plurima incerta et dubia reperiantur. Nam recentiori quidem aetate interpretes librorum N. T. in eo omnes consentiunt, ad singulas voces et formulas e mente scriptorum sacrorum explicandas neque hebraismorum sagacissimam venationem, neque versionis Alexandrinae comparationem, neque hellenismi incertam observationem sufficere, sed multi tamen, et Lexicographi quoque nonnulli, in singularum vocum significatione constituenda accuratissime versati, aut elegantiorum aureae aetatis scriptorum usum loquendi pro regula unica habent, aut grammaticorum praeceptis, tamquam scopulis, inhaerent. Ex quo fit, ut, quum nulla alicuius vocis vera significatio videatur, nisi quam scriptores optimi ei tribuerint, in multis N. T. locis explicandis usum lo-

quendi sacrorum scriptorum aut gravius improbent, aut verum sensum in dubio relinquant, quidam, hanc aliamve vocem proprie quidem hanc illamve rem significare, sed hoc loco alium sensum habere cautius praecipere videantur. Quod quum saepissime fieri debeat, quoniam idiomata commiscent cum usu loquendi, tum in iis orationis partibus maxime, quarum in una quaque lingua et incertissima dominatio et difficillima interpretatio esse solet; particulas dico, quarum usus in N. T. a meliorum scriptorum consuetudine longissime discrepare videtur. Est enim tanta plurimarum particularum affinitas et necessitudo (logicam dicere possis), ut licet earum significatio temere mutari in contrariam nequeat, et apud eos, qui et loquuntur et scribunt accuratius, diligenter distingui soleant, tamen pro diverso modo eandem rem cogitandi permutari sine vitio possint. Itaque quum nuper de usu infinitivi dixerim, (in Programmate diebus festis natalium Domini indicandis scripto) neque illam de Synonymis quaestionem prorsus seposuerim, hac scribendi necessitate imposita, de particulis quibusdam synonymis, dicere constitui, de quarum usu in N. T. sciunt omnes magnam necdum compositam litem esse inter interpretes librorum sacrorum.

Sunt autem coniunctiones

ἵνα· ὅπως· (ὡς·) ὥστε.

Non vereor enim, ne quis dicat, harum particularum significationem ita differre, ut pro synonymis haberi non possint. Nam ἵνα finem seu causam, ob quam quid fiat, significare, in ὅπως modum aliquid efficiendi cogitari, ὥστε eventum denotare, quia particula ὡς proprie rebus similibus comparandis inserviat, ideoque ὥστε eventum s. effectum rei praegressae convenientem significet. Nimirum notiones consilii, finis, modi finem consequendi, ipsiusque eventus, ita cognatae sunt, ut, quemadmodum re ipsa vix cogitando distingui semper possint, ita loquendo facillime permutentur. Sed haec ipsa causa est, cur pro synonymis haberi debeant; nisi enim in communi

quadam notione convenirent, permutari non possent. Nam quum synonymorum haec natura sit, ut communem eiusdem rei notionem ad diversos modos referant, sequitur, coniunctiones quoque, quae eiusdem conditionis, qua res duae coniunctae cogitantur, varios modos declarant, pro synonymis habendas esse.

Conveniunt autem hae coniunctiones in eo, quod nexum s. *coniunctionem causalem* indicant. Coniungunt enim notiones duarum rerum, quarum una alterius causa esse cogitatur. Sed quemadmodum in una quaque enunciatione subiectum cum praedicato aliquo copulatur, ita etiam in iis enunciationibus, in quibus duarum rerum nexus causalis indicatur, ut in alterutra alterius causa cogitetur, harum enunciationum duplex ratio est; potest enim causa aut in subiecto aut in praedicato cogitari. Si causa cogitatur in praedicato, coniunctio indicat rem, *ob* quam id, quod in subiecto cogitatur, factum fuerit aut certe potuerit fieri, sin cogitatur in subiecto, coniunctio indicat, in subiecto inesse causam, *cur* aliquid factum fuerit aut fieri possit. Nam mihi quidem omnium coniunctionum causalium duplex tantum provincia esse videtur, ut aut in subiecto aut in praedicato alterius rei causam esse ostendant. Itaque si causa cogitatur in subiecto, in praedicato effectum esse coniunctio indicat, sed si in praedicato inesse causa cogitatur, id quod effectum est, subiecto continetur. Iam quoniam causa per se prior, quam ea res, cuius caûsa est, cogitari debet, sed in subiecto potior notio inest, sequitur, ut ea causa, quae in praedicato esse cogitatur, tamquam obiectum cogitari debeat, ob quod ea res, quae in subiecto cogitatur, aut facta fuerit, aut potuerit vel debuerit fieri. Omnes igitur coniunctiones causales duplicem, quam diximus, provinciam habent ad quam varii, qui a grammaticis enumerari solent usus harum coniunctionum, tamquam ad suam originem referendi sunt; significant enim aut finem aut effectum rei, quae in subiecto cogitatur. Finis autem seu obiectum (τέλος) duplici ratione cogitari potest, vel per se, vel qua-

tenus cogitatur in mente eius, qui aliquid fecisse cogitatur, hoc *consilium* vocatur; Germanice *Zweck* et *Absicht* distinguuntur. His igitur diversis causarum modis etiam istae, de quibus nunc dicturi sumus, coniunctiones inserviunt.

ἵ ν α.

Solemnis est magnoque studio ab omnibus fere philologis propugnata sententia, ἵνα proprie et apud omnes scriptores accuratos tantum τελικῶς dici, seu finem vel consilium, cuius causa quidquam factum fuerit, denotare. Itaque quum in N. T. libris sexcenties ἵνα reperiatur, ubi de fine et consilio cogitari non possit, interpretes nostri eo confugiunt, ut quae τελικῶς dicta sint, ea ἐκβατικῶς intelligenda et explicanda esse dicant. Causam primam disceptationis frequentem illam formulam: ἵνα πληρωθῇ praebuisse, satis constat. Intelligebant enim in plurimis locis, in quibus quidquam factum dicatur ἵνα πληρωθῇ τι cogitari non posse finem s. consilium, quasi id, quod factum fuerit, eam ob causam factum sit, ut id, quod praedictum erat, eventum haberet. His igitur et aliis locis, qui sunt frequentes in libris N. T., licet negare non possint, ἵνα non consilium s. finem denotare, tamen pertinacissime istud suum dogma tenent, ἵνα nunquam eventum denotare, sed istis locis ἐκβατικῶς intelligendum esse. Sed primum velim scire, quid illud sit, ἵνα tantum finem seu consilium denotare, quum sexcentis locis eventum s. effectum manifesto denotet? Nimirum proprie, i. e. apud scriptores classicos de eventu dici negant. Ut hoc concedamus, qua ratione neque apud reliquos scriptores de eventu dici possit, non intelligitur, praesertim quum certum sit, multos scriptores causam cum effectu per eam particulam coniunxisse. Scilicet in reliquis linguis, quae adhuc sunt in ore populorum, recte distinguitur, quid dicatur eleganter, quidve ferat usus loquendi in vita communi. Grammatici, qui nostrae linguae regulas scribunt, accurate quidem demonstrant, quomodo istae particulae,

quae graecis, de quibus quaeritur, respondent, *dass*, *damit*, *so dass*, *auf dass*, *um* (c. genit. s. infin.) proprie differant, quamquam sciunt omnes, in usu vitae communis easdem particulas, non tantum a vulgo sed etiam a viris doctis promiscue usurpari. Sed in lingua graeca et latina eam tantum particularum significationem admittunt, quam apud Atticos aliosque scriptores elegantiores habere eas plerumque videant. Quasi vero usus loquendi sermonis docti et cultioris finibus contineatur. Sed in quaque lingua usus loquendi amplior in sermone, quam in libris esse solet; divitias linguae et πολυτροπίαν non a scriptoribus, sed a populo discimus. Si exstarent exempla sermonis quotidiani Atheniensium, Platonis, Xenophontis et Aristophanis aetate viventium, non dubito, quin multa in usu fuisse apud Graecos intellecturi simus, quae nunc philologis contra omnem usum loquendi dicta videntur, quoniam apud paucos istos scriptores classicos non reperiuntur. Hoc ne quis a me dictum putet, quod iuvenes, qui latine aut graece scribere discunt, incomtos scriptores quosque velim imitari, minime vereor. Sed quum libros seriori aetate, ab hominibus, qui vulgari vitae communis sermone usi sunt, scriptos interpretamur, singularum particularum significationem ex auctorum classicorum usu definire, ea mihi quidem importuna morositas esse videtur.

Quamquam igitur concedendum est, ἵνα apud scriptores, qui classici dicuntur, plerumque ita usurpari, ut consilium s. finem denotet, illud tamen non sequitur, quod vulgo dicitur, ἵνα non eventum s. effectum cum sua causa coniungere. Sunt autem multi scriptorum optimae notae loci, quorum longe facilior futura esset interpretatio, nisi in animum nostrum induxissemus, apud bonum scriptorem ἵνα nunquam ἐκβατικῶς s. ἀποτελεστικῶς intelligi posse. Nolo ex Archimede illud exemplum sumere, quod unum Hoogevenus attulit p. 524. quamquam clarissimum est; vereor enim ne hunc minus elegantem scriptorem esse dicant. Neque alter, quem dubitanter tantum attulit, Aristophanis locus (Plut. v. 91.) hunc

referri posse videtur; nulla enim causa est, cur non τελικῶς intelligamus. Sed apud eundem Aristophanem quosdam locos reperiri puto, in quibus, si ἵνα ἐκβατικῶς explicetur, magis omnia convenire videntur. Unus exstat in Vesp. v. 311, 312. Τί με δῆτ' ὦ μελέα μῆτερ ἔτικτες, Ἵν' ἐμοὶ πράγματα βόσκειν παρέχῃς. Non queritur puer, quod mater ipsum genuerit eo consilio, ut fame periret, sed quod ita miserum genuerit, ut debeat perire. Certe manifestum esse videtur, notionem eventus non excludendam esse. Eadem ratio est loci in Nubibus v. 58. ubi Strepsiades puerum, qui πότην ἧπτεν λύχνον, his verbis increpat: Δεῦρ' ἔλθ' ἵνα κλάῃς, plane ut Latini: accede huc ut eiules. Non finis s. consilium veniendi erat, sed eventus; *iubet* eum quidem accedere ut verberet, sed eventum ipsum indicat, non causam, cur iubeat, ideoque ἵνα h. l. non consilii s. finis sed eventus notionem designat, indicat enim, quid futurum sit, si venerit. Quod si quis hoc subtilius quam verius dictum putet, sufficiat certe, ἵνα ita dici, ut non de fine tantum, sed de eventu quoque cogitari debeat. Eadem ratio est loci Euripidis, (qui a Grammaticis constructionis causa affertur) Iphigen. T. v. 357. 358. ubi queritur Iphigenia, nullam venisse navem, quae Helenam et Menelaum adduceret, ἵν' αὐτοὺς ἀντετιμωρησάμην. Scilicet, si navis illos attulisset, iniuriam in Aulide sibi illorum causa illatam, ulcisci puella potuisset. Et mihi quidem, plurimos locos comparanti, haec particulae ἵνα significatio, ut indicet, quid eventurum fuisset, si quid aliud actum esset (vid. *Hermann. ad Viger.* p. 850.) in iis potissimum locis reperiri videtur, in quibus ἵνα cum indicativo praeteritorum construitur. Sic in illo Sophoclis loco, (Oed. A. v. 1389.) ἵν' ἦν τυφλός τε καὶ κλύων μηδέν. (statim post: ὡς ἔδειξα μήποτε v. 1392. coll. Aeschyl. Prom. V. v. 155.). Et apud Aristophanem (Eccles. v. 152.). Ἐβουλόμην μὲν ἕτερον ἄν τῶν ἠθάδων λέγειν τὰ βέλτισθ', ἵν' ἐκαθήμην ἥσυχος, nam si illi dixissent, ipse otiosus sedere potuisset. Multi eiusmodi loci apud Demosthenem reperiuntur, ex quibus haec sufficiant.

Contra Callicl. p. 1278. Poteratis, inquit, dicere tunc statim, patri rei: *Τισία, τί ταῦτα ποιεῖς; ἀποικοδομεῖς τὴν χαράδραν; εἶτ' ἐμπεσεῖται τὸ ὕδωρ εἰς τὸ χωρίον τὸ ἡμέτερον, ἵν', εἰ μὲν ἐβούλετο παύσασθαι, μηδὲν ὑμῖν δυσχερὲς πρὸς ἀλλήλους ἦν. — καὶ νὴ Δί' ἐπιδεῖξαι σέ γε πᾶσιν ἀνθρώποις χαράδραν οὖσαν, ἵνα μὴ λόγῳ μόνον, ἀλλ' ἔργῳ τὸν πατέρα ἀδικοῦντα ἀπέφαινες.* Pro Phorm. p. 958. 959. *ταῦτα, ἀντὶ τοῦ κοσμεῖν καὶ περιστέλλειν, ἵνα καὶ τοῖς δοῦσιν ὡς εὐσχημονέστατα ἐφαίνετο, καὶ τοῖς λαβοῦσιν ὑμῖν, ἐλέγχεις.* Contra Androt. p. 599. *καί φησι δεῖν ἡμᾶς, εἴπερ ἐπιστεύομεν εἶναι ταῦτα ἀληθῆ, πρὸς τοὺς θεσμοθέτας ἀπαντᾶν, ἵν' ἐκεῖ περὶ χιλίων ἐκινδυνεύομεν, εἰ καταψευδόμενοι ταῦτ' ἐφαινόμεθα.* Similiter apud Platonem Euthyd. p. 403. D. (III. 74.) *καὶ μήν, ἔφη, ἄξιόν γ' ἦν ἀκοῦσαι. Τί; ἦν δ' ἐγώ. Ἵνα ἤκουσας ἀνδρῶν διαλεγομένων, οἳ νυν σοφώτατοί εἰσι.* Et in Protag. p. 335. C. (III. 137. 138.) *ἀλλὰ σε ἐχρῆν ἡμῖν συγχωρεῖν τὸν ἀμφότερα δυνάμενον, ἵνα συνουσία ἐγίγνετο.* Menex. fin. *ἀλλ' ὅπως μου μὴ κατερεῖς, ἵνα καὶ αὖθίς σοι πολλοὺς καὶ καλοὺς λόγους παρ' αὐτῆς πολιτικοὺς ἀπαγγέλλω.* In his locis omnibus, mea quidem sententia, *ἵνα* ita dictum est, ut non finem sed eventum rei significet. Quamquam enim concedo, *ἵνα*, ubi cum coniunctivo aut optativo construatur, apud Atticos scriptores ita dici, ut proxime quidem rei praecedentis finem aut agentis consilium plerumque denotet, vereor tamen, ut eventus notio ubique prorsus excludi possit. Sunt enim hae notiones tam arcte coniunctae, ut facillime in unam coalescant: nam si quid vere factum est, necesse est, ut aliquid ante actum cogitemus, quod si non esset actum, fieri illud non potuisset, sive huius rei finis fuerit, ut illud fieret, sive hunc eventum tantum habuerit. Vnde fit, ut causae finalis, quae dicitur, et causae efficientis notiones in vitae communis usu non accurate distinguantur, ideoque eodem fere modo exprimi soleant. Neque apud Homerum desunt loci, in quibus *ἵνα* positum est, ubi is, qui loquitur, non solum causam finalem (seu finem, *den Zweck*) sed etiam efficientem significare videa-

tur. Praetermittamus eiusmodi locos, qualis est v. c. Iliad. I. v. 202. Τίπτ' αὖτ', αἰγιόχοιο Διὸς τέκος εἰλήλουθας; ἦ ἵνα ὕβριν ἴδῃ Ἀγαμέμνονος Ἀτρείδαο; quamquam illa particula τίπτε saepissime apud Homerum non de fine s. consilio quaerat, sed de causa per quam aliquid factum sit, v. c. Iliad. II. v. 323. XI. v. 656. XII. v. 244. etc. Sed luculentius exemplum exstare videtur Odyss. XIII. v. 157. — — θεῖναι λίθον ἐγγύθι γαίης, νηῒ θοῇ ἴκελον· ἵνα θαυμάζωσιν ἅπαντες ἄνθρωποι· μέγα δέ σφιν ὄρος πόλει ἀμφικαλύψαι. Neque enim ideo facturum id se esse Neptunus dixerat, ut mirarentur, sed ἵν' ἤδη σχῶνται, ἀπολλήξωσι δὲ πόμπης. v. 151. Sed non opus est, ut antiquiorum scriptorum exempla studiosius quaeramus: satis enim constat, auctores, qui post Alexandri aetatem vixerunt, ἵνα saepissime ἐκβατικῶς s. ἀποτελεστικῶς dixisse. Adiiciamus nonnulla, non quod dubitare possint, qui aetatis serioris scriptores tractarunt, sed quod hanc part. ἵνα significationem putant quidam praeter Alexandrinos V. T. interpretes et scriptores N. T. apud nullum scriptorem graecum probabilem reperiri. *Marc. Antonin. Commentar. II*, 11. ἡ τῶν ὅλων φύσις οὔτε παρεῖδεν οὔτε ἥμαρτεν ἤτοι παρ' ἀδυναμίαν οὔτε παρ' ἀτεχνίαν, ἵνα τὰ ἀγαθὰ καὶ τὰ κακὰ ἐπίσης τοῖς τε ἀγαθοῖς καὶ τοῖς κακοῖς πεφυρμένως συμβαίνῃ. VII, 25. πάντα ὅσα ὁρᾷς μεταβαλεῖ ἡ τὰ ὅλα διοικοῦσα φύσις, καὶ ἄλλα ἐκ τῆς οὐσίας αὐτῶν ποιήσει, ἵνα ἀεὶ νεαρὸς ᾖ ὁ κόσμος. Et in loco illo memorabili (XI. 3.) ubi promtum ad mortem hominis animum describit: τὸ δὲ ἕτοιμον τοῦτο, ἵνα ἀπὸ ἰδικῆς κρίσεως ἔρχηται, μὴ κατὰ ψιλὴν παράταξιν, ὡς οἱ Χριστιανοί, ἀλλὰ λελογισμένως, σεμνῶς καὶ ὥστε καὶ ἄλλον πεῖθειν ἀτραγῴδως. Et apud *Iosephum* passim: v. c. *de bell. Iud. IV.* 3. 10. (p. 276. ed Haver.) πρὸς τοσοῦτον ἥκομεν συμφορῶν ἵνα ἡμᾶς ἐλεήσωσι καὶ πολέμιοι. Apud *Iustinum* Mart. (p. 504.) οὐχ οὕτως ἔσται σου τὸ δυνατὸν, ἵνα μου κινήσῃς τὴν προαίρεσιν. Idem ep. ad Zenam p. 508. λέγεται δὲ ἀνόητος, ὁ κατ' ἰδιωτισμὸν παρενεχθεὶς τὴν αἴσθησιν, ἵν' ᾖ τὸ ἀνόητον ἰδιωτικὸν, ὥσπερ καὶ τὸ ἀφελές. In epi-

gramm. *Agathiae* 74. (Anal. III. 61.). Οὔ τις ἀλοιητῆρας ἰδεῖν τέτληκεν ὀδόντας Ἡμετέρας, ἵνα σοῖς ἐν μεγάροις κελάσῃ. *Sex. Empir.* Pyrrh. III. 60. ἐπιμίγνυται τὸ κώνειον παντὶ μέρει τοῦ ὕδατος, καὶ παρεκτείνεται αὐτῷ ὅλον ὅλῳ, ἵνα οὕτως ἡ κρᾶσις γένηται. Alexandrinos particulis summa cum licentia uti, satis constat. Quamquam enim, hebraicum sermonem pressius plerumque sequuti, constructionibus causalibus, quibus ille caret, rarius utuntur (scribunt v. c. 2. Paral. X, 9. τί ὑμεῖς βουλεύεσθε καὶ ἀποκριθήσομαι τῷ λαῷ), tamen particulas causales v. c. ל, כי, למען, per ἵνα, ὅπως, ipsorum more hebraeorum, promiscue exprimunt, ut vel finem vel effectum denotent; ὥςτε rarissime habent. Sic Deut. XIV. 23. 29. (17. 23.) VI. 2. XVII. 19. 20. Prov. XV., 24. Ios. IV, 6. bis diversa significatione: ἵνα ὑπάρχωσιν ὑμῖν οὗτοι (οἱ λίθοι) εἰς σημεῖον κείμενον διαπαντός (למען תהיה) ἵνα ὅταν ἐρωτᾷ σε ὁ υἱός σου αὔριον — καὶ σὺ δηλώσεις — καὶ ἔσονται οἱ λίθοι — (כי־ישאלון) Psalm. CXIX, 71. Ezech. XXII, 12. etc. Psalm. L, 5. Amos. II, 7. Sed non opus est exemplis. Satis enim constat, Alexandrinos quamcunque coniunctionem causalem illis particulis promiscue exprimere, sive αἰτία s. τέλος aut consilium in hebraicis insit, quod, quamvis barbare scriberent, facere non potuissent, nisi usus communis ista aetate tulisset; neque illi de plebe homines, sed Iudaei erant docti, qui vulgari dialecto graeca utebantur. Itaque eo minus mirandum est, apud scriptores N. T. omnia sermonis vulgaris idiomata reperiri, praesertim in liberiori et mixto particularum usu, quo ipso sermo popularis (*Volkssprache*) ab hominum cultiorum, qui libros classicos aut ipsi scripserunt, aut legerunt et imitantur, (*Buch-Schrift-Sprache*) maxime differt. Quare mea quidem sententia valde optandum est, ut qui librorum sacrorum idioma explicare cupiunt, non solum illarum regularum grammaticarum, quibus syntaxis regitur (de casibus, temporibus, modis etc.) sed etiam usus loquendi rationem habeant, qui non modo in istis rebus, sed in significatione verborum, seu in usu logico potissimum cernitur.

Quae quum ita sint, haud dubitanter affirmo, ἵνα in libris N. T. non tantum consilium et finem cum obiecto, sed etiam causam antecedentem cum effectu et eventu coniungere, ideoque et τέλος et ἔκβασιν vere significare. Et illa regula seu admonitio interpretum N. T., ἵνα proprie quidem τέλος tantum significare, sed hoc vel alio loco ἐκβατικῶς intelligendum esse, licet quandam ἀκριβείας et elegantiae speciem habeat, mihi quidem falsa videtur, quoniam si constat, particulam ἵνα in aliquo loco ita dictam esse, ut ex mente scriptoris non consilium aut finem rei aut actionis praegressae, sed eventum s. effectum denotet, certum est, eam non consilium sed τὴν ἔκβασιν significare. Atque ego miror profecto, quo modo fiat, ut, quum concedant, multi verba N. T. propriam significationem suam habere, quae apud scriptores classicos non reperiantur, tamen in quibusdam particulis id negent, atque ut grammaticorum regulae salvae sint, vana ista distinctione uti quam concedere malint, ἵνα in N. T. τὴν ἔκβασιν vere significare. Et recte quidem Lexicographi elegantiorem singulorum verborum usum notant et comparant; sed in verbis scriptorum N. T. explicandis, non quid apud alios scriptores significent, sed quam notionem scriptores ipsi iis expresserint quaerendum est. Licet igitur accuratissime demonstraverint, apud nullum scriptorem classicum ἵνα pro ὥστε dictum reperiri, hoc tamen non effecerint, ut in libris N. T. et similibus, post auream graecae aetatem scriptis, non ἀποτελεστικῶς s. ἐκβατικῶς dici hanc particulam affirmare possint. Nisi ex ipsius particulae origine ostendant, eam esse eius naturam, ut eventum seu effectum significare non *possit*; quod illos quidem nondum fecisse video. Sed dicunt, in N. T. ἵνα quoad *sensum* quidem verborum, ἐκβατικῶς s. ἀποτελεστικῶς intelligendum et explicandum vertendumque esse, neque tamen eventum s. effectum *significare*. At quid sibi hoc velit, fateor me non intelligere. Est enim nulla alia verborum provincia, quam ut sensum s. notionem rei alicuius cogitatae significent, ideoque falsum est, quod dicunt,

verbum aliquod ex mente quidem scriptoris certo sensu dictum esse, sed id ipsum, quod voluit, non significare. Aliud est enim, si quis dicat v. e. praepositionem ἐκ aliquo loco idem quod ἐν vel πρός, aut σύν significare; nam notio generalis, quae ei inest, non admittit hanc permutationem. Nimirum πολυθρύλλητος illa sensus et significationis distinctio non eo valet, ut verbum aliquod sensum quendam habere dicamus, cui propria ipsius significatio repugnet: nam in propria eius vi ac potestate causa sit necesse est, cur rei cuiusdam notionem (sensum) significare possit. Sed ἵνα non *posse* exitum s. eventum rei significare, classicorum scriptorum exempla non demonstrant. Quin quum negari nequeat, apud alios scriptores ἀποτελεστικῶς dici hanc particulam, sequitur, eam apud hos scriptores exitum s. eventum significare. Neque ita distant illae notiones causales, quin eadem particula, consilii et finis, causae et effectus, notiones exprimere possit. Quare in omnibus fere linguis harum particularum usus in vita communi et in sermone vulgari latius, quam in libris accuratius scriptis, patet, neque reprehendi id potest, nisi quum notio generalis (i. e. causae) repugnare videtur. Sed particulam ἵνα propria sua vi et potestate tantum causam finalem significare posse, quoniam in libris elegantius scriptis plerumque τελικῶς dicatur, eo minus concludi potest, quum ab aliis scriptoribus sexcenties ἀποτελεστικῶς dicatur. Damnent hunc usum tamquam minus accuratum, nihil moror, licet; modo ne dicant in his libris nunquam effectum seu eventum significare. Nec dubito quin, si particularum originem et historiam magis perspectam haberemus, de scriptoribus N. T. haud pauci aequius essent iudicaturi. Nam ab initio quidem quum nondum literis exculta lingua est, vagus et incertus usus est; ubi literarum cultura et scribendi exercitatio accesserit, arctioribus finibus circumscribitur; sed quum literarum studio et cultu minuto aut exstincto, consuetudine potius quam certa ratione regitur, denuo licentiam priscam recipit et tanto dissolutius vagatur. Omnium enim rerum

humanarum ea est conditio, ut, licet a parvis initiis nascantur, et, priusquam aut natura aut studio excultae fuerint, multis vitiis laborent, laetius tamen vigeant, quam quum aetate confectae temporisque iniuria dilapsae ad interitum vergant.

Itaque in N. T. particulae ἵνα significatio latissime patet, ut non solum finem seu consilium, sed etiam eventum vel effectum, temporisque et loci opportunitatem significet, et garmanicae *dass*, latinae *ut* simillima esse videatur. Sunt etiam loci, ubi binae notiones cogitatione coniunctae sint; etenim quum factum quid aut fieri potuisse cogitamus, aut finis aut causae, modive quo factum sit cogitatio plerumque adiuncta est. Praeterea coniunctiones ad utramque, quam coniungunt, enunciationem referendae sunt. Sic v. c. Marc. XI, 25. *εἴ τι ἔχετε κατά τινος, ἀφίετε, ἵνα καὶ ὁ πατὴρ ὑμῶν ἀφῇ ὑμῖν τὰ παραπτώματα ὑμῶν.* Non potuit Dominus prudentiam illam suadere, ut aliis ideo ignoscerent, ut ipsi a deo veniam acciperent, quod ab animi integritate mentisque puritate prorsus alienum est; sed voluit eos apud se reputare, si animum implacabilem haberent, sperare eos non posse, ut deus ipsis ignoscat, ita ut, si ipsi non sint ad ignoscendum parati, fieri non possit, ut veniam accipiant. Sic etiam Rom. III, 8. manifestum est, notionem causae et effectus eadem istorum hominum cogitatione comprehendi: *ποιήσωμεν τὰ κακὰ, ἵνα ἔλθῃ τὰ ἀγαθά,* ubi putant nonnulli, *ἵνα quoniam* significare. Scilicet illi homines, Iesuitarum more, culpam nequitiae deprecantur; dicunt enim, se culpa carere, non quod eo consilio peccaverint, ut boni quid inde nasceretur, sed quoniam *τὸ ψεῦσμα* ipsorum efficiat, ut *περισσεύῃ ἡ ἀλήθεια τοῦ θεοῦ.* v. 7. conf. Cap. VI, 1. Licet igitur, inquiunt, facere malum, ut nascatur bonum. Sed quoniam tota haec disputatio orta est ex iis locis, in quibus aliqua res quae isto tempore facta est, refertur ad aliquod dictum Vet. Test., liceat mihi huius generis locorum exemplo ostendere, quomodo de vi *τελικῇ* particulae *ἵνα* sentiam. Ac primum quidem hoc mihi

omnes concessuros esse arbitror, in his locis *consilii* notionem non reperiri: haec enim ibi tantum locum habet, ubi id, quod factum est, alicuius consilio factum cogitatur; quam cogitationem vident omnes ab illis locis alienissimam esse. Neque vero melius *finis* notio convenit. Quis enim non videat, absurdissimam sententiam proditurum esse, si dicamus, istarum rerum, quae tempore Christi acciderunt, hunc finem (causam cur fierent) fuisse, ut illa dicta implerentur. Breviter nonnullos Matthaei locos examinabimus: Matth. I, 2. postquam Iosepho adnunciatus fuerat partus Messiae, additur v. 22. τοῦτο δὲ ὅλον γέγονεν, ἵνα πληρωθῇ τὸ ῥηθὲν διὰ τῶν προφητῶν. Ies. VII, 14. Quid vero? num Dominus ideo ex virgine natus est, ut illud dictum impleretur? Matth. II, 15. narratur, Iosephum cum Iesu puero usque ad mortem Herodis in Aegypto delituisse, ἵνα πληρωθῇ τὸ ῥηθέν. *Hos.* XI, 1. Quid dictum sit, non curo, neque opus est, ut demonstretur, id non de Iesu, sed de populo Iudaico dictum esse; nam certum est, illius commorationis finem non fuisse illius dicti impletionem. An (Matth. IV, 13.) Dominus per aliquod tempus Capernaumi ideo vixit, ut dictum Iesaiae (VIII, 23. IX, 1.) eveniret? Eadem ratio est locorum reliquorum apud Matthaeum XXI, 4. XXVI, 56. Apud Marcum semel tantum haec formula eodem sensu occurrit. XIV; 49. Lucas eam non habet, neque in Actis reperitur. Apud Iohannem, qui frequentissime particula ἵνα utitur, tantum legitur XII, 38. XIII, 18. XV, 25. XVI, 25. XVII, 12. XVIII, 9. XIX, 24. 28. 36. Ex his locis omnibus clarissime intelligi posse puto, particulam ἵνα ne tunc quidem finem significare, quum ad certissima vaticinia referatur, neque opus fuisse arbitror, ut, quoniam non omnia Vet. Test. dicta, quae afferuntur, pro veris de Christo vaticiniis haberi posse interpretes intelligerent, ad duplicem particulae ἵνα in eiusmodi locis significationem confugerent; semper enim eventum cum re praedicta convenire indicat.

Sed non in his tantum formulis ἀποτελεστικῶς s. ἐκ-

βατικῶς particula *ἵνα* dicitur. Sunt enim loci plurimi, in quibus notio finis seu consilii locum non habet, quoniam absurdissimam scribentis loquentisve redderet sententiam. Frequentissmi apud Iohannem occurrunt. Is enim, quum causa alicuius rei in re quadam alia sita esse dicitur, plerumque effectum cum causa per hanc particulam solet coniungere; neque desunt loci, in quibus *ἵνα* bis deinceps diverso sensu dicitur. Sic statim ab initio: (I, 7.) *οὗτος ἦλθεν εἰς μαρτυρίαν, ἵνα μαρτυρήσῃ περὶ τοῦ φωτὸς, ἵνα πάντες πιστεύσωσι δι' αὐτοῦ.* Prius *ἵνα* finem adventus indicat ut v. sequenti, explicat enim praecedentia, *ἦλθεν εἰς μαρτυρίαν,* (Xenoph. Erped. Cyr. II, 5. 2. 2. Cor. II, 9. iunguntur *εἰς τοῦτο, ἵνα,* ut Rom. IX, 17. *εἰς τοῦτο ὅπως·* et Ioh. XVIII, 37.) posterius, quid hoc testimonio effecturus sit. Et cap. XV, 16. XVII, 21. *ἵνα ἓν ὦσιν, ἵνα ὁ κόσμος πιστεύσῃ.* conf. v. 23. 24. Usum *ἀποτελεστικόν* etiam in iis obtinere formulis puto, in quibus explicandis torquere se interpretes quidam solent ut et salva sententia sit, et *ἵνα* tamen *τὸ τέλος* significare videatur; v. c. Ioh. IX. 2. *τίς ἥμαρτεν, ἵνα τυφλὸς γεννηθῇ.* XI, 4. *ὑπὲρ τῆς δόξης τοῦ θεοῦ, ἵνα δοξασθῇ ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ.* Morbus non habebat hunc finem, sed effecit, ut filius dei *δοξασθῇ.* v. 15. *χαίρω δὲ ὑμᾶς, ἵνα πιστεύσητε, ὅτι οὐκ ἤμην ἐκεῖ.* Nam quum non adfuisset ante mortem Lazari, sed per biduum moratus esset adventum (v. 6.) nunc accepto mortis nuncio, ad eum profecturus, laetatur, quod resuscitatione eventurum erat, ut fides amicorum confirmaretur. v. 37. *ποιῆσαι, ἵνα καὶ οὗτος μὴ ἀποθάνῃ.* v. 42. v. 50. *συμφέρει ἡμῖν, ἵνα εἰς ἀποθάνῃ.* et XVI, *συμφέρει ὑμῖν ἵνα ἐγὼ ἀπέλθω.* XVII. 3. 1. Ep. V, 3. etc. Horum locorum quamquam diversa ratio est: nam in aliis quidem eventus, in aliis causa particulam *ἵνα* praecedit; tamen certum est, in omnibus eiusmodi locis consilii vel finis notionem locum non habere. Eadem ratio est locorum multorum in epistolis Pauli, cuius abundans et supervenientibus cogitationibus saepius interrupta et fere oppressa oratio haud raro similem quamque

(*συνώνυμον*) particulam arripuisse videtur, quoniam fervens eius animus verborum delectum moramque non pateretur. Exempla nonnulla ex Ep. ad Romanos ponamus. III, 19. IV, 16. V, 20, 21. VI, 1. 4. 6. VII, 13. IX, 11. XI, 11. (quem locum Augustinus, graecae linguae valde ignarus, tamen recte de effectu interpretatus est, latina verba sequutus; nam Romani part. *ut* eodem modo utuntur), conf. v. 19. *) et 31. XV, 6. 16. 31. 32. Sed non opus est exemplis pluribus. De duabus tantum dicendi formulis adhuc pauca dicam. Primum genus est, quum *ἵνα* post verba rogandi, monendi, imperandi et alia, quae studium aliquod indicant, sequitur, quod est frequentissimum in N. T. Negant et in his formulis *ἵνα* obiectum significare, aiunt, finem s. consilium eius, qui iubeat, moneat, roget etc. indicare v. c. *εἰπὲ ἵνα*, *παρεκάλεσαν ἵνα ἅψωνται*, explicant: iube ideo ut, rogarunt eum ideo ut tangerent. Sed praeter ea, quae iam *Winerus* contra hanc rationem monuit (*Gramm.* fasc. II. p. 117. sq.) liceat mihi afferre exempla scriptorum elegantiorum. Dicunt quidem, recentioribus tantum hunc usum proprium fuis-

---

*) Locus difficilis, necdum satis expeditus. Nam illud quidem certum est, *ἵνα* effectum significare. Nam reiectio Iudaeorum cessit *εἰς καταλλαγὴν κόσμου*. v. 19. *τὸ ἥττωμα αὐτῶν* factum est *πλοῦτος ἐθνῶν*. v. 12. *ἠλεήθητε τῇ αὐτῶν ἀπειθείᾳ*. v. 30. Sed difficultas est in nexu sententiarum. Vulgo putant verba v. 19. obiectionem continere; mihi secus videtur: non convenit enim obiectio cum antecedentibus. Nam v. 18. dixerat, non esse, quod de ramis gloriarentur. Itaque si nova obiectio sequutura erat, dici non poterat: *ἐρεῖς οὖν*, sed: *ἀλλ' ἐρεῖς*, nam in iis, quae dicta erant, nulla erat causa argumentandi sententiam contrariam. Neque conveniunt obiectioni sequentia v. 20. *καλῶς· τῇ ἀπιστίᾳ ἐξεκλάσθησαν* etc.; non probare obiectionem poterat, neque improbat neque restringit sententiam; scribere enim debuisset: *ἀλλὰ (οἱ μὲν κλάδοι) τῇ ἀπιστίᾳ ἐξεκλάσθησαν — μὴ (οὖν) ὑψηλοφρόνει*. Puto igitur, in versu 19 inesse ipsius apostoli conclusionem ex antecedentibus: non licet, inquit, gloriari de ramis: dicas igitur, illorum amputatione tibi contigisse, ut radicis particeps fieres. Recte (hoc dixeris). Sed videant alii.

se, ut post eiusmodi verba pro infinitivo ἵνα ponerent, afferuntque hoc unum exemplum ex Homero, Iliad. I. v. 133. Ἦ ἐθέλεις ὄφρ' αὐτὸς ἔχῃς γέρας ἀλλ' ἐμὲ αὔτως Ἧσθαι δευόμενον, quod seriores imitati fuerint. (Vid. Hermannus ad Orphica p. 814.). Verum est, rarissime apud scriptores classicos reperiri, licet recentioribus sit frequentissimum. [Ipse Nonnus in paraphrasi plerumque ὄφρα iis locis scripsit, ubi apud Iohannem est ἵνα. v. VI, 7. οὐκ ἀρκοῦσιν, ἵνα — οὐκ ἄρκιοί εἰσι κορέσσαι, ὄφρα κε βαιὸν ἕκαστος ἔχῃ μέρος. (conf. v. 29. 30.) XI, 15. (de quo modo dictum est) χαίρω δὲ δι' ὑμέας, ὦ ἐνὶ χώρῳ Οὐ γενόμην. — Ὄφρα κε πίστιν ἔχοιτε. XI, 57. ubi ἵνα et ὅπως per ὄφρα reddidit. (Sed XV, 12. verba ἐντολὴ ἐμὴ — ἵνα ἀγαπᾶτε ἀλλήλους, expressit — ἐφετμῆς, ἀλλήλους ἵνα πάντες ἀεὶ φιλέοιτε.) XVII, 15. οὐκ αἰτίζω σε, ὄφρα μεταστήσειας — ἀλλ' ἵνα. v. 24. βούλομαι ὄφρα καὶ αὐτοὶ etc.] Sed exstant tamen exempla apud scriptores accuratiores, Lucianum, Dionysium Halicarn. Charitomen III, 1. init. παρεκάλει δὲ Καλλιῤῥόην, ἵνα αὐτῷ προσέλθῃ, et alios (vid. Schaefer. ad Dionys. Hal. de verb. comp. p. 121. ideoque non erat, quod in hac constructione Hebraismum quaererent. (Apud Alexandrinos rarissime occurrit.) In his locis non video, qua ratione negent, per particulam ἵνα obiectum significari. Neque satis commode nostra *dass* et *damit* comparant. Etenim particula quidem *dass*, ut ἵνα, ad quemvis nexum causalem indicandum utimur, ideoque etiam cum rem, quam petimus, significamus; sed *damit* respondet potius particulae ὅπως. Semper enim post verba iubendi, monendi, rogandi etc. part. *dass* utimur, ut rem ipsam, quam volumus petimusve, indicemus. Nemo enim dixerit: *ich bitte dich, damit du mir Brod gebest; ich befehle dir, damit du fortgehest; ich bitte, befehle, dass du fortgehest, damit ich dich nicht mehr sehe;* plane ut Ioh. XI, 57. Δεδώκεισαν δὲ ἐντολήν, ἵνα ἐάν τις γνῷ, ποῦ ἐστι, μηνύσῃ, ὅπως πιάσωσιν αὐτόν. Nam *damit* consilium quidem s. finem denotat, quae propria est eius vis et provincia, sed in sermone vulgari (et

passim in Lutheri versione) latiorem usum habet; attamen post verba rogandi etc. poni non potest. Sed part. *dass* tam late patet, uti latina particula *ut*, quae graecarum *ἵνα*, *ὡς*, *ὥστε*, *ὅπως* provinciam aeque sustinet. Ac mihi quidem istius constructionis haec ratio esse videtur. Quum res ipsa, quam rogamus petimusve, substantivo exprimi nomine potest, accusativus ponitur; est enim hoc proprium munus accusativi, v. c. *αἰτῶ ἄρτον*, *βούλομαι εἰρήνην*. Sed si fieri hoc non potest vel quod imperfecta et dubia futura esset sententia, vel quia id, quod fieri volumus, rogamus etc. actione constat, qua quid efficiatur, aut infinitivus ponitur, aut alia constructione causali utendum est. Nam si diceretur v. c. *ἐνετείλατο ἄρτον*, s. *παρεκάλεσεν εἰρήνην*, imperfecta esset sententia; nimirum voluit, donari, aut emi panem, hortatus est, ut pacem colerent aut facerent. Ergo constructione verbali opus est, *ἐνετείλατο ἄρτον ἀγοράζειν*, *παρεκάλεσεν ἔχειν* s. *ποιεῖν εἰρήνην*. Ponitur enim plerumque infinitivus, nisi si incerta futura esset ratio subiecti et praedicati, quae ex notione verbi antecedentis cognoscenda est. Quae quum in verbis, quae studium aut voluntatem significant, certa sit, Graeci plerumque ponunt infinitivum: in his enim incertum esse non potest, quod quis voluisse dicatur, id ipsum fuisse obiectum voluntatis. Itaque Graeci quidem elegantiores, qui lingua iam satis exculta scripserunt, infinitivo, sed seriores in his quoque locis, ubi non opus erat, particula causali *ἵνα* vel *ὅπως* usi sunt, contra haud raro etiam tum, quum ambigua esset infinitivi potestas, infinitivum posuerunt. Ita factum est, ut post verba rogandi etc. obiectum per part. *ἵνα* expresserint. Occurrit autem haec dicendi ratio non tantum apud homines indoctos aut infimae graecitatis scriptores, ut supra Luciani aliorumque exemplo monstratum est. Sed apud eos quoque, qui elegantissimi habentur, quaedam loquutiones reperiuntur, quae usum loquendi communem satis clare prodere videntur. Sunt hae formulae ellipticae, quae e sermone vulgari in libros transierunt, et hodie in dialogis frequenter occurrunt.

Nolo enim illo Herodoti (I, 126.) exemplo uti, quod iam Schaeferus attulit l. c., τοῦ ἐσιόντος πρὸς αὐτὴν ἑκάστου δέεσθαι, ὅκως ἂν αὐτῇ ἕνα λίθον δωρέοιτο, quamquam eandem constructionem verba habent; nam in hoc loco nulla est ellipsis. Sed dico v. c. formulam: τί θέλεις ποιήσω, in qua non dubitant, quin ἵνα suppleant (conf. Matth. XX, 32. Ioh. XVIII, 39. etc.). Enimvero scire velim, qua ratione in hanc formulam finis s. consilii notionem invehant. Notissima est constructio v. βούλεσθαι cum futuro aut coniunctivo v. c. Aristoph. Ran. v. 420. βούλεσθε δῆτα κοινῇ κώψωμεν Ἀρχέδημον. et Equit. v. 52. βούλει παραθῶ σοι δόρπον. Saepissime apud Lucianum Mort. Diac. X, 8. (III, 372.) βούλει μικρὸν ἀφέλωμαι καὶ τῶν ὀφρύων; Dial. XX, 3. (p. 414.) βούλει σοὶ ἐπιδείξω καὶ τοὺς σοφούς; Timon. 37. (I, 149.) βούλει διαλογίσωμαι πρὸς σέ; vid. ibi Hemsterhus. Deor. Dial. XX, 16. (I, 266.) βούλει ἐπομόσωμαι. Sed non opus est exemplis; apud Xenophontem et Platonem plurima occurrunt: fuit enim haec formula elliptica, in colloquiis, ut videtur, usitatissima. (Vid. Schol. ad Eurip. Phoeniss. v. 729.) Atque ego quidem in hac formula luculenta vulgaris usus reliquias reperiri puto, sed in ea finis s. consilii notionem locum non habere, omnes intelligunt. (Vide Hermannum ad Vigerum p. 884.) Sed ad alterum veniamus.

Etenim ἵνα in Evangelio Iohannis nonnullis locis χρονικῶς dici videtur, v. c. Ioh. XII, 23. ἐλήλυθεν ἡ ὥρα, ἵνα δοξασθῇ. XIII, 1. XVI, 2. 32. Nonnus semper per ὅτε expressit. Observarunt Grammatici, huius loquutionis exempla tantum in libris sacris N. T. reperiri. Vnus affertur locus Aristophanis Nubb. v. 1235. Καὶ ταῦτ' ἐθελήσεις ἀπομόσαι μοι τοὺς θεοὺς, Ἵν' ἂν κελεύσω 'γώ σε; in quo χρονικῶς dictum videri possit: Henricus Stephanus e veteri lexico vertit quandocunque. Sed ut concedam, particulas, quae proprie locum significare putantur, saepius etiam tempori designando inservire, (quod ipsis part. germanicis *wo* et *da*, quae adverbio ἵνα accurate respondet, accidit), tamen constructio c. coniunctivo ob-

stare videtur, quo minus adverbii vicem gerere his locis videatur. Constat enim, ἵνα, si τοπικόν sit, non cum coniunctivo construi, nisi additum sit ἄν, ex quo pendeat coniunctivus. Nam qui in Lexicis nostris passim afferuntur, hi quidem loci prorsus alieni sunt, v. c. Callimach. H. in Cer. v. 12. Homer Iliad. VII, 353. Afferuntur etiam etiam ex Xenophonte loci duo, sed unus Memor. II, 1. 11. emendatus non habet ἵνα τίς μοι δοκῇ, sed εἶναί τίς μοί δοκεῖ, in altero de Venat. VI, 7. ἵνα non τοπικόν est, sed τελικόν, ἵνα δ' αὐτῶν μηδὲν ἀντέχηται, i. e. sed ne quid iis obstet, furcas (quibus suspensa sunt retia) supinas terrae infigere oportet: est enim hoc ubique locorum faciendum, ὅπως ἂν ἐπαγόμεναι (αἱ ἄρκυες) ἔχωσι τὸ σύντονον. Itaque vereor, ut in istis formulis Iohanni propriis (nam apud reliquos scriptores sacros non reperiuntur) ἵνα loci notionem habeat, quae ad tempus referri possit. Praeterea nunquam, quantum sciam, in N. T. ἵνα τοπικῶς dicitur. Quare mihi quidem ista formula ex usu latiori particulae ἵνα explicanda esse videtur, ita ut significet, quid ista ὥρᾳ eventurum sit. Nam Graeci quidem rem, quae aliquo tempore fieri debeat aut possit, plerumque infinitivo exprimunt, (καιρὸς καθεύδειν, ὥρα δειπνεῖν), aut genitivo, nisi ubi perspicuitatis causa circumscriptione opus est. (Iliad. IV, 164. VI, 448.) Ipse Iohannes IV, 23. ὥρα, ὅτε, item V, 25. sed eiusdem cap. v. 28. ὥρα, ἐν ᾗ habet. Sed quemadmodum nos quoque in sermone vulgari, quum tempus designamus, quo quidquam *futurum* sit, modo particulis quae loci temporisve notionem habent, modo pronomine relativo, modo particula causali *dass* uti solemus (*es kommt die Zeit, wo, da, zu welcher, dass du es bereuen wirst*) ita etiam formula ὥρα, ἵνα eodem modo explicari posse videtur: veniet tempus (quo futurum est) ut hoc fiat. Eodem modo Latini loquuntur. Neque omni ratione destitutus est, si modo concedere velimus, quod plurimorum scriptorum exempla demonstrant, ἵνα non solum finem s. consilum signi-

ficare, sed etiam in rei, quae aliam sequuta est indicandae inserviisse, si quis nexus causalis cogitaretur.

Sed nunc quidem subsistendum est; quae restant in proximam opportunitatem differenda sunt. Nunc id faciamus, cuius causa haec scripta sunt. Instant enim dies festi, quibus celebratur memoria resurrectionis domini nostri Iesu Christi, qui postquam patris coelestis consilio ad mortem usque satisfecisset, *ἵνα πληρώσῃ τὰ πάντα*, nactus est imperium usque ad finem huius rerum humanarum cursus duraturum. Adest igitur tempus *ἵνα* et nos *δοξάσωμεν τὸν θεόν, τὸν ἀναστήσαντα Ἰησοῦν Χριστὸν ἐκ νεκρῶν, καὶ δόντι αὐτῷ ὄνομα ὑπὲρ πᾶν ὄνομα, ἵνα πᾶν γόνυ κάμψῃ καὶ πᾶσα γλῶσσα ἐξομολογήσηται, ὅτι κύριος Ἰησοῦς Χριστός*. Quod ut faciatis, CIVES CARISSIMI, hortor et obsecro.

P. P. Dom. Palm. a. Dom. MDCCCXXXI. in Vniv. Lips.

CAP. II.

Quae nuper de usu particulae ἵνα in N. T. disputavi, ea non vereor, ne quis eo consilio a me dicta putet, ut scriptores sacros in ea adhibenda linguae graecae purioris usum semper observasse demonstrarem. Scio enim, multas in N. T. formulas reperiri, quae apud nullum scriptorem classicum reperiantur, neque ex iis regulis, quibus hominum doctorum et exercitatorum sermo continetur, explicari possit. Sed Wahlii, Bretschneideri aliorumque lexica tot exempla praebent, ut non opus sit ea repetere. Sed hoc tamen affirmo, istas formulas non ratione carere, si modo ex analogia linguae explicentur, quam qui quibusdam grammaticorum regulis contineri putant, hi mihi quidem iis similes esse videntur, qui vitam hominum tantum ex libris cognitam habent. Scriptores sacri N. T. autem, quamquam regulas linguae graecae syntacticas servarunt, quas ipsa ratio linguae legesque cogitandi postulant, ita tamen loquuti sunt, ut vitae communis usum loquendi consuetudinemque sequerentur, quam nondum vidimus ita explicatam esse, ut de vera eius ratione constare videatur: neque enim ex grammaticis, sed ex logicis regulis, id est, ex legibus cogitandi, aestumanda est. Quas non tam angustis, quam syntacticas, finibus contineri, scriptorum probatissimorum loci plurimi ostendunt, in quibus ad anacoluthon grammatici refugere coguntur. Sed nunc de duabus aliis particulis dicamus, quae cum ἵνα in eo conveniunt, quod nexui cuidam causali mutuo

indicando inserviunt. Nam ἵνα latissime patet, (ut nostrum *dass*. Hermannus cum hodiernorum Graecorum *νά* comparat); ὅπως in verbo antecedenti modum rei demonstrat, cuius notio inest in verbo sequenti; ὥστε effectum rei, quae verbo praecedenti significatur, indicat.

ὅπως.

Errare Lexicographi nostri videntur, qui primariam huius particulae significationem *finalem* esse dicunt. Quamquam enim saepissime sic dicitur, ut sit *ut*, finem indicans, tamen haec ipsa significatio secundaria esse videtur; potest enim pluribus argumentis demonstrari, eam ex illa ortam esse potestate, quam ὅπως, sua origine habeat. Est autem haec prima eius potestas, ut modum rei significet, quem simplici interrogatione quaerit particula πῶς. Nam quum relativa sit particula ὅπως (ut reliquae, quae cum ὁ compositae sunt, ὁπότε, ὅπου, ὅπῃ), absolute quidem poni non potest, ut simpliciter interroget, nisi ubi repetat interrogationem, antequam respondeatur, quod est indignantis aut mirantis ob interrogationem, vel sese colligentis, et saepius apud Aristophanem occurrit. Aristoph. Nubib. v. 677. Vesp. v. 48. Thesmoph. v. 210. (similiter apud eundem Nubib. v. 214. ἀλλ' ἡ Λακεδαίμων ποῦ 'στιν; ὅπου 'στιν; αὑτηί). Eadem ratio est, si verbum interrogandi praecessit, ut apud Xenophontem Memorab. IV. 8. 6. ἐπεὶ δὲ αὐτὸν ἤρετο ὅπως; εἰπεῖν αὐτόν. Recte igitur dubitarunt Grammatici an ὅπως pro πῶς dici possit: nam interrogationi directae et absolutae non potest inservire; tamquam si quis dicat: ὅπως λέγεις; ὅπως γέγονε τοῦτο; sed non debebant dubitare, quin ὅπως cum πῶς permutari possit eadem ratione, qua πῶς aliquoties pro ὅπως ponitur, i. e. si non directe interrogatur, sed cogitatur, quaeri, deliberari, dubitari etc., quo modo aliquid fiat factumve sit. Atque haec Thomae Mag. sententia fuisse videtur, quum paulo negligentius more suo scriberet: τὸ ὅπως καὶ ἀντὶ τοῦ ἵνα, καὶ ἀντὶ τοῦ πῶς. Rem clarisimam reddit unus locus

apud Xenophontem Cyrop. I. 6, 42. 43. (19. p. 82.) προσκόπει, ὅπως τὰ εἰς νύκτα κάλλιστα ἕξει· ὅπως δὲ χρὴ τάσσειν εἰς μάχην στρατιὰν, ἢ ὅπως ἄγειν, ἢ ὅπως — (octies repetitur ὅπως) καὶ εἴ γε δή σοι κατὰ κέρας ἄγοντι οἱ πολέμιοι ἐπιφανεῖεν, πῶς χρὴ ἀντικαθιστάναι; καὶ εἴ σοι ἐπὶ φάλαγγος ἄγοντι φανεῖεν, ὅπως χρὴ ἀντιπαράγειν. Et Lib. IV. 3, 19. (4. p. 233.) τοὺς μὲν ἱπποκενταύρους ἀπορεῖν, πολλοῖς μὲν ὅπως δεῖ χρῆσθαι, πολλῶν δὲ τῶν ἵπποις πεφυκότων ἡδέων πῶς αὐτῶν χρὴ ἀπολαύειν. Sed quod alio loco Thomas tradit, ὅπως et πῶς tantum literis differre, ut promiscue scribantur, ὡς ὁ ῥυθμὸς ἀπαιτεῖ id sine dubio falsum est.

Ab hac prima part. ὅπως significatione, *qua ratione, quo modo*, reliquae eiusdem notionis veluti formae oriuntur. Et prima quidem est, quam vulgo τελικήν appellant, quum finem rei s. actionis, quae in antecedenti verbo inest, indicare videtur. Ab ea grammatici distinguere solent ἀποτελεστικήν, in qua effectus tantum cogitetur, et ἐκβατικήν, quum alicuius rei eventum denotet; quae dubitant, an apud scriptores bonos reperiantur. Sed non intelligo, quo tandem modo haec distinctio cum prima potestate particulae conveniat. Imo per se quidem nunquam finem denotat, sed modum s. rationem rei, quae in praedicato (i. e. in enuntiatione posteriori) cogitatur. Sed finis non necessaria accessio est, imo per se quidem nihil aliud indicat, quam quomodo aliquid fiat factumve sit, aut fieri possit. An hic ipse finis fuerit, ut illud fieret, ne ex constructione quidem intelligi potest. Quemadmodum enim ἵνα, *ut*, finem indicans, non tantum coniunctivo et optativo, sed etiam cum indicativo construitur, ita etiam in part. ὅπως eadem modorum ratio est, sive sit *quomodo*, sive sit *ut*, finem indicans (vid. Hermann. ad Viger. p. 791.) Pendet enim modorum ratio non ex particula, sed ex diversa ratione, qua quidquam esse cogitatur. Alia ratio est, quum post ὅπως verbo ἄν additum est. Sed ibi modus non ex ὅπως, sed ex part. ἄν pendet, de qua nuperrime doctissimum et

subtilissimum librum scripsit Hermannus. Non differunt enim haec: σκεπτέον, ὅπως ἐλάχιστα λάβοιμεν (Xenoph. Exp. Cyr. IV. 6, 7.) ubi dicunt ὅπως esse *quomodo*, ab his, in quibus volunt esse pro ἵνα finem indicante: καὶ ἦν μὲν ὅτε ἐπεμελοῦντο, ὅπως ἄξιοι εἶεν ἡγεῖσθαι· νῦν δὲ πολὺ μᾶλλον πραγματεύονται, ὅπως ἄρξουσιν, ἢ ὅπως ἄξιοι τούτων ἔσονται. (Rep. Laced. 14, 5.) et in Ages. 2, 8. ἐπεμελήθη δ' ὅπως οἱ στρατιῶται τοὺς πόνους δυνήσοιντο ὑποφέρειν. Neque vero finis notio in verbo ἐπιμελεῖσθαι potior est quam in σκέπτεσθαι. Itaque, utrum finis notio adsit, an effectus tantum cogitetur, aliunde cognoscendum est. Certe non necessario inest in verbis, quae iubendi, curandi, monendi, rogandi etc. notionem habent. Itaque usus ille τελικός, quem dicunt, mihi quidem e potestate ἀποτελεστικῇ, haec autem ex prima particulae significatione derivanda videtur. Hinc etiam intelligi puto, non prorsus ratione carere, quod ὅπως de eventu dicatur; quamquam lubenter concedo, huius significationis exempla apud scriptores accuratiores non reperiri. Hos enim ὥστε ponere, satis constat. Sed ille usus ἐκβατικός, quem dicunt, tam parum differt ab usu, qui ἀποτελεστικός vocatur, ut theologis potius, (istarum formularum gratia ἵνα, ὅπως πληρωθῇ) quam philologis convenire ista distinctio videatur. Nam si quid effectum esse cogitatur, id ipsum etiam evenisse cogitetur necesse est. Et quum ὥστε effectum denotat, simul etiam, quid evenerit, indicat, sive casu, sive consilio id factum fuerit. Neque falli putem eum, qui existimet, in hoc genere formularum, nisi ellipsin, certe eiusmodi omissionem locum habere, quae in latina et germanica lingua frequentissimae sunt, particularum, quae salva perspicuitate omitti possunt, quoniam per se apparet, quo sententia referenda sit. Nam si latini dicunt: loquutus est, *ut* omnes eum admiraretur, aut sic caedit eum, *ut* moreretur, plene quidem loquutus est: *ita ut*, sed sponte intelligitur *ita* vel *sic* vel *adeo*, ideoque omittitur. Sic etiam nos dicimus: *er lehrte* (*so*), *dass alle sich verwunderten*, *er schlug ihn* (*so*),

dass er starb. Et graece quidem saepius addunt οὕτως, sed etiam omittunt, non tantum si in voce praegressa lateat, v. c. ἱκανὸς ὥστε, sed in aliis quoque enunciationibus, ubi commode intelligitur v. c. ξυνετάξαντο ὥστε ἐνέπλησαν τὴν ὁδόν. (Xenoph. Hist. Gr. II. 4. 8.) ὥστε προβουλεύεσθαι μὲν ἵππου δὲ τάχος ἔχειν καὶ ἰσχὺν, ὥστε αἱρεῖν. (Cyrop. IV, 8. 317.) Manifesta est omissio ante ὅπως in illo Homeri loco: Odyss. VI. v. 319. ἡ δὲ μάλ' ἡνιόχευεν, ὅπως ἅμ' ἑποίατο πεζοὶ ἀμφίπολοί τ' Ὀδυσεύς τε· νόῳ δ' ἐπέβαλλεν ἱμάσθλην. Usus enim in omnibus linguis breviloquentiam parit, ut vocabula quaedam, e quibus non logica solum, sed etiam grammatica enunciationis ratio pendere videatur, omittantur; quam consuetudinem qui non satis recte aestumarent, infinitum ellipsium numerum ubique invenerunt. Sed ut ad ὅπως redeamus, huius quidem particulae quum haec propria provincia sit, ut, *quomodo* aliquid factum sit fierive possit, significet, per se quidem nihil aliud indicat, quam hoc vel alio modo quidquam effectum esse, i. e. evenisse, aut effici certe potuisse vel debuisse, ideoque si finis s. consilii notio accesserit, haec certe non est in ipsa notione particulae, sed aliunde accedat necesse est. Sic v. c. quum dicitur: συμπέμπει πρεσβυτέρους, ὅπως φυλάττοιεν αὐτόν, intelligitur quidem, illum eo consilio τοὺς πρεσβυτέρους comites dedisse, ut Cyrum φυλάττοιεν, sed per se tamen ὅπως non necessario finem indicat. Saepissime enim eadem constructione, non *ut*, finem indicans, sed *quomodo*, qua ratione, significat, quae propria eius potestas est. Nam si apud Homerum dicitur, φρονέων, ὅπως διέλθοιεν (Iliad. X, v. 491.) aut ὥρμηνεν, ὅπως πεύσειε (XXI, v. 137.) finem quidem verba, φρονέων, ὥρμηνεν, indicant (ut saepissime in aliis v. c. XXI, v. 548. παρ' δέ οἱ αὐτὸς ἔστη, ὅπως ἀλάλκοι) sed causa, cur finem indicet, non est in ipsa particula. Sed quod supra de ἵνα dictum est, id etiam de ὅπως valere arbitror. Scilicet usus eius communis latius olim patuit, quam apud parvum numerum scriptorum elegantiorum, ideoque cavendum est, ne ad horum

normam regulam necessariam scribamus; i. e. ὅπως finem, non effectum denotare, quia meliores scriptores effectum plerumque per ὥστε exprimere soleant. Neque apud antiquos scriptores desunt loci, in quibus ὅπως eodem modo, quem tantum apud infimae graecitatis scriptores reperiri dicunt, et vehementer reprehendunt, dici, manifestum foret omnibus, nisi hanc regulam scripsissent sibi, ὅπως nisi qua ratione, quomodo, significet, finem indicare. Quam regulam ut defendant, in quibusdam dicendi formulis explicandis miro modo versari nonnullos videmus, quamquam cautius quidam praecipiunt, nonnunquam, veluti per exceptionem, apud scriptores classicos post verba, quae proprie requirant infinitivum, ὡς, ὅπως aut similes particulas reperiri v. c. βουλεύομαι, ὅπως σε ἀποδρῶ, παρεκελεύοντο ὅπως, παραγέλλουσιν, ὅπως τελευτῷ etc. misceri enim exempla diversissimi generis solent. Sed in plurimis tamen, nisi ὅπως primam significationem suam tueatur, (qua ratione, quomodo), certe finem sed obiectum denotat, ut supra de ἵνα dictum est. Est autem obiecti notio cum notione finis et effectus tam arcte coniuncta, ut saepe in unam coalescant, ideoque, si ob alias causas liceat, aut particulae aut infinitivus sine offensione adhiberi possint. Ipsius autem infinitivi quum sit indefinita potestas, (nullam enim nisi temporis definitam notionem natura sua habet) fieri non potest, quin saepenumero ad sententiam et cogitationem plene manifestandam minime sufficiat. Satis autem constat, hanc propriam esse particularum provinciam, ut sententiae modum omni ex parte describant. Non sufficit enim, ut rem, quam quis cogitat, quum verba audimus, menti nostrae utrumque informemus. Nam quae particulae παραπληρωματικαί dicuntur, quasi nihil addant ad sententiam, sed metri tantum aut ornatus causa adiiciantur, eae mihi quidem eatenus tantum sic appellari posse videntur, quod sententiam παραπληροῦσιν, i. e. plenam integramque efficiunt et ostendunt: neque enim unquam sunt otiosae; licet nonnunquam difficile sit, singularum munus proprium in

singulis locis certo indicare. Quamquam enim in sermone quotidiano haud raro fit, ut particulae quasi nihil cogitando aut consuetudine aut per oscitantiam immisceantur, necesse tamen est, ut in libris singularum particularum munus diligenter distinguatur. Habet autem haec res duplicem cautionem, primum ut aetatem scriptoris distinguamus: usus enim loquendi et sermonis conformatio singulis seculis mutari solet; deinde ut singulorum scriptorum consuetudinem observemus: alii enim aliis constructionibus et formulis loquendi delectantur. Sic v. c. Dio Cassius frequentius ὅπως quam ἵνα utitur, sive ἵνα sive ὥστε significet.

In N. T. usus part. ὅπως latissime patet: nam praeter propriam significationem, particularum ἵνα et ὥστε munera fere omnia habet. Primum igitur eodem modo ut ἵνα ponitur, ubi non finem sed effectum et exitum indicat. Itaque saepius reperitur, ubi res olim praedictae exitum s. eventum habuisse dicuntur, ὅπως, πληρωθῇ, v. c. Matth. II, 23. XII, 17. XIII, 35. De hac formula non repetam, quae supra dicta sunt. Id unum addere liceat, rationem etiam certiorem esse quam in formula ἵνα πληρωθῇ. Quid enim impedit, quo minus eam reddamus sic, ut vulgaris, quae ab omnibus conceditur, significatio retineatur, v. c. in primo, quem attuli Matthaei loco: καὶ κατῴκησεν εἰς πόλιν λεγομένην Ναζαρέτ, ὅπως πληρωθῇ τὸ ῥηθέν, *ita ut evenerit*, quod dictum est per prophetam. Sed in aliis quoque formulis non finem, sed effectum, s. modum indicat, quo quid effectum fuerit, ut recte se habeant omnia, si modo desinamus docere, ὅπως proprie esse coniunctionem finalem. Matth. V, 16. οὕτω λαμψάτω τὸ φῶς ὑμῶν ἔμπροσθεν τῶν ἀνθρώπων, ὅπως ἴδωσιν ὑμῶν τὰ καλὰ ἔργα i. e. itaque luceat lux vestra coram hominibus, *ita ut* videant opera vestra egregia καὶ δοξάσωσι κ. τ. λ. Sed non praecedente ὅπως (quod ambiguam isto loco rem reddere possit) Matth. V, 45. ἀγαπᾶτε τοὺς ἐχθροὺς—ὅπως γένησθε υἱοὶ τοῦ πατρὸς ὑμῶν i. e. ita ut imitemini patrem vestrum; is enim bene facit bonis et

malis Matth. XXIII, 35. Dixerat Dominus: mittam vobis prophetas, sed hos μαστιγώσετε καὶ διώξετε ὅπως ἔλθῃ ἐφ' ὑμᾶς πᾶν αἷμα δίκαιον, in quo loco absurdum esset τελικῶς intelligere particulam: imo habet propriam suam significationem, exitum indicans, quem habitura erat Iudaeorum perversitas. Et Luc. II, 35. κεῖται εἰς σημεῖον ἀντιλεγόμενον, ὅπως ἀποκαλυφθῶσιν ἐκ πολλῶν καρδιῶν διαλογισμοί (Recte Lutherus: *auf dass.*) Et cap. XVI, 26. χάσμα μέγα ἐστήρικται, ὅπως οἱ θέλοντες διαβῆναι μὴ δύνωνται. Nimirum illud χάσμα non ideo ἐστήρικτο, ne possent διαβῆναι, sed causa erat, cur non possent. (Sed v. 28. causam finalem indicat). Deinde vero etiam post verba iubendi, rogandi, hortandi ponitur, non finem sed rem ipsam indicans. Matth. VIII, 34. παρεκάλεσαν ὅπως IX, 38. δεήθητε ὅπως. Luc. VII, 3. ἐρωτῶν ὅπως. X, 2. δεήθητε ὅπως. XI, 37. ἠρώτα ὅπως. (Nunquam, si recte memini, post substantiva, ἐξουσίαν, ἐντολήν et similia, de quibus supra in ἵνα dictum est.) Loci apud Matth. II, 8. diversa ratio est: ἐπὰν δὲ εὕρητε, ἀπαγγείλατέ μοι, ὅπως κἀγὼ ἐλθὼν προςκυνήσω αὐτῷ. Nam hic indicat, non quid, sed cur renunciari sibi velit. Huius constructionis tot apud optimos scriptores exempla exstant, ut certa ratione minime carere videatur. Sed dicunt, in his quoque causam finalem denotare ὅπως, ut significet, ideo iussisse, monuisse, rogasse quemquam, ut hoc illudve fieret. Verum nulla causa, est, quin obiectum s. rem ipsam significare dicant, quum concedant, si obiectum non finem denotent, cum coniunctionibus construi. Et quum in ipsis istis verbis, v. c. θέλω, βούλομαι, αἰτέω, ἐρωτάω, etc. haec finis s. consilii notio insit, ut nulla ambiguitas oriatur, si construantur cum infinitivo, quidni dicamus potius, Graecos ubi obiectum, non finem, significare vellent, coniunctionibus usos esse. Nam quae causa fuit, cur Xenoph. Memor. init. scripserit: πολλάκις ἐθαύμασα, τίσι ποτὲ λόγοις Ἀθηναίους ἔπεισαν οἱ γραψάμενοι Σωκράτην, ὡς ἄξιος εἴη θανάτου, (poterat enim scribere ἄξιον εἶναι θανάτου, si ad ἔπεισαν referenda essent; sed quum tota

enunciatio, *ὡς — θανάτου*, ad *γραψάμενος* referri debeat, Xenophon ipsam rogationem indicaturus, particula usus est), eadem quin iis quoque locis reperiatur, ubi, praeter consuetudinem et regulam, quam dicunt universalem, verba, in quibus studii notio inest, non cum infinitivo sed cum *ὅκως* construuntur, nemo dubitaverit, nisi hanc particulam per se finem, non autem obiectum denotare opinetur. Afferunt v. c. ex Euripide (Hippol. v. 327.) *Κύπρις γὰρ ἤθελ' ὥ σ τ ε γίγνεσθαι τάδε.* Sed cur non scripsit: *ἤθελε γίγνεσθαι*; scilicet, quod indicandum erat, id ipsum eam voluisse. Et apud Herodotum III, 44. *ἐδεήθη, ὅκως πέμψας εἰς Σάμον δέοιτο στρατοῦ.* (ut apud Homerum Odyss. VII, v. 354. *λίσσετο — ὅπως λύσειεν Ἄρηα* et III, v. 19. *λίσσεσθαι δέ μιν αὐτὸν ὅπως νημερτέα εἴπῃ*) et apud eundem Lib. III, 135. *ἐνετέλλετό σφι διεξελθεῖν ὅκως τε μὴ διαδρήσηται, ἀλλά μιν ὀπίσω ἀπάξωσιν. ἐντειλάμενος δὲ, δεύτερα καλέσας Δημοκήδεα, ἐδέετο αὐτοῦ ὅκως ὀπίσω ἥξει.* Item Lib. VIII, 15. *παρεκελεύοντο οἱ μὲν ὅκως μὴ παρήσωσι — οἱ δ' ὅκως τοῦ πόρου κρατήσωσι* et IX, 117. *ἐδέοντο τῶν στρατηγῶν ὅκως ἀπάγοιεν σφέας ὀπίσω.* Et manifesta est ratio in hoc Thucydidis loco v. 36. *τὸ μέντοι Πάνακτον ἐδέοντο Βοιωτοὺς ὅ π ω ς παραδώσουσι Λακεδαιμονίοις, ἵ ν α, ἀντ' αὐτοῦ Πύλον ἀπολαβόντες, ῥᾷον καθιστῶνται Ἀθηναίοις εἰς πόλεμον.* (conf. Evang. Ioh. XI, 57.) Sed dicat tamen aliquis, notionem finis inesse: nam quod petamus, iubeamus etc. fieri, eum etiam finem esse quem spectemus. Verum est ipsa tamen formula, non causam cur iubeamus aut rogemus, sed rem ipsam, quam petimus, significat. Sed de hoc iam supra dictum est. Unum addam. Plerumque finis, quem spectamus, a re ipsa, quam petimus, diversus est: aliud enim volumus fieri, sed alia est causa, cur id velimus. Ut Thucydidis loco utar, postularunt illi a Boeotis, ut Panactum Lacedaemoniis traderent; hoc igitur voluerunt fieri, sed cur id voluerint, (finem postulandi) sequentia indicant, *ἵνα ῥᾷον καθιστῶνται Ἀθ. εἰς πόλεμον.* Permutantur particulae in loco Ioh. XI, 57. *Δεδώκεισαν ἐν-*

τολὴν, ἵνα ἐάν τις γνῷ, ποῦ ἐστι, μηνύσῃ, ὅπως πιάσωσιν αὐτόν.

Parum diversa ratio esse videtur, quum verba, quibus notio deliberandi, curandi, parandi etc. inest, cum ὅπως aut simili coniunctione construuntur. Est autem cavendum, ne ὅπως *ut* significare putemus, ubi primam significationem retinet; ut sit qua ratione, quomodo, in quo haud raro peccatum est. Sic apud Xenoph. Cyr. I, 4. 13. βουλεύομαι ὅπως σε ἀποδρῶ, est: delibero, *qua ratione* te deseram non autem, *ut* (an) deseram, ut in iis, quae proxime praecedunt: ἐπιβουλεύσας ὅπως ἂν ἀλυπότατα εἴπῃ πρὸς τὸν πάππον καὶ διαπράξειεν. Et Herodot. IV. 33. οἱ Πάριοι ὅκως μέν τι δώσωσι Μιλτιάδῃ ἀργυρίου οὐδὲν διενοεῦντο, ἀλλ' ὅκως διαφυλάξωσι τὴν πόλιν, τοῦτο ἐμηχανῶντο. Alienus est etiam alius Thucydidis locus I, 65. ξυνεβούλευε μὲν — ἐκπλεῦσαι, ὅπως ἐπιπλέον ὁ σῖτος ἀντίσχῃ. Apud Matth. XXII, 15. συμβούλιον ἔλαβον, ὅπως αὐτὸν παγιδεύσωσιν ἐν λόγῳ, non dubium est, utrum sit ὅπως, ut, an quomodo; decreverunt enim eum παγιδεύειν ἐν λόγῳ. Nam συμβούλιον λαβεῖν alias non denotat deliberare sed capere consilium, decernere. Vid. Matth. XII, 14. XXVII, 7. Sed XXVII, 1. est: συμβούλιον ἔλαβον, ὥστε θανατῶσαι αὐτόν. Verbum παραγγέλλειν in N. T. modo cum infinitivo, modo cum ἵνα, sed nunquam, si recte memini, cum ὅπως construitur. Sed apud optimos scriptores παραγγέλλειν ὅπως dicitur, si denunciare, edicere denotat. Plat. Phaed. p. 59. e. παραγγείλαμεν οὖν ἀλλήλοις ἥκειν — sed statim post παραγγέλλουσιν (οἱ ἕνδεκα) ὅπως ἂν τῇδε τῇ ἡμέρᾳ τελευτᾷ (conf. de Rep. III. p. 415. b.) Si quaeramus causam, cur non scriptum sit, παραγγέλλουσιν αὐτῷ — τελευτᾶν, uti paulo ante παρηγγείλαμεν ἥκειν, eam quidem in diversa verbi παραγγέλλειν significatione latere sponte intelligitur; neque credat aliquis, variationis tantum causa mutatas esse constructiones. Sed illud quoque intelligitur, ὅπως h. l. non finem, aut causam finalem, sed rem ipsam (obiectum) denotare; servat enim propriam potestatem suam, ut eam

ipsam rem, quae in verbo praecedente latet, monstret. Recte igitur ὅπως (non ἵνα) Graeci ponunt, ubi indefinita infinitivi notio ambiguam sententiam relictura esset. Sunt enim multa quidem verba, ex quarum notione, quid sibi velit infinitivus, sponte intelligi possit, v. c. θέλω λέγειν, sed sunt plurima quoque, ex quibus, quae sit sequens ratio, cognosci non potest. Non sufficit autem, praecedentis tantum verbi rationem habere, sed etiam, quae verbi (aut enunciationis) sequentis ratio sit, perpendendum est. Sic dici quidem potest: παραγγέλλει ἀπιέναι, sed non potest dici: παραγγέλλει τελευτᾷν. Eadem ratio in lingua Germanica imperat. Dicimus: *ich will schweigen*, *reden*, *gehn*, *er liess ihn gehn*, *er hiess ihn gehn*, sed non dicimus: *ich befehle dir reden*, *schweigen*, *gehn*, sed addimus part. *zu*, *reden* etc. aut cum *dass* construimus. Sed eodem modo sequentis verbi rationem habemus. Dicimus enim quidem: *wir nahmen Abrede*, *morgen mit dem frühsten wieder zu kommen*, παρηγγείλαμεν ἀλλήλοις ἥκειν, sed non dicere possumus: *sie kündigen ihm an*, *heute zu sterben*, sed: *dass er heute sterben müsse*, παραγγέλλουσιν, ὅπως τῇδε τῇ ἡμέρᾳ τελευτᾷ. Nam quod vulgo praecipiunt de fine s. consilio et de eventu s. effectu distinguendo, id quidem, licet plurimorum exemplorum copia illustretur, ad ipsum tamen usum loquendi certis regulis definiendum, minime sufficere, ipsae exceptiones, quas magno numero concedere coguntur, satis clare ostendunt: nam ne exceptiones quidem certa ratione carere possunt, et valde verendum est, ne istae exceptiones saepius, quam putent, veram regulam ostendant, quam accuratior aut recentior scriptorum usus arctioribus limitibus inclusit. Quamobrem gymnasiarcharum, qui ex Homeri carminibus prima tantum linguae graecae rudimenta pueros discere posse putant, idioque tantum in classibus inferiobus Homerum, quod dicunt, tractant, ad tragicos, oratores atticos et philosophos properant et adolescentes ad sublimiora vocant non satis prae-

paratos, eorum quidem ratio mihi nullo pacto probanda videtur. Sed ad ὅπως redeamus.

Sunt enim loci quidem in N. T. in quibus usus particulae ὅπως a propria eius potestate paulo longius recedere videtur. Et primum quidem dicunt ὅπως esse particulam temporis Actor. III, 19. μετανοήσατε οὖν καὶ ἐπιστρέψατε εἰς τὸ ἐξαλειφθῆναι ὑμῶν τὰς ἁμαρτίας, ὅπως ἂν ἔλθωσι καιροὶ ἀναψύξεως ἀπὸ προσώπου τοῦ κυρίου, καὶ ἀποστείλῃ τὸν προκεχειρισμένον ὑμῖν Ἰησοῦν Χριστόν. Vertunt: *postquam* (*quando*) venerint tempora recreationis. Afferunt alios locos ubi tempus designet. Sed si hos accuratius inspiciamus, eorum longe aliam rationem esse intelligemus. Nam in aliis propriam significationem habet, in aliis de re praeterita, non de re futura, dicitur. Aristoph. Vesp. v. 287. ἀνὴρ παχὺς ἥκει — ὃν ὅπως αἰσχυνεῖς, ἐγχυτριεῖς. Sed quid sibi hoc vellet: hunc posquam, quando contumeliossime tractaveris (etiam) occidito. Imo verbi debet *ut;* omissum est enim ὅρα ut v. 1217. eiusdem fabulae: τούτοις ξυνὼν τὰ σκόλι' ὅπως δέξει καλῶς i. e. *vide, cura* ut accipias et in Plut. 826. Ὅπως δέ μοι καὶ τἄλλα συμπαραστάται Ἔσεσθε. Vide Kuster. ad. h. l. et Schaefer ad Bosii Ell. Gr. p. 648. Sed in iis locis, ubi quando, postquam, quum, denotat, de re praeterita non de futura sermo est, ut apud Homerum Odyss. XXII. v. 21. τοὶ δ' ὁμάδησαν — ὅπως ἴδον ἄνδρα πεσόντα et III. v. 373. θαύμαζεν ὅπως ἴδεν. et Iliad. XII. v. 208. ἐῤῥίγησαν, ὅπως ἴδον. Latini: ut viderunt, nos, *wie sie es sahen.*) Sic etiam in loco Herodoti, quem afferunt Lib. II. c. 13. ὡς ἐπὶ Μύριος βασιλῆος ὅκως ἔλθοι ὁ ποταμὸς — ἄρδεσκεν Αἴγυπτόν. Ac si in illo Actorum loco χρονικῶς sumeretur, futuri exacti notionem ἔλθωσι haberet, quia ἂν additum est. Totius loci sententia non admittere hanc explicationem videtur. Olim, inquit Petrus, per inscitiam peccastis; deus autem, quod praedixerat per prophetas, perfecit. Itaque resipiscite, ut peccata vestra deleantur, *quum venerint* καιροὶ ἀναψύξεως, imo vero, quo, i. e. *ut hoc modo* veniant illi dies. Nam peccata non tollenda

erant demum ἐν τοῖς καιροῖς τῆς ἀναψύξεως, quibus missurus erat deus Ἰησοῦν Χριστόν. Sed priusquam illi καιροί venissent, illos oportebat μετανοεῖν καὶ ἐπιστρέψασθαι, εἰς τὸ ἐξαλειφθῆναι αὐτῶν τὰς ἁμαρτίας, quo, (ut hoc modo) vere veniant οἱ καιροὶ τ. ἀναψύξεως, quibus mittet Iesum tempore ἀποκαταστάσεως πάντων, sin minus quum venerit ille non ἀναψύξει fruemini, pessime peribitis. (ἐξολοθρευθήσεται v. 23.) Fuit vero haec frequens et ipsius Domini et Apostolorum admonitio, ut vitae mentisque emendatione (πιστεύσαντες) ad beneficia per Messiam consequenda aptos se redderent, et peccatis, quibus inquinati fuissent, exstinctis, salute sperata vere potirentur. Recte Lutherus loci sententiam expressit. Nam quod verba καὶ ἀποστείλῃ vertit: *wenn er senden wird*, usui loquendi in libris sacris optime convenit. Et observandus est modus verborum, ne perinde esse putemus, utrum cum coniunctivo vel optativo, an cum indicativo construatur, sive futurum, an praesens vel praeteritum sequatur. Redit ὅπως ἄν Act. XV. 17. ἀνοικοδομήσω, ὅπως ἂν ἐκζητήσωσιν. sed hoc quoque loco ὅπως *ut* significat. Saepissime sic apud Aristophanem v. c. Acharn. v. 1059. δεῖται — ὅπως ἂν οἰκουρῇ. Vesp. v. 178. Quae quum ita sint, loci sententia haec esse videtur: Resipiscite et a vitae superioris pravitate animos convertite, ut extinguantur peccata vestra, quo veniat tempus recreationis (salutis quam de regno Messiae exspectatis), quo mittet deus Iesum Christum (τὸν προκεχειρισμένον ὑμῖν, i. e. ἡτοιμασμένον) quem nunc quidem coelum recipit dum ἀποκατάστασις πάντων perficiatur ἕως πληρώσῃ τὰ πάντα. Alter locus, in quo χρονικῶς intelligi posse ὅπως putatur, exstat in Ep. ad Hebr. II, 9. ὅπως χάριτι θεοῦ ὑπὲρ παντὸς γεύσηται θανάτου, quasi scriptum sit ὅπως ἐγεύσατο, qostquam mortem perpessus est. Sed non sollicitanda est significatio. Homini (τῷ ἀνθρώπῳ collective v. 6.) nondum videmus omnia subiecta (v. 8.), sed Iesum videmus *ob ipsam mortem* summo honore politum, ita ut beneficio dei pro omni (homine) mortem perpessus fuerit,

[atque imperium nactus Cap. I, v. 3. Philipp. II, 9. seq.] Conveniebat enim sapientiae divinae, τὸν ἀρχηγὸν τῆς σωτηρίας διὰ παθημάτων (i. e. per calamitates) τελειῶσαι, i. e. εἰς δόξαν ἀγαγεῖν, quod quam vim habeat, in sequentibus copiosissime demonstratur. Etenim mortem quoque eum obire oportebat, ut ad δόξαν perveniret (Luc. XXIV, 26.) et perficere omnia posset. Oportebat enim eum κατὰ πάντα τοῖς ἀδελφοῖς ὁμοιωθῆναι (v. 17.): ergo mortem quoque, sed pro omnibus subiit, ἵνα διὰ τοῦ θανάτου ἀπαλλάξῃ τούτους, ὅσοι φόβῳ τοῦ θανάτου διὰ παντὸς τοῦ ζῆν ἔνοχοι ἦσαν δουλείας (v. 15.). Sic mihi quidem, theologorum rationem docendi, ut πρέπει interpreti, minime curanti, optime omnia cohaerere videntur. Sed nunc quidem ad

ὥ σ τ ε

perveniamus. Haec particula in N. T. eandem fere provinciam habet, quam apud reliquos eosque optimos scriptores; quare pauca tantum de ea dixisse sufficiat.

Constat autem, ὥστε, ut ipsum ὡς, duplicem potissimum vim habere, quae ab uno eodemque fonte derivanda est. Nam ut ὡς, quod proprie rebus (temporibus, locis etc.) comparandis inservit (nostrum *wie*), pro diverso tono, quo enunciatur, aut simpliciter comparat, i. e. rerum similium cogitationem coniungit, φρόνιμοι ὡς οἱ ὄφεις, ἀκέραιοι ὡς αἱ περιστέραι, aut rem unam, quae alteri similis est, demonstrat, ut idem fere quod οὕτως significet, ita etiam ὥστε hanc duplicem provinciam habet, ut aut quemadmodum, tamquam, uti, aut sic, ita significet. Sed illum quidem usum scriptores prosaici poëtis postea reliquerunt, apud quos frequenter occurrit; neque in libris N. T. hanc significationem habet. Itaque illam quidem h. l. praetermittamus. Sed qui secundae significationis modi vulgo distinguuntur, hi mihi quidem ad duos, *itaque et ita ut*, referri posse videntur. Etenim quam ei particulae finalem potestatem tribuunt (pro ἵνα, ὅπως) ea quidem locorum, quos afferunt, versioni latinae,

non autem significationi convenire videtur. Certe si dicant, ὥστε, quod per se effectum s. eventum denotat, finem significare, nescio quo pacto negent, ἵνα et ὅπως, quae proprie finem denotant, etiam effectum s. eventum significare. Sed istorum locorum omnium haec ratio est, ut ὥστε rem ipsam, quam quis consequuturam esse cogitet, significet, cui cogitationi saepenumero quidem, sed non necessario cogitatio finis adiuncta est. Sic apud Xenoph. Cyrop. III. 2. 16. καὶ τοῦτο ἐπίστω, ἔφη, ὅτι ἐγὼ, ὥστε ἀπελάσαι Χαλδαίους ἀπὸ τούτων τῶν ἄκρων, πολλαπλάσια ἂν ἔδωκα χρήματα, ὧν σὺ νῦν ἔχεις παρ' ἐμοῦ. Non dicit, se ideo (hunc in finem) daturum fuisse pecuniam, ut Chaldaeos deiiceret, sed, deiicere potuisset, (plane ut nos dicimus: *ich würde viel darum geben, dass (wenn) ich das nicht gethan hätte*). Denotat ὥστε rem, quae si fieri posset, daret multam pecuniam, ut in notissima formula: πριαίμην ὥστε aut ὥστε μή. Xenoph. Cyrop. III, 1. 35. ὥστε τὴν γυναῖκα ἀπολαβεῖν, πόσα ἄν μοι χρήματα δοίης; — κἂν τῆς ψυχῆς πριαίμην, ὥστε μήποτε λατρεῦσαι ταύτην. Et apud Thucyd. IV. c. 23. σκοποῦντες καιρὸν εἴ τις παραπέσοι, ὥστε τοὺς ἄνδρας σῶσαι, part. ὥστε non ad σκοποῦντες, sed ad καιρόν referendam esse, manifestum est. Sed haec nunc quidem mittamus.

Reperitur autem ὥστε in N. T. duplici ratione; significat enim aut *ita ut*, aut *itaque*: reliquae significationes, quae in Lexicis nostris passim notantur, fictae sunt. Sed illarum quidem utra prior dicenda sit, dubitari potest. Nam si originem particulae respiciamus, haec prima eius potestas esse videtur, ut *itaque* significet. Est enim composita non ex ὡς tonum non habente, sed ex ὥς s. ὧς, quod *ita*, *sic*, significat. Nam quae Hoogevenus (p. 1238.) disputat, ea mihi quidem tuta ratione destituta videntur; comparandi enim notionem ubique immiscet, licet ipse usus demonstret, hanc significationem ab omnibus locis alienam esse, nisi ubi ὥστε cum uno nomine coniunctum est. Sic semper apud poetas. Neque unum afferri posse

locum puto, in quo ὥστε, quum inter duo verba positum est, comparationi inserviat. Praeterea in eo mihi Hoogevenus cum aliis errasse videtur, quod ad syntaxin refert significationem particularum, ex qua tamen non pendent modi verborum, quae particulis coniunguntur. Certe e particulae ὅπως significatione constructio duplex, cum verbo finito et cum infinitivo, quae omnem regulam syntacticam respuere videtur, explicari non potest. Nam ingentes hiatus, quos pluribus verbis obstruere conantur, mihi quidem a nativa omnium linguarum simplicitate prorsus alieni esse videntur. Sed hoc quidem loco parum refert, utri significationi prior locus part. ὅπως assignetur, quum id tantum quaeramus, qua significatione in libris N. T. dicta reperiatur. Primum igitur *itaque* significat, atque ut leges linguae postulant, semper construitur cum verbo finito. Sic ad Rom. VII, 12. Ὥστε ὁ μὲν νόμος ἅγιος καὶ ἡ ἐντολὴ ἁγία. Matth. XII, 12. ὥστε ἔξεστι τοῖς σαββάτοις καλῶς ποιεῖν. Matth. XXIII, 31. ὥστε μαρτυρεῖτε ἀλλήλοις, ὅτι ἐστέ. Marc. X, 8. ὥστε οὐκέτι εἰσὶ δύο. 1 Cor. XIV, 22. ὥστε αἱ γλῶσσαι εἰς σημεῖον εἰσίν. Gal. III, 9. ὥστε οἱ ἐκ πίστεως εὐλογοῦνται. Gal. IV, 7. ὥστε οὐκ ἔτι εἶ δοῦλος etc. Et cum imperativo 1 Cor. III, 21. ὥστε μηδεὶς καυχάσθω. Ibid. XV, 58. Neque aliud quid significat, quum καὶ sequitur. Rom. VII, 4. ὥστε ἀδελφοί μου καὶ ὑμεῖς ἐθανατώθητε τῷ νόμῳ. Recte concluditur: ὁ νόμος κυριεύει τοῦ ἀνθρ. ἐφ' ὅσον χρόνον ζῇ· ἐὰν δὲ ἀποθάνῃ, ἐλεύθερος ἐστιν ἀπὸ τοῦ νόμου· ὥστε καὶ ὑμεῖς etc. *Itaque* vos *quoque*. Nam καὶ non cum ὥστε, sed cum ὑμεῖς coniungendum est. Vnum addam locum, in quo vim interrogandi habere quibusdam visa est. Gal. IV, 16. postquam dixerat Apostolus, Galatas summo amore ipsum antea prosequutos esse, addit: ὥστε ἐχθρὸς ὑμῶν γέγονα, ἀληθεύων ὑμῖν; sed si inest in his verbis interrogatio, vis interrogandi certe non in ὥστε inest, quam vim habere nullo modo potest, quasi scriptum sit ἆρ' οὖν ἐχθρὸς ὑμῶν γέγονα; sed fere malim cum Origene sine

interrogatione intelligere: nam gravior esse videtur reprehensio, quam dolentis interrogatio. Obiter moneam, Originem legisse ἐχθρὸς ὑμῶν, quam lectionem sequitur Vulg.; vertit enim inimicus *vobis* factus sum. Haec lectio, quam miror non notatam esse a Criticis, si codicum auctoritate defenderetur, potior videri posset. Nam in antecedentibus non suum erga Galatas, sed horum erga se ipsum amorem praedicaverat. Sed unius Originis causa nihil mutandum est. Ceterum verba *ἀληθεύων ὑμῖν* mihi quidem non de doctrina Christi, vere et sincere tradita, intelligenda esse videntur, sed de sinceritate, qua docuerat monueratve Galatas, et tantum verum ipsorum commodum spectaverat. Est igitur *ἀληθεύων ὑμῖν*, dum sincere vobiscum ago, s. dum verus et sincerus erga vos sum (πρός ὑμᾶς). In sequenti enim versu dicit, *adversarios* suos dolose cum Galatis agere.

Secunda part. ὥστε significatio frequentissima est in N. T. Indicat enim exitum, eventum, s. effectum rei praegressae. Recte distingui quatuor συντάξεις modi solent, quod aut cum verbo finito aut cum infinitivo componatur, aut praecedente *οὕτως*, vel pronomine aliquo demonstrativo, aut sine eiusmodi voce dicatur. Sed in explicandis causis, cur hoc aliove modo dici possit aut debeat, non satis sibi constant. Mirabilia tradidit Hoogevenus. Dicit enim, si infinitivus sequatur, *οὕτως* constanter dissimulari, sed praecedente *οὕτως* indicativum constanter sequi. Sed falsam esse hanc regulam, haud exiguus locorum numerus ostendit, in quibus *οὕτως* aut praecedit aut dissimulatur, sive indicativus sive infinitivus sequatur. Hos autem locos, quos affert, misere torquet, ut ipsius subiici regulae possint. Nimirum causa, cur *οὕτως* omitti possit et recte quidem omittatur, non haec est, quod indicativus aut infinitivus sequitur, sed quod non necesse est addere, quia eius notio inest in praecedentibus. Affert locum ex Euripide in Phoenis. v. 1367. — *οὐ μακρὰν γὰρ τειχέων περιπτυχαὶ, ὥστ' οὐχ ἅπαντά σ' εἰδέναι τὰ δρώμενα.* Sed

negatio, quae sequitur, tollit modum et quantitatem τοῦ μακράν. Nam dum dicit, ut ne cognoscere possis, intelligitur, abesse quidem muros, sed non longe abesse, quin possit cognoscere τὰ δρώμενα. Ergo non opus erat addi οὕτως, neque addi potuisset. Nam si dixisset, οὐχ οὕτω μακράν, sententia longe alia exstitisset haec: abesse quidem longe muros, sed non tam longe, ut cognoscere res gestas non possit. Erant autem prope moenia urbis gestae. Contra in aliis locis omitti non poterat. Demosth. Olynth. III, 8 (p. 32.) μηδένα ἐξοῦσε τηλικοῦτον εἶναι παρ' ὑμῖν, ὥστε τοὺς νόμους τούτους παραβάντα μὴ δοῦναι δίκην, μηδ' οὕτως ἀνόητον, ὥστε εἰς προὖπτον κακὸν ἑαυτὸν ἐμβαλεῖν. Nihili est enim, quod de oratione obliqua dicit. In eadem oratione init. scriptum est, ut necesse erat: ὁρῶ τὰ πράγματα εἰς τοῦτο προήκοντα, ὥστε, ὅπως μὴ πεισόμεθα αὐτοὶ πρότερον κακῶς, σκέψασθαι δέον (εἶναι non ἐστὶ supplendum est). Et Thucyd. L. IV. c. 64. scribere debuit: ἀξιῶ, μὴ τοὺς ἐναντίους οὕτω κακῶς ποιεῖν, ὥστε αὐτοὺς τὰ πλείω βλάπτεσθαι, non quod oratio est obliqua, aut quia infinitivus sequi debeat, (nam si scripsisset, μὴ δρώμεθα ὥστε αὐτοὶ (non αὐτούς) τὰ πλείω βλαπτώμεθα, longe aliud quid dixisset) sed quia sententia est, coercendos quidem hostes, non autem ita afficiendos esse, ut ipsi siculi omnes ac singuli maius etiam detrimentum capiant. Similiter scripsit Xenoph. Cyrop. I, 4, 15. οὕτως ἥσθη τῇ τότε θήρᾳ, ὥστε ἀεί, ὁπότε οἷόν τε εἴη, συνεξῄει τῷ Κύρῳ, non οὕτως posuit, quia sequebatur indicativus, sed quod sententia postulabat, Astyagem tantopere delectatum esse venatione illa, ut quotidie exierit. Sed eandem ob causam Memorab. IV, 3, 6. scripsit: τὸ δὲ ὕδωρ ἡμῖν παρέχειν οὕτω πολλοῦ ἄξιον, ὥστε καὶ φυτεύειν etc. Et Cyrop. IV. 2, 39. (19.) εἰ δὲ τῶν (συμμάχων) δόξομεν οὕτως ἀμελεῖν, ὥστε καὶ πρὶν εἰδέναι ὅ τι πράττουσιν, ἠριστηκότες φαίνεσθαι. Memor. I, 2, 1. πεπαιδευμένος οὕτως, ὥστε πάνυ ῥᾳδίως ἔχειν ἀρκοῦντα, et IV, 4, 1. πειθόμενος οὕτως, ὥστε δια-

δῆλος εἶναι παρὰ τοὺς ἄλλους εὐτακτῶν. Sed plura exempla addere non opus est. Illud etiam intelligitur, saepenumero ne addi quidem posse οὕτως aut aliam vocem, quae magnitudinis aut modi notionem habet, si ea notio a mente scribentis aliena est, sive cum indicativo sive cum infinitivo ὥστε coniungatur. Memorab. I, 2. 31. *ἐξ ὧν δὲ καὶ ἐμίσει τὸν Σωκράτην ὁ Κριτίας, ὥστε καὶ — ἐπεμνημόνευσεν αὐτῷ, καὶ ἐν νόμοις ἔγραψε.* simpliciter dicere voluit: hac de causa odio Socratem habuit Critias, ut et memor iniuriae fuerit et scripserit. Conf. Hist. Gr. IV, 6, 8. Sed de Exped. Cyr. IV, 2, 14. *διαπράξαντο, ὥστε λαβόντας τοὺς νεκροὺς ἀποδοῦναι τὸν ἡγεμόνα.* conf. de Re Equ. 10, 19. Cyrop. VII, 5, 18. Ex his iam clare apparere arbitror, promiscue dici posse aut praecedente οὕτως, aut omisso, sive indicativus sive infinitivus sequatur, sed causam, cur omitti addive possit aut debeat, in antecedentibus quaerendam esse. Sed fere differt sententia, si ὥστε cum indicativo aut cum infinitivo coniungatur, non quod ipsius particulae significatio diversa sit (aliud est enim construi, aliud coniungi cum verbo, ut recte monuit Hermannus ad Vig. p. 852.) sed quia aliud cogitatur, si cum indicativo, aliud vero si cum infinitivo coniungitur. Sed quum verendum sit, ne philologi aegrius ferant theologum de eiusmodi rebus copiosius disputantem, quid de duplicis formulae dicendi discrimine sentiam, brevissime dicam. Itaque mihi quidem differentia in eo constare videtur, quod si res tanquam vere facta cogitetur, indicativus tantum ponitur, sed si fieri posse aut potuisse cogitetur, infinitivus. Certe mihi plurimos locos accurate comparanti hoc constans discrimen reperire visus sum. Rem claram reddet locus Xenoph. Memor. I, 3. 5. *οὕτω γὰρ εὐτελὴς ἦν, ὥστ' οὐκ οἶδ' εἴ τις οὕτως ἂν ὀλίγα ἐργάζοιτο, ὥστε μὴ λαμβάνειν τὰ Σωκράτει ἀρκοῦντα — καὶ ἐπὶ τούτου οὕτω παρεσκευασμένος ᾔει, ὥστε τὴν ἐπιθυμίαν τοῦ σίτου ὄψον αὐτῷ εἶναι.* Neminem esse puto, qui Xenophontem primo loco verbum finitum quasi aliud agendo po-

suisse dicat. Nam illud οὐκ οἶδα certum erat; sciebat enim neque infimae conditionis hominem tam parum labore sibi parare posse, quin habiturus sit, quae Socrati sufficiant. Sed hoc non factum erat, sed tantum fieri posse cogitatur; ergo scripsit: ὥστε μὴ λαμβάνειν. Hinc fieri quoque puto, ut, quum ὥστε itaque, ergo, significat, semper sequatur indicativus, qui declarat, rem ita se habere. Et licet concedam, in quibusdam locis, ubi infinitivus sequatur, dubiam videri sententiam posse; hoc tamen affirmare ausim, nullum reperiri locum, in quo ὥστε cum indicativo coniungatur, nisi ubi res, cuius notio in verbo inest, vere facta et certa cogitetur. Atque etiam in N. T. occurrunt loci, ubi res, quae facta est, infinitivo exprimitur. Sic 1. Thess. I, 7. μιμηταὶ ἡμῶν ἐγενήθητε, δεξάμενοι τὸν λόγον — ὥστε γένεσθαι ὑμᾶς τύπους. et v. sequ. ἡ πίστις ὑμῶν ἐξελήλυθεν, ὥστε μὴ χρείαν ἔχειν ἡμᾶς. conf. 2. ep. ad. Thess. I, 4. Et Matth. XXVII, 14. οὐκ ἀπεκρίθη αὐτῷ, ὥστε θαυμάσαι τὸν ἡγεμόνα. Potuisset scribere: ὥστε ὁ ἡγεμὼν ἐθαύμασε. Luc. XII, 1. Sed non potuisset Lucas, Cap. IV, 29. dicere: ἤγαγον αὐτὸν ἕως ὀφρύος τοῦ ὄρους ὥστε κατεκρήμνισαν αὐτόν. Non deiecerunt enim; nam διῆλθε διὰ μέσου αὐτῶν. (Verum suspectum est h. l. ὥστε). Eadem ratio est loci Luc. V, 7. Sed nullus exstat, ne in N. T. quidem locus, ubi ὥστε cum indicativo construatur, nisi ubi res, quae vere facta est, cogitanda sit. Sic. Ioh. III, 16. οὕτως ἠγάπησεν ὁ θεός — ὥστε ἔδωκεν. et Galat. II, 13. συνυπεκρίθησαν αὐτῷ οἱ λοιποί, ὥστε καὶ Βαρνάβας συναπήχθη τῇ αὐτῶν ὑποκρίσει. Atque hunc usum constanter observari, infinitus quidem exemplorum numerus ostendit, sed liceat unum tantum argumentum afferre. Etenim quam causam esse putemus, cur post verba sperandi aut metuendi ὥστε nunquam cum indicativo sed semper cum infinitivo construatur, nisi quod res, quae aut speratur aut metuitur, incerta est necdum adesse cogitatur. Sic apud Euripidem Or. v. 52. ἐλπίδα δή τιν' ἔχομεν, ὥστε μὴ θανεῖν. Iphig.

Taur. v. 1379. — φόβος δ' ἦν ὥστε μὴ τέγξαι κόρα. (Sic etiam ἐλπ. ὡς cum inf. Xenoph. H. Gr. VI, 5, 38.) Sed quoniam infinitivi solam rei, cuius notio in verbo inest, significationem habent, sequitur, ut, si cum alio verbo per particulam coniungantur, ambigua sit totius enunciationis sententia, nisi aut in verbo praecedente aut in ipsa particula definitus sit modus cogitandi. Ex quo fit, ut etiam in N. T. loci nonnulli reperiantur, in quibus ambiguum esse videatur, quo sensu ὥστε cum infinitivo coniunctum sit. Dicunt igitur, in eiusmodi locis lectoris iudicio relictum esse, utrum effectus an finis notio praeferenda sit. Sed iam initio huius disputationis dixi, locos, qui e scriptoribus probatis ad vim τελικήν part. ὥστε demonstrandam afferuntur, eiusmodi mihi esse videri, ut, si finis cogitatio adiuncta sit, eius quidem indicium non in ipsa particula sed in praecedentibus quaerendum sit. Veluti quum dicitur ἦλθε βοηθῆσαι, intelligimus quidem, illum venisse ideo ut opem ferret, sed causa, cur infinitivus finem indicet, non est in infinitivo sed in verbo praecedenti. Sic etiam si quod verbum cum alio verbo per ὥστε et infin. coniunctum est, non ὥστε significat finem seu consilium denotat, sed ex tota enunciatione intelligitur, rem, cuius notio in verbo infinito inest, esse aut fuisse finem actionis, quae verbo finito praecedente significata est. Sed videamus locos nonnullos N. T., in quibus dubium esse putant, utrum effectus an finis notio insit (non inest autem particulae ὥστε, sed infinitivo). Neque vero huc referri debebat locus Matth. XXVII, 1. συμβούλιον ἔλαβον, ὥστε θανατῶσαι αὐτόν. Nam hoc loco non finem, sed obiectum decreti verba indicare manifestum est: decreverunt enim, Iesum vinctum morti tradere (v. 2.) Sed Luc. IV, 29. ne dubium quidem esse potest, an infinitivo finis notio insit. Non potest enim de effectu intelligi. Quis enim de effectu intelligat haec: ἤγαγον αὐτὸν ἔξω τῆς πόλεως ἕως ὀφρύος τοῦ ὄρους, ὥστε κατακρημνίσαι αὐτόν. Non habuit enim hunc effectum τὸ ἄγειν αὐτούς· itaque infiniti-

vus monstrat id, cuius causa Iesum ἕως ὀφρύος τοῦ ὄρους duxerint, non autem effectum τοῦ ἄγειν. Neque tamen ὥστε finem significat, sed tantum actionem cum causa sua coniungit. Concedam Xenophontem non sic loquuturum fuisse (licet occurrant similia), neque tamen obscurum est, qua ratione ὥστε, eventum indicans, hoc modo, dicatur. Scilicet, quod illi voluerunt facere, (licet non perfecerint) id tamquam eventurum cogitatur. Eadem est ratio loci Luc. IX, 52. εἰςῆλθον εἰς κώμην Σαμαρειτῶν, ὥστε ἑτοιμάσαι αὐτῷ. Poterat aeque scribi εἰςῆλθον ἑτοιμάσαι. Itaque potestas illa finalis mihi quidem ex istis locis non probari posse videtur; certe non dubium esse puto, quid illa verba sibi velint, sed causa non in particula ipsa quaerenda est. (Vid. Fritzsch. ad W. Evang. Tom. I, p. 796.). Sed haec quidem hactenus.

Indicenda sunt enim Vobis, Cives Carissimi, sacra Pentecostalia proxime celebranda. Quae quum illius temporis, quo primi praecones evangelii spiritum Domini acceperunt, memoriae dicata sint, neminem Vestrum esse puto, quin hac aetate etiam maiori reverentia celebranda esse ea existimet. Nam quo loco res nostrae sint, vident omnes atque intelligunt. Maiorum vitia reprehenduntur, corriguntur, sed, quibus haec aetas laborat, pauci morbos curant; suum quisque commodum quaerit, suaeque prudentiae confisi regere omnes quam regi, dare leges quam obtemperare malunt; tempora patienter tolerare, ignavia dicitur, suo genio indulgere, suisque legibus vivere, seculum vocatur. Scilicet

Tollitur e medio sapientia, vei geritur res.
Haud docteis dicteis certantes, sed maledicteis,
Miscent inter sese inimicitias agitanteis,
Non ex ioure manu consertum, sed mage ferro
Rem repetunt, regnumque petunt, vadunt solida vei.

Quid multa? τὰ ἀρχαῖα παρῆλθεν· ἰδοὺ γέγονε καινὰ τὰ πάντα. Sed unum opus est: ἡ καινὴ κτίσις ἐν Χριστῷ.

Denique nihil magis in votis habendum est, quam ut spiritus Domini, quo et instauravit ipse mundum, et regi voluit, omnibus, qui afflictis rebus nostris aut consulere aut consuli cupiunt, largissime contingat. Quod ut fiat, etiam festis, qui instant, diebus ardentissime precemur deum et veneremur. Hoc igitur Vos quoque agite, Cives Carissimi, et valete.

P. P. Dom. Exaudi a. D. MDCCCXXX. in Univ. Lips.
